Q 5

1. h. 38.

60

Uniusq. fus. Aterni
Fr. Br. Fr. Af. Bel.
FVV. FVV.

ATENEO VENETO
VENEZIA

REALE VENETO
VENEZIA

IOANNIS LVDOVICI CHARTARII BONONIENSIS,

Medici, ac Philosophi clarissimi.

Et in celeberrimo Patrio Gymnasio Philosophiam ordinariam vespertinam profitentis.

CONCILIATIONES DILVCIDAE omnium Controuersiarum in Arist. Libros de Phisico auditu.

TOMVS PRIOR.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. GREGORIVM PETROCHINVM S.R.E. Amplis. Card. è Monte Elparo.



ATENEO VENETO Biblioteca

BONONIAE, Apud Io. Rossium, ad Instantiam Thomæ Pasini, Superiornm permissu. 1595.

Vtinus M. Iacobus Florellus Venetus Regens. 1660.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. D. GREG.º PETROCHINO, S. R. E. AMPLISS. CARD. è Monte Elparo.

Io. Ludouicus Chartarius. S. P. D.



SVB Ampliſsimi nominis tui patrocinio (Illuſtriſsime Card.) Conciliationes Controuerſiarũ in Libros Ariſtot. de Phiſico auditu, quas ab hinc triginta quinq; annis Bononiæ, & Peruſiæ, & ſecundo nũc Bononię publicè legẽdo obſeruaui, in lucẽ prodeunt. Eas tibi dono, dedico, cõſecroq;; Tam & ſi facilè intelligam munus eſſe, ſi aut ex ſua, aut ex tua dignitate expendatur, perexiguum

guum, si ex viribus meis admodum mediocre, si verò ex animo, magnum certè quidem. Animum autem spectare debes, Card. Amplis. cum Deo quoq;, vt optimè nosti, animi nostri conatus probẽtur in primis. Maxima tibi offerrem, si eorum copia mihi foret, satis tamen grande mihi hoc munus videbitur, si tibi gratũ esse sensero: Sic enim & alterũ, idest studiosam iuuentutem iuuare, quod mihi in hoc scribẽdi genere potissimum proposui, videbor assecutus. Nam si tu vir omni doctrinarũ genere absolutus, laborẽ hũc probaueris, cui non, quæso, probabitur? Si tu illum ex vsu existimaueris, cur id mihi non persuasero? Et certè, præterq; quòd hoc ipso libello me tui studiosissimum, ac deuinctissimum declaro, in eo conscribendo etiam meum consiliũ fuit, vt adolescentium studijs aliquã vtilitatẽ afferrem; Itaq; cũ animaduerterẽ à multis Philosophis tàm pri-

scis

scis, quàm recentioribus in hos Aristot. Libros de Phisico auditu multa quidem conscripta esse, quibus reconditæ Philosophi sententię illustrantur, à nullo tamẽ (quod tantorum virorum pace dictũ sit) rationẽ hanc aduersantia inter se loca conciliandi obseruatam esse. Me igitur vtile quid facturum esse existimaui, si eorũ quę in his libris sibi repugnare videntur, Conciliationes â me adnotatas, atq; collectas, Aristotelis studiosis impartirem; Nec sanè me fugit, q̃q̃ plurimos futuros, qui honesto huic meo labori nomen audatiæ imponent; Verum ego eos missos facio, eorumq; obtrectationes in minimis duco, cum mihi satis sit, solidam abste gratiam inijsse, & studiosæ iuuentuti aliqua ex parte profuisse; Tuis auspicijs hæc molior, alteramq; partem in cæteros quatuor libros, ac reliquos totius Naturalis Philosophiæ me molituru spero, quando studia nostra perbeni

gnè

gnè foues, ac bonarum litterarum ſtudioſiſsimo, ac litteratorum acerrimum propugnatorem te ſemper præſtiteris; Hic in tuarum laudum paleſtram ſumma hilaritate, ac voluptate deſcenderem; Verum cum mihi tanta dicendi copia non adſit, vt eas pro meritis enarrare queam, eis in præſentia ſuperſedeo, hac in re Timantẽ imitatus, qui velo tegebat, quod penicillo non ſe effingere rectè poſſe exiſtimabat. Te potius etiam, atq; etiam rogatũ velim, vt paruum hoc munus tui Io. Ludouici Chartarij, qui ſe tibi, Illuſtriſsimæq; Familiæ tuæ totum, omniaq; ſua iampridem deuouit lubenter amplectare. Vale Patrone optime, quem Deus Opt. Max. ſaluũ, ſoſpitem, atq; incolumen ſeruet, votaq; tua perpetuò ſecundet.

Bo non. VII. No. April. MDXCII.

AD GREGORIVM PETROCHINVM CARD. AMPLISS. è Monte Elparo.

DE IO. LVD. CHARTARIO Philosopho celeberrimo.

IVLII SIGNII:

TE duce GREGORI *magno, teq; auspice, dignum*
Aede sacra Phœbi protulit auctor opus.
Protulit ille parens sophiæ CHARTARIVS, *altos*
Vnus, qui sensus nouit Aristotelis.
Qui dulcem Patriam, septem qui lustra docēdo
Externas Vrbes iuuit, & vsq; iuuat.
Qui maiora struit nactus te firma Patrone
PETROCHINE, *velut qui sibi Petra manes.*

IN PRÆSTANTISS. PHILOSOPHVM D. LVDOVICVM CHARTARIVM.

MELCHIORIS ZOPPII Philosophi Excellentiß.



Imara, Aristoteli aduersatur Auerrois? atqui
Nil magnum, à Græco sicubi aberrat Arabs
Dicta repugnantum paßim contraria tentas
Conciliare simul? Zimara magna subis.
Sed sibi discordem Chartarius inuenit: atq;
Concordem sibimet monstrat Aristotelem.
Non cuiuslibet onus, libret qui scripta Sophorũ
Illud doctrinæ est, hoc opus ingenij
Nos Laudouici geminata laude perornant
Felsineos tanquàm sydera clara duo.
Laudouicus erat quoq; Buccaferreus ille
Sic Ars, ingenium, nomina conueniunt.

INDEX CONTROVERSIARVM, & Aliorum, Quæ scitu digna sunt.

Primus numerus indicat paginam.

Litera A. notat faciem primam.

Litera B. secundam.

A.

Abstrahentium an sit mendacium. pag. 100. a
Abstractio quid sit. 100. b.
Abstractio quotuplex sit, ibidem.
Abstractio an sit operatio solius intellectus; 101. a
Abstractio an conueniat ipsi Metaphysico, vel ipsi Mathematico. ibidem.
Abstractis ad concreta, an liceat arguere, & econtrà. 144. a
Accidens vni an alteri sit substantia. 31. b
Accidens inseparabile an diffiniatur per subiectum. 32. a
Accidentia in quo primò fundẽtur, an in substantia. an in quantitate. 31. a
Actio an fundetur in passo. 145. a
Actio, & passio an sola ratione inter se distinguantur. 146. b

INDEX

Actus duo diuersi an possint tendere in vnum finem, seù an vni rei conueniant. 145. a
Aer an continuò alteret corpora nostra, seù an existens in tenebris patiatur. 172. b
Antiqui ponentes vnum subiectum, an rectè ab Aristot. damnentur. 33. b
Antiqui quomodo posuerint vnum principium, & quomodo plura. 34. a
Antiqui omnes an posuerint principia cõtraria. 43. a
Antiqui an tractarint de forma. 106. b
Anaxagoras an rectè ab Aristotele confutetur in textu 35. 41. b
Animal an sit prius ipso semine, vel è contrà. 127. a
Ars an sit nobiliot natura, vel è contrà. 126. a
Arist. an in text. primo rectè probet esse agẽdum de principijs. 1. a
Aristot. an rectam tradat viam doctrinæ in textu secundo. 2. a & 3. a
Aristo. an vt naturalis Phylosophus, vel vt diuinus, vel vt Dialecticus disputet contrà Parmenidem, & Melissum. 21. a
Arist. ratio in text. 13. contrà Parmen. & Meliss. an petat principium. 22. a
Aristoteles an sit ordinatus docens primó qualia sunt principia, antequàm doceat quot, & quæ sint. 42. b
Arist. quid intelligat in textu 42. & 43. (per contraria.) 50. b

Arist.

INDEX

Arist. in tex. 50. an sit superfluus. 58. b
Aristot. an sit superfluus in text. 60. & 61. cum iterum repetat differentiam inter subiectum, & priuationem. 64. b
Aristot. intentio in secundo Lib. Phys. an sit de forma agere. 83. a
Arguere à negatione antecedentis, ad negationem consequentis, an valeat. 27. b
An contrà positiones falsas Sapientum, sit disputandum. 18. b
An eadem vni tertio, sint eadem ad inuicem. 25. a
Ab vna, & eadem causa, an proueniat vnus tãtum effectus, & quomodo. 73. a
An tex. 16. 2. Lib. Phy. sit continuus cũ præcedentibus, & quomodo. 99. a
Astrologia an consideret accidentia corporis cœlestis, vt ab eo sunt separata. 99. b

B.

Boni ratio an conueniat causæ finali. 116. a
Binarius numerus an sit numerus. 183. a

C.

CAusarũ tractatus an sit superfluè positus ab Aristot. in 2. Lib. Phy. 108. a
Causa materialis an sit rectè descripta ab Aristotele, 109. a, & 115. b
Causa efficiens an sit rectè ab Arist. descripta. 111. a

Causa finalis an sit inter causas ponenda. 111.b
Causæ an sint ad inuicem causæ. 114.a
Causa in potentia an referatur ed effectum in potentia. 117.b
Causa vna, & eadem an producat tantum vnum effectum. 73.a
Casus, & fortuna an possint sciri. 118.b
Casus, & fortuna an sint causæ per accidens. 124.a
Cœlestis corporis accidentia ab eò separata, an consideret astrologus. 99.b
Cœlum an habeat potentiam ad non esse, & quomodo. 132.a
Cœlum quomodo æternũ, & quomodo sit corruptibile. 132.b
Cerebrum an sit corpus similare. 40.a
Cognitio perfecta rerum quot requirat. 3.a
Cognitu difficilia sunt in duplici differentia. 74.a
Cognitu difficilia tantum per Analogiam explicantur. 75.a
Cognitio per negationem soli Deo ac materiæ primæ conuenit. 76.a
Concreta nomina quid significent, an subiectum, vel ipsam formam, an vtrumquè. 30.a
Conditio prima principiorum, quæ est non fieri ex se inuicem, an illis conueniat. 46.a
Continuum quomodo sit diuisibile in infinitũ. 24.b
Contentiosa ratio an sit facilis solutionis. 26.b
Contrarietas vna, an sit in quolibet vno genere. 52.a

Contrarietas an sit in substantia. ibidem
Contraria tantum non esse principia, an sit verum. 56. a. b.
Contrarietates si erũt duæ, an duo erũt subiecta. 58. b
Compositũ an sit illud, quod primò generatur. 66. a
Contingentium æqualiter an fortuna sit causa. 119. b
Contingentia æqualiter quare Aristoteles omiserit. ibidem.

D.

DEmocritus quomodo posuerit principia infinita, & quomodo duo contraria. 45. a
Deus tantum, ac materia prima per negationem explicantur. 76. a
De principijs tractans Arist. cur non primò quæsiuit, An sint. 9. a
De principijs tractans Arist. An exordiatur à nobis notioribus. 10. a
Diuisio principiorum per vnum, & plura, an sit per contradictoria. 7. a
Diuisio principiorum supradicta nunc, an sit de principijs complexis, vel incomplexis intelligenda. 8. a
Diuisio nunc prædicta de principijs, an sit intelligenda de principijs intrinsecis, vel extrinsecis. ibidem
Diuisio principiorum nunc prædicta, an sit intelligenda de principijs intrinsecis corruptibilium, vel

æternorum. 8. b
Diuisio prima substantiæ quæ sit. 53. b
Diffinitionis partes, an omnes sint formæ. 110. b
Diffinitio Logica quæ sit, & quæ demonstratiua. 169. a.
Dualitas an sit numerus. 183. a

E.

ENs dici multipliciter, an sit rectè ab Aristot. in tex. 13. acceptum, dū confutat Antiquos. 22. a
Ens an sit vniuocum. 23. a
Entium diuisio per actum, & potentiam an sit vera. 131. b
Entia quæ sint potentia tantum, an dētur. 132. a
Ens diuisum in decem prædicamēta q, nā sit. 132. b
Entis quot sunt species, an tot etiam sint species motus. 138 a
Esse, & posse, an differant in æternis. 154. a
Eadem vni tertio an sint eadem adinuicem. 25. a
Æterna duplicia sunt. 154. b
Æterna transmutabilia habent duplex esse. 161. a
Æterna an tempore mensurētur. 195. a
Efficiens causa an rectè ab Arist. sit descripta. 111. a
Electio an sit operatio intellectus, vel voluntatis. 124. a
Elementa indiuisibilia an constituant mag. 158. b
Ex se inuicē nō fieri, an cōueniat p̄ncipijs. 46. a
Exēpla cur multiplicet in tex. 43. 44. Arist. 48. a

F.

Figura figuræ an sit contraria. 45. a
Figurata loqutio, seù metaphorica, in quibus, & quando liceat vti. 80. b
Finis an inter causas sit ponendus. 111. b
Finis an habeat suum esse in actuali existentia; vel in intentione. 112, a
Finis an habeat rationem boni. 116. a
Finiti, & infiniti varia significata. 152. b
Fieri omnia ex contrarijs, & corrumpi in contraria, an sit verum. 50. a
Fieri oĩa ex cõtrarijs, quare natura hoc voluerit. 51. a
Forma adueniente subiecto, an subiectũ permaneat, adueniẽte verò priuationi, an ipsa euanescat. 64. a
Forma an per sui pręsẽtiã sit causa generõnis, per sui verò absentiam corruptionis. 72. b
Forma an sit magis substantia, quàm materia. 78. a
Forma an consideretur ab Arist: in 2. Lib. Phy. 83. a
Formam esse rei naturam, an sit verum. 95. b
Forma naturalis an sit à materia separabilis secundũ intellectum. 95. b
Forma an ab Antiquis fuerit tractata. 106. b
Formã, & mãm cõsiderari à nãli, an sit verũ. 107. a
Forma an possit dici exemplar, & qũo. 109. b
Forma, & finis, an sint idem re. 125. a
Forma an sit in mã, sicut accidẽs in subiecto. 159. a
Fortunæ, & casus, an sit scientia. 118. b
Fortuna, & casus an sint causæ eorũ, quæ alicuius gratia sunt. ibidem.

Fortuna an sit causa æqualiter contingentium. 119.b
Fortuna, & casus an sint causæ per accidens. 124.a

G.

Generatio an conueniat composito. 66.a
Generatio cuiuslibet an sit ex quolibet. 63.a
Generationis causa an sit præsentia formæ, corruptionis verò eiusdem absentia. 72.b
Generationis an sit generatio. 139.b
Grauitas, & leuitas, an omni corpori sensibili conueniat. 156.a

H.

Habere motus principium an conueniat ijs, quæ natura constant. 85.a

I.

INfinitum an sit ignotum, & si sic, an respectu sui, vel respectu nostri. 34.b
Infinitæ partes an possint esse in corpore finito. 39.a
Infinitum an primò sit in continuo. 131.b
Infinitum considerare an sit munus naturalis Philosophi. 152.a
Infiniti, & finiti varia significata. 152.b
Infiniti vera distinctio. ibidem.
Infinitum actu an possit sciri. 153.b
Infiniti ratio; & infinitum, an sint idem. 155.a
Infinitum an contineatur à finito. 156.a

Inmobile localiter an posſit alterari. 28.b
Inmuſcicum, & non muſcicum, & alij conſimiles termini quomodo differant. 48.b
Inmobilia an conſideretur à naturali. 125.b
Ignorato motu an ignoretûr natura. 130.b
Intellectus an ſit ipſorum vniuerſalium, ſenſus verò ſingularium. 51.a
Intelligibilitas non eſt paſsio entis abſolutè accepti, ſed entis in actu. 76.b
Inſtans in tempore an ſit vnum, & idem numero. 179.b
Inſtans an ſi vnum eſt, tempus etiam ſit vnum. 181.a
Inſtans, & mobile an poſsint comparari. 182.a
Inſtans an continuet tempus. 190.b
Inſtans an ſit ſenſibile. 201.b

L.

LEue, & graue, an omni corpori ſenſibili conueniant. 156.a
Litigioſa ratio quomodo differat à ſophyſtica. 27.a
Liber tertius Phy. an ſit præponendus ipſi ſecundo, vel ècontrà. 129.a
Liber tertius Phy. an ſit inſcribendus de motu. 130.a
Ligna an ſint leuiſsima, & quomodo. 128.a
Localiter immobile an poſsit alterari. 28.b
Locum eſſe an poſsit inquiri. 157.a
Loci conſideratio an pertineat ad naturalem Philoſophum. ibidem

Locum esse an sit per se notum. 157.b
Locus an ab Antiquis fuerit consideratus. 158.a
Loci pprietates an sint ab Aristotele rectè asignatæ. 160.a
Locus an sit spatium medium inter latera continentis. 160.b
Locus an rectè diffiniatur per superficiem. 161.a
Loci diffinitio an sit recta. 161.b
Locus an sit motui intimior, quàm sit tempus. 168.a

M.

MAteria an sit magis principium, quàm forma. pag. 58.a.
Materia an sit vna, & eadem omnium. 62.b
Materia an rõne sit distincta à priuatione. 65.a
Materia an sit eadem subiecto cum priuatione. 65.b
Materia an sit separabilis rõne à forma. 67.a
Materia an significet hoc aliquid. 69.a
Materia an sit tñ scibilis per analogiam. 74.a
Materia quot modis cognoscatur secundum Aristot. & Platonem. 74.b
Materia quare ab Aristotele vocetur subiecta natura. 75.a
Materia quomodo à Naturali, & quomodo à Metaph. consideretur. 74.b
Materia pluribus modis à Platone per analogiam, seu adulterina cognitione explicatur. ibid.

Materia prima, ac Deus tantummodo negatiuē explicantur 76. a
Materia prima quare tantummodo per Analogiam, ac per negetionem explicetur. 76. b
Materia prima an sit hoc aliquid. 77. b
Materia an sit magis substantia, quàm forma. 78. a
Materia an appetat formam, & quo appetitu, an naturali, an animali. 78. b
Materia an appetat formam ratione priuationis. 79. b
Materia an appetat formam, sicut fœmina masculum, & turpe pulcrum. 80. b
Materia an sit generabilis, & corruptibilis ratione priuationis. 81. a
Materia prima an sit rectè ab Aristotele descripta. 82. a
Materia prima quomodo possit esse principium, cū ipsa sit ignota. 156. b
Materia an sit ponenda in diffin. rerū nālium. 105. a
Mām, & formā pertinere ad nālē an sit verum. 107. a
Materia an sit ad aliquid. 107. b
Magnitudo an constituatur ex elementis indiuisibilibus. 158. b
Mathematicus an possit diffinire Quantitatem sine materia. 102. b
Methodus resolutiua an exordiatur à pncipijs. 1. b
Methodus diuisiua est maximè scientifica. 7. b

Melissus an possuerit tantum vnum principiũ. 12.b
Melissus dicens tantum esse vnum ens, an possit tueri. 13.b
Melissus quomodo possuerit vnum principium, & quomodo plura. ibidem.
Metaphoricæ loquutiones ad analogiam redigũtur. 75.b
Metaphoris quare Arist. vtatur. ibidem.
Metaphorica loquutio quando sit conueniens. ibidẽ.
Mensuræ quare sint diuersæ. 191.a
Mensura an sit ut certificat mensuratum ita ècontrà, mensuratum certificet mensuram. 193.b
Mensura & numerus an sint idem. 196.a
Minimum naturale an sit diuisibile in infinitũ. 35.a
Minima magnitudo an detur. 40.b
Minimum secundum magnitudinem, & maximum an detur in tempore. 183.b. & 184.a
Modus arguendi à negatione antecedentis, ad negationem consequentis, an valeat. 27.b
Modus respondendi rationibus Parmen. & Melissi, an sit idem. 29.a
Motus principium habere in seipso, an conueniat omnibus quę natura constant. 85.a
Motu ignorato, an ignoretur natura. 130.b
Motus qũo sit in pluribus gũribus. 131.a. & 133.a
Motus an sit vniuocus. 135.a
Motus dupliciter consideratur, prò fluxu formæ, & prò forma fluente. ibidem.

Motus prõ fluxu formæ dupliciter accipitur. 136.a
Motus an tot sint speties, quot entis. 138.a
Motus quare sit tantũ in tribus prædicamẽtis. 138.b
Motus an sit in situ, habitu, & quando. 140.a
Motus an semper afferat aliquam speciem. 144.a
Motus diffinitiones tres ab Arist. datæ, an sint re-
ctæ. 147.b
Motus quare sit diffinitus ab Aristot. per termi nos
transcendentes. 150.b
Motus diffinitio an conueniat omni motui. 151.a
Motus an sit notior ipso mobili, vel ècontrà. 151.b
Motus cur ab Arist. sit tripliciter diffinitus. 152.b
Motus omnis an sit in loco, & qũo. 167.b
Motus an sit tantus, quantum est tempus. 172.b
Motus diurnus quomodo dicatur minimus motus, &
quomodo non. 184.a
Motus an habeat esse reale, an per animam. 187.a
Motus rectus an possit reiterari. 189.a
Motus an faciat distare quod inest. 194.b
Mutatio quomodo sit in substantia, & quomodo
non. 141.a
Mutatum in motu an sit sensibile, & qũo. 203.a

N.

NAturalis Philosophus an possit disputare con-
tra Parmen. & Melissum. pag. 20.a
Naturaliũ rerum an tiñ sint tria principia. 59.b
Natura quare voluerit oĩa fieri ex cõtrarijs. 51.a

INDEX.

Natura quare explicetur prius ab Aristot. in 2. Lib. Phy. quàm forma. 83.b
Natura constantia an habeant in se ipsis principium motus. 85.a
Natura an rectè diffiniatur ab Arist. 86.a
Natura an sit in subiecto. 92.b
Naturã esse an sit ridiculum probare. 93.a
Natura an dicatur tantum tribus modis. 106.a
Naturam agere propter finem, an sit verum. 126.a
Natura an sit nobilior Arte, vel è contrà. ibidem.
Natura an ignoretur, ignorato motu. 130.b
Necessitas triplex tractandi de tempore. 167.a
Nominibus æquiuocis an liceat vti, & quando sit licitum. 2.b
Nomine principiorum, causarum, & elementorum, quid Arist. intelligat. 3.a
Necesse est vnum esse principium, aut plura, quàm necessitatem dicat. 7.a
Nomina concreta quid significent, an subiectum, vel ipsam formam. 30.a
Numerus ternarius seruat rerum naturalium perfectionem. 60.b
Numerus, & mensura in tempore an sint idem. 196.a

O.

Omnia, aut quædam moueri, an sit suppositio. 19.a
Omne quod fit, an fiat ex sibi simili, seu ab vniuoco. 42.a

Omne

Omne an ex omni generetur. 65.a
Omnes partes diffinitionis an sint formę. 110.b
Occasio quid sit. 170.a
Occasio an possit dici præceps. ibidem.

P.

PArmenides, & Melissus an posuerint tantùm vnũ principium. 12.b
Parmenides, & Meliss. dicentes tantùm esse vnũ ens, an possint tueri. 13.b
Parmenides, & Melis. quomodo posuerint vnum ens, & quomodo plura. ibidem.
Parmen. & Melis. an confutentur ab Arist. vt naturalis Phylosophus, vel vt diuinus, vel vt Dialecticus. 21.a. & 27.a
Parmenides quomodo posuerit vnum principium, & quomodo contraria. 44.a
Partes an possint diffiniri per totum, sicut totũ diffinitur per partes. 32.b
Particula (ex) posita ab Aristot. in conditionibus principiorum, quomodo accipiatur. 47.a
Per principium vnum mobile, vel immobile, quid intelligat Arist. 10.b
Perfectio rerum seruatur in numero ternario. 60.b
Plato quomodo ab Arist. inter Phylosophos naturales connumeretur, & quomodo non. 33.b
Posse, & esse, an differant in æternis. 154.a
Principium vnum cur non diuidatur ab Aristot. per finitum,

finitum, & infinitum. 10. b
Principia an possint probari in scientia, in qua sunt principia. 14. a
Principiorum diuisio data à Latinis, an sit recta. 15. a
Principia oportet semper manere, an sit verum. 54. a
Principia rerum naturalium, an sint tria tantum, ita q. nec plura, nec pauciora. 59. b
Principia rerum naturalium quomodo sint vnum, quomodo duo, quomodo tria, quomodo quatuor, quomodo vnum suprà viginti, & quomodo infinita. 61. b
Priuationi si aduenial forma, an ipsa priuatio tollatur, & ècontrà verò, si subiecto aduenerit. 64. a
Priuatio an distinguatur ratione à materia. 65. a
Priuatio, & materia, an sint eadem numero, & subiecto. 65. b
Priuatio an sit principium per accidens. 69. b
Priuatio an sit absentia formæ. 71. b
Priuatio quomodo sit ens, & quomodo non. 72. b
Priuatio an sit accidens, & quomodo. ibidem.
Priuatio ad quod genus causarum reducatur. 73. a
Priuatio an sit causa, quòd materia apperat formam. 79. b
Priuatio an sit causa, quòd materia sit generabilis, & corruptibilis. 81 a.
Priuatio an sit quodam modo eadem cũ forma. 97. b
Præmissæ an sint conclusionis materia. 114. b
Proprietates loci an sint rectè ab Arist. traditę. 160. a

Prius, & posterius in motu, an sit causa prioris, & posterioris existentis in magnitudine. 173.b

Q.

Qualitas an possit fundari in substãtia citrà quantitatem. 26.a

Quare si quod generatur ex parte subiecti, vt in pluribus loquimur in recto casu; at ex parte priuationis in obliquo. 63.a

Quantitas an possit diffiniri à Mathematico sine materia. 101.b

Quantitas an sit genus commune. 134.b

Quiescens aliquod semper, an detur. 155.b

Quies an tempore mensuretur. 96.a & 200.a

Quies an habeat prius, & posterius. 196.b

Quies an sit priuatio motus. 197.b

Quies quæ habeat motum, an detur. ibidem

Quodlibet an generetur ex quolibet. 63.b

R.

Ratio Arist. in text. 11. 2. Lib. Phy. an rectè probet formam esse rei naturam. 95.a

Rationes exteræ quomodo à demonstratiuis differant. 169.a

Res naturales an per materiam sint diffiniendæ. 105.a

Repentè an rectè ab Aristotele describatur. 200.a

S.

S.

Scientia actu an detur de infinito. 153.b
Semen an sit prius ipso animali, vel ècontrà, animal sit prius semine. 127.a
Singularium an sit sensus, vniuersalium verò intellectus. 51.a
Sophystica ratio quomodo differat à litigiosa. 27.a
Substantia per se an sit finita, vel infinita. 23.b
Substantia sui prima diuisione quomodo diuidatur. 53.b
Substantia an contrarietur substantię. 58.a
Subiectum an sit prius prædicato. 57.a
Subiecta duo an sint duarum contrarietatum. 58.b
Subiecto si adueniat forma, an subiectum permaneat, ècōtrà vero si adueniat priuationj. 54.a
Superficies an sit pars corporis. 159.b

T.

TEmporis tractatus an sit necessarius ipsi philosopho naturali. 167.a
Temporis tractatus quare sit postpositus tractatui de loco, & de vacuo. 167.b
Tempus an sit motui intimius, quàm sit locus. 168.a
Tempus quid proprium, & quid commune habeat cum cœteris accidentibus. 168.b
Tempus esse, an sit inquirendum. 169.a
Tempus non esse motum circularem, an rectè sit probatum ab Arist. 169.b

Tempus

Tps an posit dici velox, vel tardum. 170.b. & 184.b. & 185.a.
Tempus an posit sentiri, & quomodo, & an sentiatur sensu exteriori, vel interiori. 171.b
Tempus an sit tantum, quantus est motus. 172.b
Tempus an sit numerus, & an sit numerus numerans, vel numeratus. 174.b
Tempus an sit quantitas discreta, vel cõtinua. ibid.
Tempus an diffiniatur ab Arist. per tps. 173.a
Temporis diffinitio an sit recta. 176.a
Tempus materialiter quid sit 176.a
Tempus formaliter quid sit. 177.a
Tempus quomodo se habeat respectu primi motus, & respectu aliorum motuum. 177.b
Tempus an multiplicetur ad multiplicationem motuum. 179.a
Tempus esse quare ab omnibus concedatur. 179.b
Temporis instans an sit vnum, & idē numero. ibid.
Temporis instans an si vnum est: tempus etiam sit vnum. 181.b
Tempus minimum secundum magnitudinem, an detur. 183.b
Temporis an detur maximum. 184.a
Temporis forma an sit qualitas discreta. 185.a
Tempus an sit numerus translationis, vel translati. 188.a.
Tempus an insequatur motum circularem tantum, vel etiam rectum. 188.b

Tempus quare potius sit diffinitum per discretum, quàm per continuum. 186.b
Tempus quare sit cognitu difficile. 186.a
Tempus quomodo sit compositum ex continuo, & discreto. 186.b
Tempus an possit prius mensurare vnam partem motus, quàm omnẽ motum. 191.a
Tempus an mensuret motum, & esse ipsius motus. 191.a
Tempus an metiatur res permanentes. 192.a
Tempus quare vadit in girum, seu quare sit circulare. 189.a
Tempus an prius nos certificet de motu, vel è contrà. 190.a
Tempus an excedat res in eo existentes. 193.a
Tempus an sit causa generationis, & corruptionis per se. 193.b
Tempus an mensuret æterna. 195.a
Tempus an sit quietis mensura. 196.a. & 206.a.
Tempus per quid constituatur. 196.a
Tempus an sit vnigenum cum motu, & qcte. 198.a
Tempus esse æternum, an rectè ab Arist. declaretur. 199.b.
Tempus insensibile, an detur. 201.a
Tempus an existat ad existentiam animæ. 203.b
Totum an sicut diffinitur per partes, ita ècontrà, partes diffiniantur per totum. 32.b
Totum an augeatur, & diminuatur, vna parte aucta, vel

vel diminuta. 38.a
Tractatus de causis, an in 2. Lib. Phy. sit superfluus. 108. a
Tractare de loco, an pertineat ad naturalem Philosophum. 157. a
Tractare de infinito, an sit munus naturalis Philosophi. 152. a

V.

VErba tex. 32. Primi Phy. illa, (Duo sunt modi ponendi,) quomodo sint intelligenda. 33. a
Via doctrinę ab Arist. data in tex. 2. Primi Lib. Phy. an sit recta. 4. b
Vniuersalium an sit intellectus, singularium verò sensus. 51. a



TYPOGRAPHVS,
STVDIOSÆ IVVENTVTI S.

SVperioribus annis vobis, (Studioſæ Iuuenes) pollicitus ſum emittere Ioannis Ludouici Charrarij præſtantiſsimi Philoſophi, atq; Excellētiſsimi Medici mei Typis excuſſa ſcripta, quæ in manus meas peruenisſent. Id verò eo libentius efficiendum curo, quòd intelligo vos eorum lectione delectari, ac ſummoperè iuuari. In præſentia itaq; hiſcè conciliationibus locorum inter ſe repugnantium in Quatuor Primis Libris Ariſt. de Phyſica Auſcultatione, quæ in hac prima parte continentur, contenti eritis. Deinceps Secundam Partem quàm citius ab Auctore eam eximere potero, q̄ libentiſsimè vobis impertiam; Nihil enim mihi potius eſt, quàm prò virili parte vobis Studioſis Iuuenibus prodeſſe; Interim Deum Opt. Max. rogemus vt nobis diù incolumem ſeruet hunc præſtantiſsimum virum, à quo maiora in dies expectetis velim.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM

SVPER PRIMVM LIB. PHYS. ARIST.

Io: Ludovici Chartarii.

Controuers. j. super tex. primo.

IESVS *illuminatio mea sit.* Arguit Arist. sic; Omnis methodus habẽs principia, aut causſas, aut elementa, cognoſcitur ex illorum cognitione, ergò de principijs primo eſt agendum, licet de alijs ſit etiam intelligendum, quæ omittit propter cauſam quam dicemus in ſolut. tertiæ controuer. Hæc ſua ratio nõ videtur cõcludere, pp ea, quæ ipſe habet in textu primo huius tertij lib. Phy. in quo hæc habet verba (Quoniam natura eſt principium motus, & mutationis, methodus autẽ nobis de natura eſt, non latere nos oportet, quid ſit motus, neceſſarium.n. eſt ignorato ipſo, ignorari & naturam;) ſi igitur ſua ratio hic concludit; pariter ex eius verbis adductis, ſic arguam, de natura non poteſt haberi cognitio abſq; motu ergò de motu prius eſt

An ratio Arist. qua probat de principijs primo eſſe agendum, cõcludat.

agendum, cuius tamen oppositū est ab Arist. seruatum, qui primo egit de natura in Secundo lib. demum agit de motu in Tertio subsequenti; antecedens rationis adductæ, satis patet ex Arist. verbis allegatis, qui dixit, ignorato motu, necessarium est, naturam ignorari; Amplius, nec sua ratio quicq̃ concludit, quia est Methodus resolutiua, quæ procedit à notione finis, resoluitq; rē in sua principia, quæ tamen non exorditur à principijs, vt est euidens; sed à fine, igitur in mèthodo resolutiua ratio Arist. nō procedet, cum in tali methodo à fine incipiamus; Primæ respondeo, & dico, quòd alio modo se habet de principijs, prō vt comparantur ad principiata, & alio modo se habet de motu cōparato ad naturam, motus comparatus ipsi naturæ, est eius effectus, natura verò est eius principium, & idcircò primō de natura, quàm de motu est determinandum, de principijs. n. in ordine cognitionis primō semper est agēdum; at in proposito de principijs aliter se habet, comparat. n. Arist. principia ad principiata, sicq; infert Arist. de principijs primō esse tentandum determinare, cum principiata ab illis dependeāt; Ratio etiam sua in qualibet methodo per se, & absolutē loquendo veritatem habet, si vero oppositū eueniat, hoc est per accidens,

An methodus resolutiua exordiatur à principijs.

ac

ac respectu nostri; Veritatem etiam habet sua ratio in qualibet methodo ordinata; at in methodo inordinata aliter potest euenire; & sicut methodus sūt diuersæ, sic quoq; principia ipsarum sunt diuersa, si in methodo resolutiua exordimur à fine, sicut facit Arist. Primò Moralium, vbi exorditur à fine, ab ipsa fœlicitate, finis ille est principium illius methodus resolutiuæ, at in methodo compositiua incipimus à principijs, à quibus res pēdet, ac constat, quæ sunt verè principia.

Controu. 2. super eodem tex. j.

An Aristot. ratio qua probat de principijs prius esse tractandum procedat ex equiuocis.

CVm Arist. in sua ratione, qua concludit de principijs primò esse tractandum, vtatur nomine æquiuoco, videtur ipse redarguēdus, in eum demq; errorē incidere, in quem incidisse dicet Antiquos, & quo infrà tex. 23. eos redarguet, quæ declaro, cū enim hoc nomen (Principium) sit multiplex, sicut ab eo declaratur infrà textu allegato, & ipsos damnat, qui inquirentes rerum principia non distinxerunt hoc nomen (Principium) nec declararunt quid nomine principij intelligeret, pariter, & ipse Arist. videtur obiurgandus, qui in hoc textu proponens de principijs esse agendum, vtatur eodem nomine æquiuoco, seù distinctionem illius nominis (principij) non tradat.

An liceat vti nominibus æquiuocis, & quo.

Dicendum est, non esse inconueniens vti nominibus æquiuocis, immò Arist. illis sæpè, & sæpius vtitur, benè est inconueniens vti nominibus æquiuocis æquiuocè. j. modò in vna, modò in alia significatione; Et hæc fuit doctrina Auerrois in Primo Post. com. 74 vbi dicit, ꝙ in demonstratione possumus vti nomine æquiuoco, at non æquiuocè, immò si vtamur nomine æquiuoco æquiuocè, tunc erramus, Et saluando nunc Arist. dico ꝙ ipse damnat rectè antiquos, quia vtebãtur nomine (principij) æquiuocè, modò in vna, modò in alia significatione, ipse tamen non est damnandus, quia licet hoc nomen (principium) sit æquiuocũ, nõ tamen eo vtitur æquiuocè, sed semper in eadẽ significatione, declarabitq; de quibus principijs sit tractãdũ, nempè de principijs generationis. s. de materia, forma, ac priuatione.

Controuers. 3. super eod. tex. j.

An Arist. sit sibi contrarius cum dicat omnis methodꝰ habens principia, aut

SIbi Arist. adhuc videtur cõtrarius in hoc presenti tex. Cum in maiori propositione, ac in eius probatione disiunctiuè loquendo, vtatur illis tribus terminis (principia, causæ, & elementa,) in conclusione demũm colligat tantũm de principijs esse tractandum (sicut dici solet) plus seminat in præmissis, quàm colligat in conclusione; Sicut

patet

patet ex notatis in lec, editis super hoc proemio, tollitur de facili hæc controuersia ibi. n. fuit dictum, Arist. per illa tria vnum, & idem intelligere, idcirco brævitati studens, colligens esse de principijs agendum, idem erit intelligendum de caussis, & elementis; cur verò disiunctiuè sit loquutus, causa ibidem est assignata; Sed præter ea, quæ ibi dicta sunt, nunc addo, Arist. per illa tria, diuersa intelligere, per principia. n. intelligit ea ex quibus res dependet in sui productione, seù in fieri, per caussas verò ea per quæ res ipsa cognoscitur, per elementa audit ea, per quæ res habet esse, seù ea, ex quibus constat; Et prò hac expositione intelligenda, notandum est, ad perfectam rerum cognitionẽ tria esse cognoscenda, nam primò opus est cognoscere ea, ex quibus res ipsa pendet in fieri, secundò opus est cognoscere ea, ex quibus res ipsa habet esse, tertiò ea; per quæ de ipsa habetur scientia; vt exempli gratia, de homine tunc perfecta habebitur cognitio, cum primo cognita erunt ea, à quibus homo dependet in sui generatione, demum ea, ex quibus constat, seù habet esse, vltimò ea, per quæ de homine ipso habetur scientia; Idcircò Arist. iurè vtitur particula disiũctiua, quia ipse manifestat ea, quæ requiruntur ad perfectam rei cognitio-

caussas, aut elemẽta, &c. de mũ in cõclusione tantũ de principijs concludat esse agendũ.

Quid Arist. intelligat per pncipia, per caussas, per elemẽta.

Ad perfectam rei cognitionem tria requiruntur.

nem, in qua primò sunt cognoscenda ea, ex quibus res dependet in fieri, & cum dependeat à principijs, idcircò principia erunt cognoscenda, quæ erunt tria; cum secundò sint cognoscenda ea, ex quibus constat, & habet esse, quæ duo sunt. s. materia, & forma, ideo elementa dicet Arist. esse duo; cum etiam sint cognoscenda ea, ex quibus de ipsa habetur scientia, quæ pendet ex causis, quæ erunt quatuor; idcircò principia considerabuntur in ordine ad rei productionem, elementa in ordine ad constructionem, causæ in ordine ad scientiam, sic q; loquitur disiũctiuè, quia licet in omni methodo perfecta tres istæ habitudines sint considerandæ, quia tamen non in qualibet methodo reperiuntur, idcircò iure vtitur particula disiunctiua, & dicit, (principia, aut causæ, aut elementa,) quia omnes inquàm istæ tres habitudines principiorum, causarum, & elementorum non in qualibet methodo considerantur, cum q; sic diuersa intelligat, studens bræuitati, tãtum colligit esse tractandum de principijs, & magis de principijs, quàm de alijs, quia hæc magis faciunt suo proposito, cum hoc tamen stat, q; idem sit de elementis, & causis intelligendum, cum hæc concurrant ad perfectam rei cognitionẽ; de principijs q; primò facit mentionem, quia

de

de ijs in Primo hoc libro pertractabit; & docebit qualia, quæ, & quot numero sint, secūdō de elementis disputabit in Secundo lib. & præcipuè in eius prima parte, in qua tractat de materia, & forma sub nomine naturæ, quæ materia, & forma sunt elementa, cum rebus conueniant nè dum in fieri, sed etiam in facto esse, qua elemẽtorum tractatione absoluta, aget ibi de causis, docebit q; causas esse quatuor, tamdem ibi in vltima parte, docebit naturam agere pp finem, vt doceat modum quo producuntur res ab ipsa natura, quæ cũ temerè non agat, sed propter finem, pariter & res naturales erunt propter finem; Ex quibus colligere licebit hoc proœmium nè dum esse, primi libri, sed, etiam secundi saltem virtute, est proœmium primi libri quo ad hanc conclusionem, qua concludit primō esse de principijs agendum, simulq; & in virtute est proœmium secundi lib. quia cum iam dixerit absq; notitia principiorum, causarum, & elementorum methodum non posse haberi, de causis, & elementis, de quibus iam est facta mentio, tractat in secundo lib. Et licet in probatione illius maioris dicat (tunc .n. arbitramus cognoscere, cum primas causas. prima principia cognouerimus vsq; ad elementa,) & apponat illam particulam (primas) quam

non posſuit in maiori ab eo accepta, ob hoc non eſt ſibi contrarius, quia hoc agit, vt det intelligere quando cognitio de aliqua re erit perfecta, quam tunc iudicabimus eſſe perfectam, quando talem reſoluemus cognitionem ad prima ex quibus producitur, vel ad prima ex quibus conſtat, ſeu habet eſſe, vel ad prima ex quibus cognoſcitur, referendo ſingula ſingulis, vt loquendo de principijs, cognitio tunc illa erit perfecta, cum eam reſoluemus ad prima principia à quibus dependet in ſui productione, quo verò ad cauſas, ſi eã reſoluerimus ad primas cauſas, per quas cognoſcitur, quo ad elementa pariter cognitio illa tunc erit perfecta, cum eam reſoluerimus ad prima elementa ex quibus conſtat, ac habet eſſe, non tamen ad prima ſimpliciter, & abſolutè, ſed ad prima in ſcientia. ſ. in qua verſamur, & ideo Ariſt. in ſecũdo huius, tex. 38. dicet, (ſemper vnius cuiuſq; cauſam ſummam oportet quærere) & in Primo Poſt. dixit, quòd quando principia non ſunt prima, non aquieſsimus.

Controuer. ſuper tex. 2. & 3.

An via doctrinæ tradita ab Ariſt. ſit recta.

IN iſtis duobus contex. docet Ariſt. viam doctrinæ, perquam apprehẽdere valemus cognitionem principiorum, & hoc dico præcipuè ſecundum Græcos expoſitores, ac

Auer-

Auerroem, qui sic hos introducunt textus, Quæ via doctrinæ, est ex nobis notioribus, huiusmodi autem nobis notiora sũt ipsa magis cõfusa, à quibus magis cõfusis erit exordiendum; Ideo ex secundo, & tertio contex. talis erit colligenda ratio; A nobis notioribus est exordiendum, & progrediendum est ad notiora natura, confusa magis sunt nobis notiora, ergo à magis confusis erit exordiendum, & prograediendum ad principia, quæ sunt notiora natura; Maior propositio istius rationis habetur in textu 2. Minor verò, pariter, & conclusio habetur in tex. 3. vbi per (cõfusa) non debemus dicere Arist. tantũ intelligere vniuersalia in multis, sicut exposuit S. Thomas; Nec pariter est dicẽdũ cum Simplicio, & alijs, Aristotelem (per confusa) intellexisse tãtum ipsa composita, Eo quia sic exponentes, faciunt q. Arist. nomine totius intelligat partem, quod declaro, confusum enim ne dũ significat ipsum vniuersale, sed etiam ipsum compositum, nam vniuersale dicitur confusum, eo quia subse plurima cõtinet, cõpositum etiam vocatur confusum, quia inse includit ipsa componentia, modo si per confusum Arist. intelligat tantummodo ipsum vniuersale in multis, vt censuit D. Thomas, vel ipsum compositum tantum, sicut censue-

re

te Græci, & Auerroes, patet quòd Arist. nomine totius intelliget partem; Insuper, neutra illarum expositionum est probanda, eo quia quælibet illarum reddit Arist. mancum, & diminutum in explicando hanc doctrinæ viam per quam philosophus naturalis elleuatur in hanc principiorum cognitionem, cũ ne dum per ipsa tãtum vniuersalia, sed etiam per ipsa composita ascendat in eorum cognitionem, quare hoc nomen confusum, accipiẽdum est in suo proprio significato, vt commune est, & ipsis compositis, & ipsis vniuersalibus quæ composita, ac vniuersalia sunt dicta ab Arist. confusa, propter causam paulò nunc supra adductam, sic q; (per confusa,) intelliget, & confusa quo ad intellectum sicuti sunt vniuersalia, & confusa quo ad sensum, quemadmodum sunt ipsa composita; At quomodocunq; exponatur illa particula (cõfusa magis) via hæc doctrinæ per quàm cognoscere valemus ipsa principia, de quibus esse agendum ab ipso Arist. fuit in fine textus primi propositum, non videtur conueniens, nec recta cum ex ea q̃ plurima sequãtur absurda, & præcipuè tria, quorũ primum est, q; idem à seipso dependebit, erit q; causa sui ipsius, si enim cognitio principiati depẽdet ex cognitione principij, & è contrà, cognitio

gnitio principij ex cognitione principiati, ergo idem erit causa sui ipsius, idemq; à se ipso dependebit, cum quicquid est causa causæ, sit etiam causa causati; Secundò sequitur q̃, idẽ erit prius, & posterius, notius, ac ignotius, cum namq; cognitio principiati dependeat ex cognitione principij, principiũ erit prius, ac notius ipso principiato, principiatũ verò posterius, ac ignotius, cuius totum oppositum erit, si cognitio principij depẽdeat ex principiati cognitione; Tertium absurdũ quod sequitur, est hoc, quòd magis notum cognoscetur per minus notum; quod sic deducitur, notum simpliciter est magis notum, q̃ sit notum secundum quid, vt principia sunt nota simpliciter, ut in tex. dicit Arist; consequẽter sequitur, quòd confusa erũt nota secundum quid, at cum principia cognoscũtur per ipsa confusa, ergo nota simpliciter, seu magis nota cognoscentur per nota secundum quid, seù per minus nota: Sed hæc omnia cessant et primum quidem, negando consequẽtiã eo quia si cognitio principiati depẽder ex cognitione principij & ècontra, cognitio principij ex cognitione principiati id tamen quòd infertur non sequitur, quia cognitio principiati non est causa adæquata cognitionis principij, regula autẽ illa adducta-

ducta, quicqd est causa causæ .s. adæquata est etiã causa causati, sic sit intelligenda; Insuper, illud argumentum nullum est, cum illud sit in diuerso genere cognitionis, cognitio enim principij est causa cognitionis principiati .s. propter qd, & distinctæ, ècõtra vero principiatũ est causa cognitionis principij .s. quia, & confusæ; Id autem quod inferebatur in secundo argumento, et quod pro incoueniẽti habebatur, illud nõ sit inconueniens in diuerso genere cognitionis, at in eodem benẽ est inconueniens; similiter est dicendum; non esse inconueniens, quòd magis notũ cognoscatur per minus notum cognitione confusa, & sic tollitur tertium argumẽtum vltrà quòd sit æquiuocatio in illo (simpliciter) cum Arist. per notius simpliciter intelligat notius natura ideſt ex sui natura, & nõ accipiat notius simpliciter vt opponitur ei quod est notius secundum quid.

¶ Super hoc proæmio ulterius non prosequor, quia q̃ plures aliæ cõtrouersiæ habẽtur in expositione istus proæmij iam ædita, ideo progrædior ad textum sextum:

Controu. j. super textu 6.

DIcit Arist. (Necesse est autem aut unum esse principiũ, aut plura) Notant Graeci expositores illud verbum (Necesse) dicere necessitatem, non autem vtilitatem; sed tunc difficultas est, quam necessitatem dicat, an necessitatem ex parte rei, an necessitatem ex parte diuisionis. conueniunt quòd dicat necessitatẽ ex parte diuisionis, minimè ex parte rei, eò, quia ex parte rei, seũ absoluta necessitate non est necesse vnum esse principiũ, aut plura, vt patet, si quis.n. negaret vllum esse principium, tunc nulla esset necessitas illius, quò circà volunt illud (necesse) dicere necessitatẽ ex parte diuisionis, eò quia diuisio data est per contradictoria; sicq; talis diuisio est necessaria; Sed huic sẽtentiæ Grecorũ ratio videtur obstare; cũ vnum, & plura non opponantur contradictoriè, cũ talis oppositio non sit penès affirmationem, & negationem, ergo illa diuisio minimè erit per contradictoria; Quod etiam confirmatur, quià vnum mẽbrum illius diuisionis continetur sub altero, quod maximè repugnat contradictioni, sub pluralitate.n. continetur vnitas. Respondendum est, Arist. (per plura) intelligere non vnum, ità quòd verborũ sensus sit, Principiũ, aut est vnum

Necesse est vnũ esse principium, aut plura, illud verbum (necesse) quã dicat necessitatẽ.

An diuisio principiorũ per vnum, & plura, sit per contradictoria.

aut

aut plura; .i. nõ vnum, & tunc patet, quòd talis diuisio est per cõtradictoria, & per cõsequens necessaria, sicq; tollitur secunda instantia, cum sub illo membro (non vnum) significato per illam particulam (aut plura) non contineatur alterũ membrum prædictũ; Et si quis obijciat q, adhuc talis diuisio non est per contradictoria, quia inter vnum, & non unũ, datur mediũ, videlicet non ens, inter contradictoria autem non datur medium; est respondẽdum, illud quòd obijcitur esse verum stante constantia subiecti, sicut dicunt Logici; Ex his colligatur quòd metho-

Methodus diuisiua est Methodus maximè scientifica,

dus diuisiua, est methodus maximè scientifica, sicut rectè dicit Ioann. Gram. quia nullus est, qui possit euitare membra diuisionis, vel saltem alterum; quis enim est, qui possit negare principiũ, vel esse vnum, vel non vnũ; cum de quolibet sit verũ affirmare, vel negare: Addendũ est, quòd illud uerbũ (necesse) poterit etiam dicere necessitatẽ executionis, cum enim sit determinandum de principijs, vt patet ex primo tex. necesse est tunc assumere, principiũ vel esse vnum, vel plura, ideſt nõ vnum, sicut iam est declaratum; Sed prõ maiori illius propositionis dillucidatione, est notandum, quòd hoc nomen (Principiũ) est commune, & principijs

Dum dicit Arist. necesse é aut vnum

com-

complexis,&incomplexisvt latè habetur ab Arist. Quinto Mataph.Cap. primo;Ideo dubitabit ille in quo nam significato hic accipiatur, Dicendnm est, quòd ab Arist.accipitur hic, vt dicitur de incomplexis, cuius ratio est, quia eius intentio in his libris est determinare de prinicipijs incomplexis rerum naturaliũ; Sed vlterius cũ principiũ incomplexũ dicatur de intrinsecis & extrinsecis,vt ibidẽ Quinto Metaph.cap. allegato. dubitabit ille, quomodò hic ab Arist. accipitur;Videbitur alicui, quòd prò vtroq; accipiatur, & primò prò extrinsecis, quod probabit aucthoritate Arist.Secundo huius,tex. 91. Vbi dixit Munus esse naturalis Philosophi magis considerare finem;quàm materiam tunc sic arguet, de illis principijs intelligendus est Arist. de quibus magis considerat naturalis,at ex aucthoritate adducta,naturalis magis cõsiderat de extrinsecis, cũ finis sit causa extrinseca, ècontrà est materia, ergò de extrinsecis verba Arist. erunt magis audienda;quòd verò de intrinsecis sit magis audiendus Arist; probabit hoc ex eius intentione, quæ est determinare in his libris de principijs intrinsecis; quid ergo erit dicendum, cũ hinc indè sit ratio, Procul dubio dicendum est, uerba Arist. esse audienda de

esse principiũ, aut plura, an loquat de principijs complexis,vel incõplexis.

Necesse est,aut vnum esse principiũ aut plura an loquatur Arist. de principijs intrĩsecis, vel extrinsecis.

intrinsecis, huic.n. solutioni maximè fauet argumentum vltimò adductũ, quod etiá cõfirmatur, cum Arist. diuisionem proposítam non ob aliud proposuerit, nisi vt in antiquos inuehatur, de quibus non meminit, nisi quatenus de principijs intrinsecis loquebantur signum ergò erit ipsum de intrinsecis intelligere; Ad auctoritatem aũt ex secũdo huius acceptã, erit dicendum, ibi Arist. accepisse finem, vt coincidit cum forma; Sed ulterius est notandum, quòd cum principiũ intrinsecũ sit comune rebus caducis, & æternis: quòd merito quis poterit quærere, de quibus principijs intrinsecis verba Arist. sint intelligẽda, an de principijs intrinsecis corruptibiliũ, an incorruptibilium; Erit dicendũ tantum de principijs intrinsecis corruptibiliũ Arist. esse intelligendum, & hoc probatur authoritate Simplicij in hoc Primo tex. 50. dicentis (hæc principia saluari in omnibus præterq̃ in æternis) quod & comprobat ibidẽ Themist. & Auerroes quoq; 1. Metaph. tex. 5. citans hunc locũ, sed ad quid in horũ insistere authoritate? cũ Arist. ipse in frà tex. 68. istius Primi asserat suũ sermonem esse de principijs coruptibiliũ? Sed obiectio satis conueniens est remouenda, quæ est hæc quod omnes ferè fatentur Arist. in his libris tra-

Necesse est aut vnum esse principium. &c.

An Arist. loquatur de principijs intrĩsecis corruptibilium, vel æternorũ

tractare de principijs comunibus oĩum rerũ naturaliũ, igitur & de principijs incorruptibiliũ quoq; ptractabit, si.n. excluserimus æterna, quomodò poterimus affirmare hic tractari de communibus principijs omnium rerũ naturalium; Respõdemus hæc principia omnibus rebus naturalibus esse comunia per quamdam analogiam, prius .n. his conueniunt caducis, quorum proportione, & analogia quadam ipsis attribuuntur æternis, sicq; in his libris tractantur communia principia omnibus rebus naturalibus.

Controuer. 2. super eod. tex. 6.

cur Arist non quærit primo de principijs an sint.

INcipiens Arist. tractationem de principijs ab eorum numero, videbitur alicui Arist. sibi incostans, ac suorum immemor præceptorum, cum non seruet ordinẽ qnæsitorum ab ipso traditum in principio 2. Post. vbi docuit primũ quæsitum de vna quaq; re inquirendum, esse quæsitum An est, cur ergò non quærit primo de principijs an sint? Huic quæsito affert Simplicius quattuor solutiones, quarum prima est, ꝙ non inquirit de principijs an sint, quia quærere tale quæsitum non est munus Physici, sed potius Metaphysici, cũ ipse habeat probare principia aliarum scientiarum: Secunda est Alexandri adducta hic à Simplicio in expositione tex. 8. vbi dicit

Alexander, quòd Arist: confutans positionem illorum qui ponebant vnum ens immobile, probat principia esse, talis enim positio cum neget motum, tollit principia, cum etiã principiũ dicat pluralitatem, ideo eam cõfutando Arist. probat principia esse; Quæ solutio nõ videtur approbãda, licet .n. Arist. reijciat talem opinionem quæ tollit principia, ob hoc tamen non est dicendum, quòd probet illa esse, immõ illa supponit, quod colligitur ex tex. 7. vbi vt dicit Ioannes Grãm: declarat eãdem esse quæstionem de ente, quæ est de principio, si sic, non nè ergò accipit ab illis principiũ esse? Ideo dat tertiã Simpl. quæ est, præceptum Arist. in initio 2. Post. esse intelligendũ, vbi nõ est manifesta notitia de quo quæritur, & vbi sit inter Authores dissẽsio, at in proposito nullus dissẽtit quin sint principia, immõ omnes concedunt ipsa esse, quõ circà non opus fuit quærere an principia essẽt, cum nullus antiquorum illa esse negauerit; Vltima solutio, quam dat Simpl. & quæ magis placet, est hæc, q omisit illud quæsitũ, quia principia in his libris sunt subiectum, quilibet autẽ artifex tenetur supponere suũ subiectum esse, cum nullo modo ab ipso possit probari; Sed statim dicet ille quarè igitur Arist. talem inqui-

rit

rit quæstionē? & eō magis cū talis quæstio sit metaphysicalis, cuius est inditiū, quia Arist. 3. Metaph. hoc met inquirit quæsitum, ac eisdem met ferè verbis; Altero duorum modorum respondeo, aut quōd Arist. alia, & alia ratione ductus tale proposuit quæsitum hic, & ibi, Ibi quidē vt cōmune est omnibus principijs; hic verō vt tantūm conuenit principijs rerum coruptibilium, alijs uerō per quādam analogiam, vt in præcedenti dictum est controuer. Aut est dicendum, quōd hic est inductus supremi Philosophi habitu, sicut & ipse dicet Arist. infrà tex. 11.

Controuer. 3. super eodem tex. 6.

An tractatū de principijs exordiatur Arist. à nobis notioribus.

POllicitus est Arist. super tex. 2. uelle exordiri à nobis notioribus, quod tamen non obseruat, cum non incipiat ab illis, sed potius exordiatur à nobis ignotioribus, non.n. exorditur ab his, quæ cadūt subsensu, sed ab his quæ cadunt sub intellectu, eum diuidere sit opus intellectus, est enim quidam discursus, vt patet. Dicendū est ipsū exordiri à nobis notioribus, seū ab his, quæ cadunt sub sensu, quod patet afferrēdo rationem Ioannis Grammat.; Quis enim est, qui non videat plura esse entia? non nè video vos audiētes esse plures, sicq; diuisio est data per sensata, & nobis notiora, merito. s. eorum

quæ cadunt sub diuisione.

Controuer. 4 super eod. tex. 6.

Quid intelligẽdũ sit p mobile, & ímobile.

DIcit Arist. (et si vnum, aut immobile, vt dicunt Parmenides, & Melissus, aut mobile, vt Physici:) In quibus verbis primò occurrit quærere, quid sit audiendum per immobile, cum.n. immobile dicatur tripliciter, sicuti, & quilibet alius terminus priuatiuus, ut inuisibile, insonũ, inodorabile, & quilibet alius huiusmodi, vt declarat Arist. 2. de Anima tex. 103. Quomodo igitur erit hic accipiendum inmobile; Illud dicitur immobile, quod nullo modo mouetur, nec est in potentia ad motũ, vt Deus; secundo modo accipitur, prò eo, quod est in potentia ad motum, licet actu non moueatur; tertio modo prò eo, quod cũ difficultate mouetur, in quo igitur nam significatu illud accipit Arist; Dicendum est in primo significatu illud accipere quoniam si in secundo, illud posset dici mobile, similiter & si in tertio acciperetur, vt patet: Addidit (vel mobile) vbi per mobile intelligatur quomodocunq; fuerit mobile, siuè actu, siuè potentia; Sed tunc occurrit difficultas cur non diuiserit principiũ vnũ, per finitum, & infinitum; sicut diuisit illud per mobile, vel immobile, ratio dubitandi est, quia Parmenides posuit illud

Cur Arist. non diuiserit principiũ vnũ, per finitũ, & infinitũ, sicut illud diuidit p mobile, &c.

illud finitũ, Meliſſus uerò infinitum, Similiter eſt difficultas, cur non diuiſerit ſecundum membrũ primæ diuiſionis nempe (plura) per mobilia, & immobilia, ſicut diuiſit per finita, & infinita; ratio dubitandi eſt, quia in hac poſitione antiqui fuere diſcordes Empedocles enim poſuit plura principia .ſ. quatruor vocata elementa, quæ tamen ſunt mobilia, Plato verò poſuit tria, ſed immobilia.ſ. magnum paruum, & ydeã; His reſpondet Alex. tripliciter, primo dicit, Ariſt applicaſſe vnicuiq; membro primæ diuiſionis illud q̃ ſibi erat magis propriũ, huic.n. membro, quod eſt eſſe vnum principium, magis conueuit eſſe mobile, uel immobile, quàm alteri membro, q̃ erat eſſe plura; & hoc declaro, qui enim dicunt plura eſſe principia, cumq; ex ipſis ponãt alia omnia generari, opus eſt quoq; vt illa ponant mobilia; alteri autem membro, quod erat, principia eſſe plura, adaptauit quod ſibi adhuc magis cõueniebat, videlicet finita, aut infinita, & huic ſolutioni aſſentit etiam Icannes Gram. Aſſert aliam ſolutionem Alex. quæ eſt, quòd probato, principia plura eſſe non poſſe infinita, reprobatum eſt etiam principium unum eſſe infinitum; Tertiò dicit Alex. quòd Ariſt. præ termiſit illas diuiſiones, quia nõ conferebant

Prima ſol. Alex. quæ etiã eſt Philo.

Secunda ſol. Alex.

Tertia eiuſdẽ ſol.

bant ad diuersitatẽ generationis entium, siue enim principiũ vnum fuerit finitum seu infinitum, ob hoc modus generationis entium non variatur, similiter si plura fuerint, vel mobilia, vel ĩmobilia, idcircò has tacuit Arist. tractãs tantũ eas, quæ modũ generationis entiũ uariabant; Quas solutiones omnes reijcit Simplic., primam quidem, quoniam huic membro, q̃ est (esse plura principia) infinitudo numeri magis conuenit, alteri verò mẽbro, quod est (esse vnum principium,) infinitudo magnitudinis magis aptatur, quæ nullo modo potest cõuenire illi mẽbro, quo ponuntur plura principia, si enim essẽt plura principia infinita magnitudine, opus esset, vt alterum esset in altero, ficq; esset corporum penetratio; Secũdã solutionẽ hoc pacto cõfutat, qa probato nõ esse plura numero infinita principia, pp hoc nõ sequitur, q̃ sit probatũ nõ esse infinitũ vnũ principiũ magnitudine, tale .n. vnũ principiũ erit magnitudine infinitũ, at numero finitũ, cũ tantũ vnum sit. Tertiã sic reijcit, qa falsũ est nõ variari modũ generationis, si illud vnũ principiũ ponatur finitũ, vel infinitũ, si .n. erit infinitũ, generatio tũc erit ppetua, & æterna recta linea, at si finitum, tunc generatio erit finita, quæ si

Confutatio prædict. sol.

dicitur

dicetur perpetua, erit ratione reflexionis; Idèo ipse Simpl. aliter soluit, dicitq; Arist. illas subticuisse brauitatis causa; Quæ solutio mihi nõ placet, quia sic esset facilè omnibus occurrere dubitationibus, quæ omissionis cuiuspiã causa euenirent; Idcircõ ego altero duorum modorum dicerem; vel quòd Arist. hic tantùm affert illas diuisiones; quæ suo proposito difficultatẽ mouebant, cum autem diuisio vnius principij per finitum, & infinitum, nullam pariat suo difficultatem proposito, illam omisit, qua etiam ratione, & aliam subticuit, nam reprobato principium esse vnum, reprobatum etiam erit illud non esse infinitum; Nec mihi quis obijciat, cur ergò diuisit vnum principium per mobile & inmobile; cum hoc nullam pariat difficultatem, quoniam cum probatum erit non esse vnum, similiter erit confutatum non esse inmobile; facilè respondetur, hãc diuisionem addidisse; quia hæc destruebat principia naturæ negando motum. Vel dicerem, Arist. non omisisse diuisionem vnius principij per finitum, & infinitum, immò illam aperte insinuasse illis verbis, dum dixit (& si vnum, aut immobile; vt dicunt, Parmenides, & Melissus) modò cuilibet constat, quòd alter finitum

Sol. simplicij.

Reijcit.

Vera solutio.

tum, vt Parmenides, alter infinitum illud vnũ ponebat, vt Meliſſus, ſicq; afferendo authores illius diuiſionis, inſimul illam adduxit diuiſionem, vt iam eſt notum.

Controuer. 5. ſuper eodem tex. 6.

An Parmenides & Meliſſus vnum tm̃ poſſuerint principium.

DVm inquit Ariſt. (& ſi vnum, aut immobile, vt dicunt Parmenides, & Meliſſus.) Obijcitur, quomodo Ariſt. dicat Parmenidem, & Meliſſum, poſuiſſe vnũ principium; falſum ipſis videtur imponere, non enim vnum ponebant principiũ, benè aſſerebant vnum ens, & aliud eſt loqui de ente, aliud de principio entis, quod patet, qui .n. ſtatuũt tantùm vnũ ens, nullam implicãt contradictionem, at qui ponunt vnũ tantũ principiũ, ſibi implicãt, nã vellint nollint, opus eſt vt fateãtur plura, cũ .n. dicunt principiũ, dicũt & illud, cuius eſt principiũ, ꝙ non euenit aſſerentibus tm̃ eſſe vnum ens, ꝙ patet quid .n. prohibet, vt ſit vnum ens re, ſint verò plura principia diuerſis rõnibus: Huic cõtrouerſiæ variè reſpõdetur: Auerroes dixit Ariſt. vti principio prõ ente; Quæ reſpõſio nulla eſt, qm̃ Ariſt. propoſitũ eſt quærere de principijs, nõ aũt de ente, & ideò redarguit ipſos, ac ſi loquerẽtur de principijs; Io: Grãm. videtur dicere, ꝙ etſi ãtiqui loquebantur de ente; eos tamen Ariſt. reprehendere,

Reſponſ. Auer.

Confuta.

Reſponſ. Io. Grãm.

quia

quia sua opinio ipsi displicebat, quare licet sermo eorum esset de ente, eos tamen confutat, dicit Ioannes; ac si de principijs loqueretur; Quæ eius solutio non minus est absurda, quàm illa Auerrois, qa non uideo rationem aliquam sui dicti; si .n. liceret reprehendere, cum quid displicet, quid iuris haberet tunc reprehendens? nihil; Alex. vt Simpl. refert, dixit Arist. horum adduxisse opinionem, non vt redargueret illos tanq̃ loquentes de principio, hoc .n. dicere non poterant, sed vt confutata horum opinione qui posuerũt vnum tantùm ens esse, a fortiori confutet vnum ponentes tantùm principium fore, si enim non potest stare opinio quæ ponit vnum tantùm ens, multo minus stabit illa quæ ponit vnũ tantùm principiũ cum sibi implicet; Sed in ipsũ insurgit Simplicius, dicens, oportet reprehendere Parmenidem, & Melissum, non autem alios ex ipsis, quia non est Aristotelicæ solertiæ persuadere opinionẽ incredibilem ex opinione magis incredibili; Idèo Simplic. aliam affert responsionem, asseritq; Arist. in hos inuehi, tanq̃ si loquerentur de principio, nomine enim entis vtebãtur prò nomine principij, sic què nomine tantùm differebant, nõ autem re, vt patet ex tex. 7. non iniuria igi-

Confuta

Respons. Alex.

Confuta

Respons. Simpl.

tur

tur in ipsos inuehitur, nec ipsis falsum impo nit; An vero Parmenides & Melissus dicentes vnum tantũ esse ens, verum dixerint, nunc non intendo examinare, quia hoc onus in presenti non assumpsi, sed tantũ concordare controuersias in dictis Arist. contingentes, si quis tamen vellit habere veritatẽ de opinione proposita legat Ioannem Picum in Lib. de ente & vno; qui ostendunt hos Philosophos vera dixisse, legere & poterit Marsilium Ficinũ in Parmen. Platonis, Ioãnẽq; Gram. hic, ac Simpl. qui multa de horũ opinione adducũt, ostẽdẽtes hos vera dixisse, dũ .n. ponebãt vnũ ens tãtũ, loquebãtur de Deo, qui verè vnus est, qui etiã verè meretur hoc noĩe entis, nullũq; aliud putabãt dignũ noĩe isto (entis,) nisi ipsũ Deũ, qui ĩmaterialis est, ac verè est per se, alia verò omnia esse vidẽtur p participationẽ quãdã, quarè asserẽdũ est, hos vera dixisse, dicẽtes vnũ tĩn esse ens, est .n. solũ vnum ens, Deus ipse, qui est per sui essentiam.

An Parmenides, & Melis. dicentes tm esse vnum ens, possint tueri.

Controuer. 6. super eodem tex. 6.

Quomodo Parmenides, & Melissus potuerit vnũ principium, & plura.

ITerum super illis verbis, (& si vnum, aut immobile, vt dicunt Parmenides, & Melissus;) occurrit controuersia adnotanda, quia in ijs verbis Arist. sibi videtur contrarius hic, & ĩfra tex. 41. vbi dicit Parmenidem

posuisse

posuisse duo principia .i. igem, & terram, hic verò dicit vnum tantum posuisse, & illud immobile; Dicendum est cum Simpl. hic, qui dicit Parmenidem duos edidisse libros alterum quidem inscriptum de veritate, in quo asserit tantum vnum esse principium, alterum verò quem inscripsit de opinabilibus, seu de apparentibus sensui, in quo affirmauit duo esse principia, & alterum vocabat lucem .i. igem, alterum tenebram .i. terram, infrà Arist. narrat opinionē Parmenidis, vt loquebatur de opinabilibus, seu de apparentibus hic autem, vt de veritate est loquutus.

Controuer. super tex. 8.

An principia possint probari in propria scientia.

DVm Arist. dicit, Munus Geometræ non esse contra negantem sua principia disputare, nec illius munus fore ipsa probare, quòd ideò dicit, vt probet, naturalem Philosophū non debere disputare contrà Parmenidem, & Melissum, cum & ipsi negent principia naturalia; Colligitur apertè nullius scientiæ munus esse sua probare principia, Cuius oppositum demum ab ipso colligitur, paulò infrà tex. ij. vbi probat inductione hoc principium (omnia aut quædam moueri;) Pariter in 2. huius probat omne agens naturale, agere propter finē, Materiam quoquè esse, probat in isto Primo lib:

ex

ex transmutatione, ipsam verò formam ex ipsa operatione, quæ materia, & forma sũt principia in naturali scientia; Adest ẽt ratio Eudemi adducta à Simplicio hic, qui sic arguit; Vel scientia potest probare sua principia, vel non, si primum, habetur intentum, si non, ergõ probabuntur ab alia, Inquiram de illa alia, vel potest sua probare principia, vel non; si sic, habetur intentũ, si non, ergo probabuntur ab alia, similiter inquiram de illa alia; sic què erit processus in infinitũ, vel erit deuenire ad vnam, quæ poterit illa probare, at processus in infinitũ non datur, quia nullius esset cognitio; si verò deueniendum est ad vnam scientiam, quæ probet sua principia, sicuti illa potest sua probare, principia, ità & vnaquæquæ alia poterit sua probare principia, aliter esset figmentum dicere vnam scientiam sua posse probare principia, aliam verò non; Quod ad huc sic comprobatur, Nullus artifex potest aliquid melius demonstrare illo, qui magis cognoscit, sed principia magis cognoscuntur in scientia illa, cuius sunt principia, quàm in alia, ergo principia in scientia propria poterũt probari; Adde, quõd Arist. hic disputat contrà Parmenidẽ et Melissũ nãliter, seù vt nãlis Philosophus, sicut hic asserit Simplici

us, ergō artifex poterit probare sua principia & cōtra negantes illa disputare, In oppositū autem sunt verba Arist: iam adducta, Quam eamdem habuit sententiam Primo Post. cap. 8. Accedit & ratio Simplicij hic, si artifex sua potest probare principia, vel à priori hoc aget, vel à posteriori; non primum, quia in scientia nihil est prius ipsis principijs, nec à posteriori, quia tunc peteret principiū, procederet enim ex naturalibus ētibus quæ ex principijs sunt, quæ nūdū sunt manifesta quarè nullo poterit modo illa probare; Vt distinctè ꝓcedā, ac vt veritas de facili elluce scat primō termini sunt declarandi, demū qd sic sentiendum adducam, soluamquè argumenta; Quō ad primū, Latini ferè omnes dixere, principia in triplici esse differētia, quæ dam sunt cognitionis tantum, quædā sunt principia essendi tantum, quædā sūt principia cognitionis & esse, principia cognitionis tantum sunt veluti Motus, pluralitas entium, qualitates sēsibiles, & huiusceemodi alia, hæc .n. sunt principia cognitionis, quia hæc deducunt nos in aliorū cognitionem; principia essendi sunt veluti Materia prima, forma, & priuatio, ac primus Motor, hæc .n. sunt principia essendi, siuè sunt principia rei, quia Materia prima, vt habetur ī fine huius primi

Distinctio Latinorum ꝺ principijs.

est

est principium rei in esse, & in fieri, priuatio verò est principiũ rei in fieri, primus Motor est principium rei productiuum, vt habetur in 8. huius, quæ tamen non sunt principia cognoscẽdi, nam materia prima est pura potẽtia, priuatio est negatio formæ in subiecto apto nato, quæ duo sunt difficilima cognitu, ob eorum minimam entitatem, res.n. quantò minus habent entitatis, tantò magis sunt cognitu difficiliores, & ideo infra tex. 69. dicet Arist; materiam cognosci per analogiam ad formam, priuatio verò nõ cognoscitur nisi per habitum, vt habetur 3. de Ani: tex. 25. Primus motor adhuc est difficilimæ cognitionis pp sui maximam entitatem, qui cum sit maximè in actu, excedit vires intellectus nostri sicq; nobis est difficilis cognitu, licet in sui natura sit maximè cognoscibilis, ex quibus patet hæc non esse principia cognitionis, cum principia cognitionis sint cæteris notiora, & alia ex ipsis probentur, non autem ipsa per alia; Principia cognitionis, & esse, sunt illa, quæ sũt causa cognitionis, & esse aliorũ quo modo sunt formæ substãtiales rerũ naturaliũ, hæc.n. sũt quodã modo principia cognitionis, quatenus per ipsas cognoscimus materiã potẽtiã ipsius, ac priuationem, sunt.n. principia essendi ipsis

rebus

rebus naturalibus, vt patet ex hoc Primo, & 2. lib. Phy. Dixi huiusmodi formas esse principia cognitionis quodam modo, eo quia ipsæ nō sūt prima prīcipia cognitionis, ideo ipsæ innotescūt nobis per aliud. s. ex operibus proprijs rerum naturalium, quæ sūt eorum actiones, vt clarè patet ex 2. lib. de Gen. & Cor: & ex 8. lib: Met. Hæc sunt quæ dicūtur à Latinis. s. à Iāduno, à Burleo, à Caetano Thienensi; quæ volui supponere, non tamen vt vera; nec ad Auerrois mentem, quem ipsi profitentur, sed quia quid esset sentiendū in hoc quæsito non poterat iudicari, nisi istis habitis. Quæ eorum dicta esse falsa, ostendo & primō, quia in ore omniū Peripatheticorum est, eadē esse principia essendi, & cognoscēdi, ergō eorum distinctio est falsa, Insuper, error ipsorū ex diffinitione scire elucescit, quæ est, scire est cognoscere rem per causſam ob quam res est, &c. ex qua patet diffinitione, quōd causſæ rei sunt causſæ etiam cognitionis, Quod adhuc manifestatur ex dictis ab Arist. in pri. tex. istius Primi, in quo dixit (Quoniam cognoscere, ac scire cōtingit circà omnes methodos, quarum sunt principia, vel causſæ, vel elemēta, ex cognitione horum, tunc .n. arbitramur, &c.). Vbi omnes expositores fatentur dicta Arist; intel

Reijcitur distinctio principiorum data à Latinis

ligi

ligi de principijs esse rei, ex quibus asserit Arist. cognitiõem in scietijs causari; Insuper falsum est illud dictum, in quo asserũt materiã esse causam essẽdi in rebus naturalibus, qa Themist. dixit in 2. lib. de Ani. t. 2. quòd res naturales habent à materia vt fiant, à forma verò vt sint; Quod clarius patet ex diffinitione Materiæ data ab Arist. vbiq;, quæ est; Materia est ex qua fit aliquid cum insit; non dicit quod materia sit illa, ex qua sit aliquid cũ insit, formam dicit esse illam per quam res est hoc aliqd, quaré hæc eorum diuisio est omittenda; Et dicendum est cum Arist. in j. Post. cap. 8. Principia quæd ã esse incomplexa, quædã uerò cõplexa. Principia incõplexa sũt illa, quæ à Latinis, & præcipuè à D. Thoma dicũtur principia subiecti principia verò complexa sunt illa, quæ uocãtur ab eisdem principia scientiæ, principia complexa subduiduntur ab Arist. ibidem j. Post. cap. 8. in communissima, quia sunt omnibus scientijs communia, quæ à Themistio ibidem dicuntur vaga, quia omnibus conueniũt scientijs, vt exempli gratia principium hoc, de quolibet est verum affirmare, vel negare; sunt alia quæ sunt communia nõ omnibus scientijs, sed pluribus, vt omne totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia demas quæ

Vera distinctio d principijs.

demas quæ remanent sunt æqualia, hæc .n. principia conueniunt, & Geometriæ & Arithmeticæ, non autem omnibus scientijs sunt communia; sicut demùm quædã principia, quæ sunt propria alicui scientiæ, vt Philosophiæ naturali motum esse; hæc est vera principiorum distinctio; Secundus terminus in controuer. positus, & declarandus est, scientia, vbi animaduertendum est, quòd scientiæ sunt in duplici differentia, quædam sunt cõmunes, quæ sic dicũtur, quia speculantur ipsum ens in sui cõmunitate assumptum, & sic est prima Philosophia, & Dialectica facultas; sunt aliæ scientiæ propriæ, & sunt illæ, quæ considerant partem entis; Ex his patet sensus controuersiæ propositæ, qui est duplex, alter est, An scientia comunis quæcunq; sit illa, possit probare principia complexa, seù cognitionis: Alius est sensus, An hæc cõmunis scientia possit probare sua principia incomplexa .s. subiecti; Tertius erit sensus, An scientia particularis, seù propria possit probare sua principia complexa; Vltimus est, an scientia particularis, seù propria, possit probare sua principia incomplexa, seù subiecti. Quibus declaratis satisfatio controuer. propositæ, quæ sicut cõtinet quatuor quæsita, sic, & illi respondeo, ponendo quattuor cõ- Solutio quæsiti.

clusiones; quarum prima est, Scientia cõmunis potest probare principia complexa, seu scientiæ contrà negantes; Quæ conclusio tripliciter probatur, & primò sic, illa quæ habent aliquam philosophiam, sunt ab aliquo probanda artifice, at pña complexa scientiæ naturalis, (& sicut dico de scientia naturali, hoc idem de principijs cuiuslibet alterius scientiæ intelligatur) habẽt aliquam philosophiã, ergò ab aliquo artifice sunt probanda; at nullus alius est, q̃ Methaphysicus vel Dialecticus ergò ij poterunt illa probare, si erint negata cum hæ facultates sint cõmunes; Secundò accedit, quòd hæc fuit Arist: sententia 4. Met. tex. 7. in quo textu hanc proponit quæstionem, An aliqua scientia possit probare principia alterius, soluit, q, sic, & eam esse metaphysicã asserit; Tertio negãs pña Metaphisicalia, vel Dialectices opus est, vt aliqd concedat, at quicquid concedet, spectabit ad illorum cognitionem, ergò ex tali concesso poterunt sua deducere principia, quibus deductis, probabunt deindè principia aliarum; Nec est, quòd quis dicat, quòd negans pña, nihil concedet; eo qa si sic, cogetur negare duo cõtradictoria, at principiũ Metaphysicale, & dialecticũ est, de quolibet esse verũ affirmare vel negare, quo cõcesso ad alia pcedere poterũt

ex

ex ipso; Secunda conclusio, scientia communis potest probare principia incõplexa seu subiecti; Quæ conclusio probatur hac tãtùm ratione; Non repugnat, quòd in scientia cõmuni sit aliqd nobis notius huiusmodi principijs, & demonstratio ex nobis procedit notioribus, ergò scientia cõmunis poterit probare principia subiecti per illa notiora. Tertia conclusio, principia complexa, seu alicuius scientiæ particularis in nulla scientia particulari possunt probari: Hæc cõclusio probatur dupliciter, primò, quia nec demonstratione ostensiua, nec ducente ad impossibile, ergò nullomodo; Antecedens probatur quo ad primam partem, nam omnis demonstratio ostensiua est ex nobis notioribus, at nihil est notius in scientia particulari ipsis met principijs ergò, &c. Nec demõstratione ducẽte ad impossibile, qa in tali demõstratione deductio sẽp fit ad aliq magis absurdũ, ac ad aliqd magis falsũ, q̃ sit oppositũ cõclusionis probãdæ, sed in scientijs nihil est magis falsum, q̃ sit oppositũ primorũ principiorũ, vt habetur ab Arist. 1. Post. in fine Cap. 2. ergò &c. Secũdo Nullus potest demõstrare illa principia, quæ nulli sũt dubia, at talia principia nulli sũt dubia, ergò &c. Vltima cõclusio; Scientia particularis potest pbare sua principia incomplexa,

seù subiecti; Quæ conclusio probatur ex Auerroe Primo Phy. Com. vlt. & ex 7. eiusdē Com. 22. & 26. ac ex 12. Met. Com. 5. in omnibus his locis docet Auerroes principia subiecti posse demonstrari: Insuper hæc est consuetudo Arist. cum hoc agat in Physicis, similiter, & in Logica, ac in Metaphisica, ergò ex quibus conclusionibus qd sit respondendum rationibus in oppositum adductis erit manifestum.

Controuer. super text. 9.

An cōtrapositiones faisas sapientū sit disputandum.

DIxit Arist. Primo Topi. Cap. 9. Positionem Parmenidis, & Melissi esse disputandam, eò quia positiones virorū famigeratorum sunt disputandæ, Cuius oppositum hic apertè dicit: Insuper Aristot. in textu præcedenti dixit, disputare cōtrà horum positionem esse munus scientiæ superioris, aut communis omnium, hic verò innuere videtur nullius esse, Primæ respondeo, positiones virorum sapientum esse disputādas .s. meritò viri ponentis talem positionē, sicq; ibi intellexit, at cum hic dicit oppositum, dicendum est, non esse disputandas .s. meritò rei; Secundæ satisfacio, dicoq; quòd in textu præcedenti considerabat prædictā positionē, quatenus .s. solùm auferebat principium scientiæ naturalis, idcircò contrà eam

differere

differere erat munus scientiæ superioris, aut omnium cõmunis: hic autem eam cõsiderat non solũm quatenus remouet principia scientiæ naturalis, sed etiam vt est inapparẽs, atq; penitus inopinabilis, sicq; ait nullius esse munus contrà eam disputare.

Controuer. super tex. 11.

An ośa, aut quædam moueri sit suppositio.

NObis autem supponatur ea, quæ sunt natura, vt omnia, aut quædam moueri;) Difficultas est, quomodò quædã moueri sit suppositio, cum id non sit censendũ suppositio, quod medio priori potest probari, at naturalia moueri, ex ratione rerũ naturalium possumus probare, igitur hæc nõ erit suppositio; Augetur difficultas, quia Arist. in 8. huius, visus est hanc probasse, cũ enim probauit, impossibile esse omnia esse immobilia, non nè deducit quædam moueri? Huic difficultati sunt tres modi respondendi, Primus est ex Ægidij doctrina, quòd nõ potest hæc propositio probari à priori, arbitratus est .n. Ægidius medium in demõstratione non posse esse diffinitionem subiecti, hinc ipse asserit, passionem primam, & vniuersalissimam cum suo subiecto proprio cõstituere propositionem per se notam, ac immediatam, cum ergò hæc sit rerum naturaliũ prima passio, erit ergò hæc propositio indemonstrabilis.

monstrabilis; At nunc cum non sit æquum differere quæstiones logicales, ideò solutionem hanc veluti falsam, & à mẽte Arist: alienam, ex declaratis ab ipso in 2. lib. Post: arbitror, ibi n. clarè habetur, de passione præsupponi quid nominis, sed non an sit, immò hoc probatur; Est secundus dicendi modus Burlei, Pauli Ven. qui dicunt non repugnare vnam met propositionem, & suppositum esse per se notum, & esse etiam demõstrabile, sed in diuersis generibus demonstrationum, vt exempli gratia, motum esse, est per se notum, notitia quia, est verò demonstrabile notitia propter quid, veluti etiã antiquiores philosophi, eclipsim esse, prius sẽsu ipso cognouerunt, demũm ipsam demostrarũt per causam, Qui dicendi modus nec etiam est rectus, sunt n. hæc diuersa quæsita, quia est & quid est, vt habetur ab Arist. 2. Post; & sicut sunt diuersa quæsita, sic quoq; sunt diuersa suppositа, ac diuersa demonstrabilia, aliud quid est supponere motum esse, & aliud propter quid sit motus, quare eum hic sit sermo de esse motus, non de propter quid, iam vnusquisq; videbit hãc responsionem esse extra propositum; Est igitur vltimus dicendi modus, qui (ni fallor, est Alexandri,) qui dixit talem propositionem esse suppositionem,

respectu

respectu nostri, non secūdū naturā, quam respectu nostri nō egere aliqua dixit demonstratione, cum sensu pateat, distinxit enim ipse principia penès naturā, & penès nos, volluitq; quòd hic esset sermo de principijs respectu nostri: Ego autem aliter responderem, & ex mente Arist. 1. Post. Cap. 8. vbi docuit duplicem esse suppositionem, alterā simpliciter, quæ talis suppositio simpliciter est indemonstrabilis, alterā dixit esse suppositionem s. respectu addiscētis, quā dixit posse demōstrari, sicq; in numero illarum hanc esse affirmarem.

Controuer. super tex. 12.

ARist. hic non videtur sibi constare, cū iudicet positionē Parm. & Melis. esse disputandā, At suprà tex. 8. & in subsequēti iudicauerit oppositum, nempè nō esse disputandā: Dixit Io: Grām. inhærēdo his quæ dicta sūt suprà in sol. Controu. sup. tex. 9. quòd Arist. hic censet talem positionē esse disputandā ex meritis personarū, & suprà negauit, dixitq; nō esse disputādā iure .s. ipsarum positionū; Quæ responsio pfectò est Peripathetica, cāq; sū insequutus sup tex. 9. in solut. cōtr. ibi motæ; Sed an cōueniat verbis Arist. hic, nūc sū dubius, cū pbet Arist. ex cōditionibus rei esse disputādā, vel qa de natura

An cōtra Parmen. & Meliss. sit disputandum à nāli Phil.

erat sermo, vt Porphyrius, & D. Thom. exponunt, vel quia essent naturales quæstiones, vt Themist. & Alex. dicunt; Aliter respondent Latini, dicũtq; superius Arist. probasse iuribus naturalibus id fieri non posse, at hic id concedit habitu Metaphysicali, & hæc non sunt contraria; Quæ responsio est difficilis, quia inter rationes ab Arist. adductas, deductum est, quòd nec à Metaphysico, nec à Naturali eorum positio erat disputanda, quia dicebant inapparentia, ac penitus inopinabilia, sicut ẽt suprà in solutione cõtrouer. super tex. 9. fuit dictum: Quo circà aliter responderem, & dicerem suprà probatum fuisse, quòd ex meritis rei non erat disputanda longiori, & exactiori examine; hoc autem hic iudicat, tũm ex meritis personarũ, tũm ex ipsa opinione secundum se, sed altiori habitu, vt Metaphysicali, quod discuti aliquantulum potest, sicq; hucusq; conueniunt omnes datæ responsiones, ẽt sic non recederem ab interprætatione D. Thomæ in calce istius tex. qui sic exponit; Sed in hac respõsione solũm occurreret hoc quæsitum, si hoc negotium est Metaphysicale, cur non seruatum est suo in loco, vt ibi examinetur; Erit dicendum, quòd ibi etiam, sed diffusius examinatur, at hic ex iam assignata ratione: Vel

quia

quia erat sermo de natura, vel de naturalibus dubitationibus: Aut ne daretur alijs errandi occasio: Possumus etiam addere id esse factũ ad abundantiorem doctrinam, remq; potius esse dictam, q̃ discussam.

Controuer. j. super tex. 13.

DIfficultas est satis difficilis, quo nã habitu vtatur Arist. dum contradicit Parmenidi, & Melisso, an vt naturalis Philosophus illos confutet, vel vt Metaphysicus vel vt Dialecticus: Et hinc indè sunt rõnes; Quòd procedat in hac disputatione habitu Metaphysico, conuincit hæc ratio, quia hæc disputatio procedit ex diuisione entis, quod est subiectum in Metaphysica, ac ex diuisione vnius, quod est eius passio; Quòd verò hæc disputatio sit naturalis, sic probatur, quàm plurimæ adducuntur hoc in loco propositiones naturales, ex qbus oritur ipsa disputatio, qualis est illa propositio, quòd cõtinuum est diuisibile in infinitum; Quòd sit dialectica, patet ex hoc, quia eius rationes sũt communes; Et ideò Simplic. etiam incõstãs & varius in hac re sibi videtur: Quòd enim hæc disputatio fieret habitu naturali, dixit suprà in expositione tex. 8. dicebat .n. Arist. procedere ex significationibus entis particularibus, quæ postea erãt principium; Quòd verò

An Arist. confutet Parmenidẽ, & Melis. vt naturalis, vel vt diuinus Philoso. vel vt Dialecticus.

VENEZIA

verò induceretur hic habitu Metaphysico; asserebat in tex. 12. dum exponebat illa verba (Habet.n. hæc consideratio philos.) In expositione autem præsentis contextus asserit Arist: disputare rationibus logicis, seu dialecticis, sicq; varius, & inconstans videtur esse; Istius essem opinionis, hæc nõ esse cõtraria, immõ dicerem hãc disputationem aliquomodo esse metaphysicalem, aliquomodo naturalem, aliquomodo dialecticam; Metaphysicalis quippè erit, eõ quia accipit quã plurimas propositiones illius artificis, vt dẽ probat, omnia non esse vnum ens, accipit ens vt significat omnia prædicamenta; At accipiendo ens, vt significat substantiam rãtũm, vel accidentia tantũm, poterit dici naturalis. Dicetur verò logica, nõ ex rebus pertractatis, ità quòd sint logicales, sed ex modo, quo pertractantur, veluti quòd sint communes, & vniuersales, habetur enim ex Auerroe Primo Cœli com. 70. quòd logica demonstratio dicitur illa, quæ procedit ex veris propositionibus, non autem proprijs, sed communibus; Idem 4. Phy. com. 87. ac 8. Phy. com. 70. quo etiam modo interprætatur logicas rationes, Alex. 3. Phy. tex. 19. referente Simplicio, ibi.n. varios interprætatur modos, quibus aliqua ratio potest dici logica, seu dialectica,

vel

vel quia ex probabilibus procedit, vel quia in solo sermone sua fides cõsistat, non autẽ a rebus sit confirmata, quo mõ erant rõnes Zenonis destructres motũ, vel quia ex cõmunibus procedit; Hoc idẽ docet Arist. 2. de Gener. Animal. cap. 6. Vbi inquit, Dialecticam appello rationem, quia quõ vniuersalior, eo est remotior à proprijs principijs; Et primo de Ani. tex. 11. hac ratione dixit diffinitiones dictas fuisse dialecticas; Si igitur ex modo procedẽdi rõnes istæ iudicentur, erunt dialecticæ, si ex radice secundum sui præcipuam partem erũt Metaphysicæ, si ex aliqua particula, erunt Physicales, sicq; omnia conueniẽt, cõciliabũturq; dicta etiam Simplicij.

Contraner. 2. super eod. tex. 13.

VOlens Arist. confutare positionẽ Parmen. & Melissi, qui dicũt tantùm esse vnũ ens, dicit, Principiũ maximè proprium esse hoc, (ens dici multipliciter,) sic arguendo videtur petere principiũ, & ponere pluralitatẽ entiũ, quam debet probare & non supponere; Respõdent Burleus, & Paulus Ven. hoc intelligi posse disiunctiuè, vel copulatiuè, si accipiatur ens dici multipliciter copulatiuè, sic est petere principium, sic enim est dicere multa esse entia in simul; Si verò accipiatur disiunctiuè

An Arist. in tex. 13 dum accipit ens dici multipliciter petat principium. Sol. Burl. & Pauli Ven.

ctiuè, sic non petitur principium, quia non ponuntur plura entia, sed dicitur, quòd ex entibus plurimis ponendum est vnum; Quæ dicta non arbitror Peripatherica, primò quia ens copulatiuè sumptum, dicitur multipliciter, non autem disiunctiuè acceptum, sicuti & quodlibet nomen æquiuocum, non ne canis disiunctiuè sumptus significat canem terrestrem, canem marinum, et canem cœlestem, sed copulatiuè, similiter, & ens: Præterea à Arist. hoc in loco contradicens cuicunq; significato entis, accipit ens copulatiuè: Auerroes dixit, Arist. accipere tamq; famosum, ens dici multipliciter, Ideo nil mirum, si supponatur; Quæ responsio non facit satis, quia idem est supponere secundum famositatem ens dici multipliciter, & supponere multa esse entia secundum famositatem, quod ipsi negabunt; Amplius quia antiqui dicent, quòd & si illud sit famosum, esse tamen falsum; Est igitur Græcorum solutio, qui dicunt Aristot. seruare suum peculiare præceptum, quod est in qualibet quæstione semper opus esse distinguere, quid significet nomen, demum qd sit addiscere, sicq; in præsenti, quod præceptum sumpsit à Platone in Phedro, dicente, in qualibet disputatione semper à pño opus esse quærere quid sit illud, de quo est disputatio,

Confuta.

Sol. Auerrois.

Confuta.

Sol. Græcorum.

tatio, aliter necesse est errare, hoc igitur præceptum seruat Arist. & distinguit, quid significet hoc nomen ens, inquiritq; quid sit illud ens, & hoc non est supponere multa esse entia; In istis autē textus verbis duo sunt adhuc obseruanda, & primum est illud verbum (Principium) quod quandoq; accipitur prō principio incomplexo, & idem est quōd causa, quomodo acceptum fuit in tex. primo, aliquandō accipitur principium prō principio complexo, quo quidem modo illud Arist. hic accipit, Ideo dicit (principium maximè omnium proprium, est ens dici multipliciter) patet, quōd accipit principium cōplexum; Secundum quod est obseruandum, est hoc, ex his tex. verbis colligi in Scot. ens non esse vniuocum cum dicatur multipliciter sicut patet ex textu, ac ex Antèprædic. & ex 5. Met. cap. 7. & ex 7. eiusdem tex. 10. Nec valet responsio sua ens dici multipliciter, multiplicitate suppositorum, non autem multiplicitate significationum, quæ suppositorum multiplicitas non impedit vniuocationem; Quōd hæc responsio nō sit ad mētem Arist. ex dictis prælegatis potest quilibet perspicere, Arguit enim Arist. sic dicentes vnum esse principium ex diuisione entis, super quam diuisionem constituit suam ratio-

An ens sit vniuocum.

tionem,

rionem, ex qua clarè patet de multiplicitate significationū esse Arist. sermonē; Præterea si Arist. supponeret entis plurima esse suppositā, incuitabiliter sua ratio peteret principium, cum Antiqui tantùm vnum ponāt ens; Quōd etiam expressius habetur infrà tex. 25. disoluens argumentum Parmenidis, q̄ erat tale; Quicquid est præter ens, est non ens, q̄cquid est non ens, est nihil, ergò tantùm est vnum ens, dicit Arist. hoc suum argumentum peccare fallatia æquiuocationis, quod nō esset verum, si ens tantum diceretur multipliciter penes suppositā.

Controuer. super tex. 15.

An substantia p se dicatur finita, vel infinita

DIcit Arist. substātiam nō dici infinitam, nisi per accidēs: Ex altera parte Io: Gram. sic instat; Corpus est substātia, & tū corpus dicitur finitū, vel infinitū, ergò substātia dicetur finita, vel infinita: Præterea, Deus est substantia, qui dicitur infinitus, ergò & ipsa substātia dicetur infinita; Vt hæc argumenta, & cō similia de facili tollantur, notandū est, finitū duobus accipi modis, vno modo, vt dicit extensionem, quæ suis terminatur terminis, alio modo, vt dicit structurem, similiter & infinitum bifariam accipitur, vel vt dicit extensionem

sionem, quæ caret terminis, vel vt significat virtutem, si primo accipiantur modo, vt dicunt extensionē, sic per se tantum conueniunt quanto, per accidens verò ipsi substātiæ; Si autem accipiantur, vt dicunt virtutem, tūc per se cōueniunt ipsi substantiæ. Ex his soluuntur argumenta, cū .n. dicitur corpus esse substantiā, & corpus dici finitum, vel infinitum, Respondet Io: Gram. quòd si corpus assumatur vt est substantia constans ex materia & forma illud dicitur finitum, vel infinitum virtute, non tamen extensione, at si capiatur corpus, vt dicit quantitatem, sic erit per se finitum, vel infinitum secundum extèsionem; Similiter dicendum est de Deo, ipsum dici finitum, vel infinitum, secundum virtutē, minimè secundum extensionem; Ex quibus met verbis Arist. elicitur, manifestè substantiam realiter esse distinctam à quantitate, cum enim finitum, & infinitum, vt dicunt extēsionem soli quanto per se conueniant, substātiæ verò per accidens, substātia ergò realiter erit distincta à quantitate, cuius oppositum tenēt Nominales, quod omitto, quia nunc non intēdo examinare quæstiones has, sed tantùm concordare controuersias, quæ in dictis Aristotelis videntur occurrere, qua etiam ratione omittam quæstionem de toto, &

par-

partibus, an totum sit realiter distinctum à partibus, & alias consimiles, quæ longo egẽt examine.

Controuer. j. super tex. 17.

Continuum est diuisibile in infinitũ; quõ.

IN principio istius contextus probat, omnia non esse vnum ens, vt continuũ, quia qui sic dicent, aliquam admittẽt multitudinem, quod sic probat, Quod est diuisibile in plura dicit multitudinem, continuum est diuisibile in plura, ergò dicet multitudinem, probat mi: per diffinitionem continui, quæ est, continuum est, quod est diuisibile in infinitum; quod cõtinuũ alio modo diffinitur ab ipso Arist. in Præd. quantitatis, vbi dicit, continuum illud est cuius partes terminatur termino communi: Et alio modo diffinitur 5. Met. Cap. de Vno, vbi dicit, Continuum est illud, cuius per se motus est vnus: Que diffinitiones, seù descriptiones omnes sunt veræ, & præcipuè illa, quam hic affert, cum sæpius ab ipsomet Arist: sit repetita, vt 3. huius tex. 31. & 69. Primo Cœli tex. 2. ac primo de Gen: & Cor. tex. 9.; Quæ descriptio uerificatur considerando continuum ratione materiæ, ex qua constat, consideratio autem naturalis Philos. maximè est secundum materiam, At in præd. quantitatis ipsum considerauit continuum formaliter, & hoc, quia consideratio

logici

Logici est magis circà formam, quæ continui descriptio formalis erit perfectior, quàm prima, quia hæc explicat continuum per vnionem partium suarum; si vero continuum cõsiderabitur per extrinseca, sic alia descriptio eius data veritatem habebit: Sed contrà primam descriptionem sæpius ab Arist. replicatam, occurrit Themist. difficultas, quæ est, quod pars à toto non potest separari, nec quodlibet continuum potest diuidi, Cœlum nãq; & si continuũ sit, non tamẽ potest diuidi. Respõdet ipse, iam factũ esse satis desiderio Arist. cũ aliqua saltem potẽtialis admittatur multitudo in Cœlo, similiter & in alijs.

Controuer. 2. super text. 17.

IN fine istius contextus videtur persuadere Arist. totũ distingui à parte, hac ratione; si totum identificaretur alicui partium, sic & omnibus, sicq; esset indiuisibile, parteſq; insuper essent adinuicem eadẽ, quia quæ sunt eadẽ vni tertio, sunt eadẽ adinuicẽ; Quod dictũ patitur difficultatẽ, & primò in naturalibus, Actio, & passio sicut habetur in Tertio huius identificantur in motu; sunt n. vnus, & idẽ motus, quæ tñ adinuicẽ realiter distinguũtur, ergò quæ sunt eadẽ vni tertio, nõ sunt eadẽ adinuicẽ. Etiã in diuinis sic instatur, paternitas, & filiatio in essentia sunt

An quæ sunt eadẽ vni tertio sint eadẽ adinuicẽ.

idem, si quis autem diceret, hæc duo esse eadem realiter, talis esset ab ecclesia segregandus: Profectò ita est, quod actio, & passio in motu sunt idem re, similiter paternitas, & filiatio in essentia, quæ licet sint inter se eadé re, differunt tamen adinuicē ratione; At Arist. est intelligendus de ijs, quæ sunt eadem re, & ratione in vno tertio, illa esse eadem inter se, idcircò argumētū nō procedit, quāuis autem sint aliqui, quæ sint eadem re rātum vni tertio, ratione verò differant inter se, ob hoc non sequetur illa esse eadem adinuicem, & sic est instantijs adducendis.

Controuer. super tex. 18.

An Arist. ratio in tex. 18. cōtra antiquos cōcludat.

DEstruit Arist. non esse vnum ens, vt indiuisibile, quia si sic, nullū esset quārum, nullum esset quale, sicq; ruent antiquorum positiones, quia illud ens non erit infinitum, vt arbitrabatur Melissus, nec erit finitum, vt iudicabat Parmenides; Arguent sic Arist. primò videtur suæ authoritati repugnare, quia tertio huius tex. 34. dicit, pūctum esse infinitum; Etiā videtur repugnare rationi, quòd n. non habet finem est infinitum, indiuisibile caret fine, igitur erit infinitum: Dicerem infinitum dupliciter accipi, negatiuè, & priuatiuè, priuatiuè quidem non potest esse punctum infinitum, quia nō habet

habet facultatem, vel potentiam, qua finiri valeat, at negatiuè potest dici infinitũ idest quòd careat fine, sicq; conciliantur verba Arist. & ratio; Sed adhuc instabit ille, & dicet argumentum Arist. non procedere dicentis, si esset vnum ens nullum esset quantũ, nullum esset quale, quia sic arguens, supponere videtur, qualitatẽ esse diuisibilem, quod est falsum, Immò argumentum procedit, cũ qualitas non possit fundari in substantia citrà quantitatem, sicq; si quale non sit per se diuisibile, saltem est per alterum diuisibile, s. ratione quantitatis; Insurget adhuc ille, solutionemq; hanc esse dicet falsam, cum supponat qualitatem in substantia minimè inniti posse absq; quantitate, quod est falsum cũ sit dare instantiam de intellectione, quæ est qualitas quæ fundatur in anima, quæ minime est quanta; Suessanus, & quàm plures alij dicunt qualitatem in substantia minimè fundari posse absq; quantitate, ad argumentum, dicunt, quòd sicut in Deo, & in intelligẽtijs non reperitur aliquod accidens, sic nec in anima, quia accidens fundatur in substantia diuisibili, at anima est substantia indiuisibilis; Qui sic dicentes quàm maximè decipiuntur, cum intellectio inq; ipsi innitatur animæ; Quarè est dicendum; quòd Arist. dum

An qualitas possit in substãtia iudicari citra quantitatem.

dicit, si esset vnum ens tantum, nullum esset quantum, nullum esset quale, addendum est materiale, hoc.n. quale materiale est diuisibile, ad instantiam de intellectione, tunc patet solutio, cum intellectio sit accidens spirituale, non autem materiale.

Controuer. super tex. 22.

An sit facile soluere rationes cõtentiosas.

DIcit Arist. non esse difficile soluere rationes, ex quibus ostendunt, eõ quia vtriq; contentiosè syllogizant: Cuius rotum oppositum experientia dictat, cum arduum, ac perdifficile sit illis occurrere: In primis est hic notandũ, quòd Auerroes in textu suo legit (cõtradicere) qui textus non est approbandus cum Arist. illorum rationes propriè loquendo magis soluat, quàm illis contradicat. Insuper, Auerroes exponens illa verba (non est difficile) decipitur, dicit.n. non esse difficile, sed facile contradicere eorum syllogismo, eõ quia facilius cõtradicuntur sermones sophystici, quàm disputaui, in hoc inquãm decipitur, cũ potius oppositũ sæpius eueniat, quia vt dicit Arist. Primo Elench. etiã decipiuntur sapiẽtes, oportetq; prius nodum cognoscere, & disoluere, hoc autem est difficilius, quàm disputare per probabiles rationes. Insuper est attendendum illud verbũ (vtriq;.n. con-

tentiosè)

rentioſè, quod exponẽdũ eſt. i. lytigioſè ſyllogizant; ſicut & ſuprà dixit tex. 10. Tum quia ratio lytigioſa, & ratio ſophyſtica multũ inter ſe differũt, lytigioſa. n. ratio peccat & in materia, & forma, at ratio ſophyſtica in materia tantummodo deficit. Et ex hoc tollitur controuerſia adducta, quæ ſi aliquid cõcluſerat. dit, illud eſt verũ de ratione ſophyſtica, cum .n. illa in materia tantũ deficiat, ideò difficile eſt illi occurrere, immò nõ niſi uerſatus in tali facultate põt illã ſoluere, at ratio lytigioſa, cum peccet etiã in forma de facili à quolibet tantummodò in logica verſato etiam, poteſt euitari, cum illi ſit facilè cognoſcere an talis ratio formã ſyllogiſticã ſeruet. Si autem quis quærat, quæ illarum ſit imperfectior, an quæ peccat in materia, an quæ peccat in forma. Dicerem illam, quæ deficit in forma eſſe imperfectiorem, eò quia in nobiliori peccat.

Ratio lytigioſa & ſophyſtica quomodo inter ſe differant.

Controuer. 1. ſuper tex. 23.

INcipit ſoluere rationes antiquorum, ſed qualis ſit harũ rationũ ſolutio, an Metaphyſica, an Naturalis, an Logica, ſatis difficile eſt iudicare; quòd non ſit Naturalis, adeſt Ariſ. auctoritas ſuprà tex. x. dicentis, naturalis Philoſophi nõ eſſe munus diſoluere rationes lytigioſas, cuiuſmodi ſunt rationes Permenidis, & Meliſſi; At huius oppoſitum

Qualiter ſoluãtur rationes antiquarum ab Ariſt. an naturaliter, an Metaph. an Dialectice.

situm videtur colligi ex tex. 22. in quo dixit non esse difficile soluere rationes, ex quibus demonstrant, eũ vtrorumq; rationes sint lytigiosæ: Dicendum est hanc solutionẽ esse tũm naturalem, tũm Metaphisicam, tũm Logicam, est naturalis quatenus procedit ex terminis naturalibus vt patet, quia nõ valet dicere est vnum, ergò est immobile, quia stat, quòd moueatur per partes, stat etiam, quòd moueatur motu alterationis; Est verò logica quatenus docet earum rationes paralogizare est etiam Metaphisica, quatenus iudicat conuenientiam, & connexionẽ, quam habet principium, cum ipso factum esse, & quatenus etiam principium non dicitur de solo principio rei, sed etiam de principio temporis, sicq; vt illorum rationes tollat, omnibus vijs illorum rationibus satisfacit.

Controuer. 2. super tex. 23.

An valeat arguere à negatione antecedẽtis ad negationẽ cõsequẽtis.

REprobat Arist. primò rationem Melissi, quia procedit à negatione antecedentis ad negationem consequentis, quasi quòd non valeat talis arguẽdi modus? cum Themistius Primo de Ani. tex. 14. dixerit talem arguendi modũ valere, quotiescumq; tali modo arguendi addebatur modus hic (possibile) sicuti etiam valet arguere à positione consequentis, ad positionem antecedentis,

cedentis, vt exempli gratia, valet dicere, est animal, ergo potest esse homo, vt & ibi Arist. loco allegato arguebat. (si est aliqua operatio animæ propria possibile est ipsam seperari, si aliqua non est ei propria, non contingit ipsam separari,) Præterea in terminis cõuertibilibus talis argumentatio est vera, valet enim dicere, est homo, ergõ est risibile, nõ est homo, ergõ non est risibile; Sed dicendũ est, hæc nullomodo adiuuare Melissõ, cum ipse non arguat in terminis conuertibilibus, nec etiam sua argumẽtatio sit de modo possibili, sicut constat; An autem vera sit positio Themistij nunc non intendo examinare quia à proposito hoc esset maximè recedere forsitam hoc explicabo, dum soluam contro. sup. lib. de Ani. & dum illum tex. 14. examinabo; Sed ad propositum redeuntes, quis tuendo Melissum dicet, eius rationem esse in terminis conuertibilibus, quia hæc propositiones conuertuntur (quod est factum, illud habet principium,) Pariter, & negatiuè (q non est factum, illud non habet principiũ.) Tuendo Arist. hoc erit negandum; Sed prõ antiquis dicet ille, quòd Arist. debebat probare hoc; Dicendum erit Arist. hoc breuiter, ac latenter probasse, dum enim dixit, principium dici de principio temporis, & rei, dat

intelligere principium dici æquiuocè, & per consequens non conuerti cum esse factum.

Controuer. super tex. 24.

An immobile localiter possit alterari.

DAmnat Arist. rationem Melissi, quòd non valet dicere, est vnũ, ergò est immobile, quia licet sit immobile motu locali, quid prohibet, dicit Arist. vt non moueatur motu alterationis, sic exponit D. Thomas cum Alexãdro. Iux. à quam expositionem Arist. sibi contrarius videtur hic, & 8. Phy. hic enim non habet prõ inconuenienti, aliquid esse localiter immobile, & tamẽ posse moueri motu alterationis, cuius oppositũ ab ipso colligitur 8. Phy. vbi docet motũ localem inter reliquos motus esse primum, quia ablato motu locali, aufertur omnis alius motus, quòd si sic est, ad quid ergò instat hic contrà Melissum. Respõdetur, Arist. in 8. Phy. voluisse ad ablationem motus localis absolutè in natura auferi omnem alium motum, tum destruatur uniuersum: at si loquamur nõ absolutè, sed in vnico determinato subiecto nõ. n. valet dicere, hoc non mouetur motu locali, ergò non mouetur motu alterationis, & sic in præsenti redarguit Melissum, quo ad hanc consequentiam, hoc vnum est, & immobile secundum locum, ergò non mouetur vllo alio motu, sicq; ipsum redarguit penes

arguen-

arguendi formam in vnico subiecto particulari, & determinato.

Controuer. 1. super tex. 25.

An sit idē respondē di modus rationibus par. & Melissi.

DIcit Aris. eundē esse modū respondendi rationibus Parmenidis, cum eō q̄ fuit cōtrà Melissū, & solutio est, quòd ratio Parmenidis falsa accipit sicq; peccat in materia, & non concludit, ideò deficit in forma. Quæ eius dicta repugnare videntur ijs, quæ suprà in fine textus 22. dixit, Ibi enim affirmauit rationem Melissi esse magis onerosam illa Parmenidis, at si ambæ æqualiter deficiunt, & in materia, & in forma, quomodo igitur illa Melissi est magis onerosa? Insuper, si est idem modus respondendi Permenidi, & Melisso, cur igitur ambos insimul non reijcit? sed seperatim vtrique contradicit. Præterea, cur non confutauit eos iuxtà id, quòd alter dicebat finitum, alter verò infinitum, cum infinitum non detur; Dicendum est, quòd licet rationes vtriusq; peccent in vtroq; illa tamen Melissi est magis defectuosa, quia tota eius ratio deficit, cum committat fallaciam consequentis, pariter ac fallaciam æquiuocationis, qui duo errores non accidunt in ratione Parmenidis, & præcipuè si ens accipiat vniuersaliter, admittit. n. tunc ambas præmissas. s. non ens est nihil,

hæc

hæc namq; est vera, cum eius sit sensus, id q, non est substantia, nec accidens, illud est nihil, vera est & illa, in qua dicit, quicquid est præter ens .i. id quod non est substantia, nec accidens, est non ens, ambas has admittit propositiones Arist. sed solum negat conclusionem ex illis sequi illam, ergò tantum est vnũ ens, immò sunt plura entia, & substantia, & accidens, accipiendo inquàm ens vniuersaliter, vt compræhendit, & ipsam substantiam, & ipsum accidens; At respondendo rationi Melissi, nullam eius concedit propositionẽ, idcircò eius rationem magis esse dixit defectuosam; Licet autem sit idem modus respõdendi Parmenidi, voluit tamen seorsim quẽlibet illorum confutare, quia quilibet illorũ alijs, & alijs vtebatur propositionibus, ideò seorsum contrà vtrumq; inuehi voluit, at vbi ambo inter se fuere penitus concordes, eos insimul pariter confutauit; Si verò non detur infinitum, quo ad hoc, contrà Melissum non instat, quia infinitum non destruit principia naturalia, vndè infrà tex. 32. vocat illos naturales, qui posuere vnum principiũ infinitũ, in hac verò præsẽti parte eius propositum est, eos confutare, quatenus tollunt principia naturalia; In tertio autem huius ostẽdet nõ posse infinitum esse in natura.

Controuer-

Controuer. 2. super eod. tex. 25.

CLarè in hoc textu dicit Arist. Album duo diuersa significare, significat enim ipsum subiectum, & ipsam albedinẽ, ideò dicit (Aliud est esse albo, & ei, cui inest;) Oppositum apertè habet in Prædic. in Cap. de substantia, vbi scriptum reliquit, (Album solam qualitatem significare;) Prò solutione istius controuersiæ est sciendum, maximam esse apud Logicos difficultatem, quid nã significet ipsum concretum, vt cum dico (Iustum) quid significat, an subiectum, an ipsã iustitiam; Aliqui dixere, quodlibet concretum significare ipsum subiectũ, quia quodlibet nomen simpliciter prolatum semper significat id, quod est nobilius, subiectum autem est tale, ergò; Sed hæc opinio Arist. repugnat loco allegato, vbi illa habuit verba, (Album solam qualitatẽ significat,) hic verò dicit, (aliud est esse albo, & suscipienti,) Alij dixere, quodlibet concretum significare vtrumq;, & quòd ità sit, patet hic ex Aristot. cui etiam opinioni Auerroes videtur cõsentire, Quibus repugnat pariter Arist. loco citato dicente, (Album solam albedinem significare; Resolutè est dicendum, quodcũq; concretum, siuè substantiale sit, vt homo, animal, siuè accidentale, vt album, iustum,

Quid significent ipsa concreta, an ipsũ subiectum, an ipsam formam simplicẽ.

primò

primò, ac principaliter solam formam significare, & quòd hæc sit rei veritas satis dilucidè apparet ex Arist. in Prædic. in Cap. de Denominatiuis, vbi docuit, denominatiua denominata, quæ sunt ipsa concreta, illud idē significare, quod significatur à denominatiuis denominantibus, sicq; album, & albedo idem significant, pariter rationale, & rationalitas: consimiliter de quocunq; alio est dicendum. Si verò aliqua sit differentia inter concretum, & abstractū, illa non est in significato, sed in modo significandi, quia album, & si solam albedinem primò, & principaliter significet, connotat tamen subiectum, quod nō connotatur ab ipso abstracto, sicq; differunt in ipso connotato, & hoc est, quod innuit Arist. in textu isto dum dixit (sed alterum est esse albo, & ei cui ineſt) addidit (sed hoc Parmenides nondum videbat.) scilicet hanc differentiam, quæ est in modo significandi, seu in connotato inter concretum & abstractum. Et tunc erit inferēdum, quòd sicut album primò significat formam, deindè connotat subiectum, sic quoq; cōcretum substātiale, vt animal, primò significare formam, deindè connotare materiam, & indè sequi solam formam poni in definitione.

Con-

Controuer. 1. super tex. 26.

INquit Arist. (Accidens enim de subiecto quodam dicitur.) Ex quo vult inferre Arist. ergò dicitur de substantia. Quæ cõsequentia nulla esse videtur, quia accidẽs nè dum dicitur de substãtia, sed etiam de accidẽte, vt de subiecto. Et hoc præcipuè iuxtà illorum opinionẽ, qui dicunt, accidẽtia fundari in quantitate, & primò ponunt, quantitatem aduenire substantiæ. Insuper addit illa verba (alterũ enim est ab eo quod est) patet, quòd intelligit de accidente, nã vult dicere, substantia erit alterum ab accidente, in præcedentibus tamen dixit (si erat accidens, erat substantia;) Primæ respondeo, quòd si quis dixerit, accidentia fundari in quãtitate, quæram de illa quantitate, an sit accidens, & si est accidens, quæram in quo fundatur; aut dices in substantia, aut in alio accidente, si in alio dixeris accidente, rursus quæram de illo alio, & tamdem nè accedas in infinitum, deuenies ad substantiam, nam & Arist. in Prædic. Cap. de substantia, negauit accidentia posse substare sinè substantia. Secundæ respondeo, quòd accepit accidens, quatenus concretum erat, hic de solo accidente puro loquitur.

Accidentia primo fũdãtur, an in substãtia, an in quãtitate, &c.

Con-

Controuer. 2. super eod. text. 26.

An quòd vni est substàtia, alteri posſit esse accidens.

AIt Arſt. (Quod verè eſt, nulli accidit) quorum verborum ſenſus eſt, quòd ſubſtãtia nulli accidens eſt; Cuius oppoſitum videtur ab ipſo colligi Secũdõ de Anima tex. 65. vbi quærens quomodo ſubſtantia ſit sẽſibilis, dixit per accidens, dabat exemplum hoc, quia accidit filio Diarij eſſe album, ſicq; filius Diarij, qui eſt ſubſtantia, accidit albo; Præterea in Prædic. Cap: de ijs quæ ſunt ad aliquid, dicebat, eſſe hominem accidere domino, & tamen homo eſt ſubſtantia, qui accidit domino. De hoc alias quæſitũ fuit diligentius, nunc ſit ſatis, quòd accidens poteſt conſiderari ſecundum diffinitionem à Porphyrio datam, quæ eſt, quod ſit illud q̃ adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem: ſicq; ſubſtantia poteſt dici accidens, ibi enim Porphyrius diffiniuit accidens prõ ſecunda intentione, quid namq; prohibet veſtem hãc adeſſe mihi, præter mei corruptionem, & abeſſe etiam at ſi conſideretur ſecundum naturam accidentis, nunquàm quod eſt ſubſtãtia, poteſt eſſe accidens, quia ſubſtantia caret cõtrario, non ſuſcipit magis, & minus, per ſe q̃ ſubſiſtit, cuius oppoſitum contingeret, haberet namq; contraria, ſuſciperet magis, & minus, nec per ſe ſubſiſteret, ſicq; primo modo

autho-

authoritates adductæ habent veritatem, secundo modo nequaquàm, & ità hic Arist. intellexit; Vel respondendum erit cum Arist. ibidem in cap: de ijs quæ sunt ad aliquid, q. esse hominem accidit domino, ideſt non est de essentia illius correlatiui, quod est dominus, & tunc cessant pariter authoritates adductæ.

Controuer. super tex. 28.

An accidens inseparabile per subiectum diffiniatur.

DIuidit Arist, Accidens per separabile, & inseparabile, & accidens inseparabile dicit esse illud, in cuius diffinitione ponitur subiectum; Cui dicto obstare videtur ratio; Album respectu Cigni est accidens inseparabile, in diffinitione tamen albi non ponitur Cignus, non enim dicimus album est Cignus, sed dicimus, album est color disgregans visum; Pariter nigrum respectu Corui non diffinitur per Coruum, sed dicimus nigrum est color congregans visum; Quidam recentiores à Ioanne Gram. accipientes, dixere Arist. per accidens inseparabile intelligere accidens proprium, at albedo respectu Cigni, licet sit accidens inseparabile, non tamen proprium est, sed commune: Quæ solutio si erit vera, sequetur, quòd Aristot. nihil probabit, cum omittat accidentia inseparabilia communia; Quidam alij dixere, per accidens

dens inseparabile Arist. intelligere accidens quod actu, & potentia est inseparabile. Quæ responsio non placet, quia tale non est accidens, sed potius est substantia: Dicerē Arist. intelligere quodcunque accidens inseparabile, sed tunc notandum est, hæc accidentia dupliciter considerari posse; vno modo absolutè, sicq; sine subiecto diffiniuntur; Alio modo in ordine ad subiectum, sic in eorum diffinitione ponitur subiectum, sicq; album respectu cigni diffinietur per subiectum, cui inest, & dicetur, Album est color existens in cigno, disgregatiuus visus.

Controuer. super tex. 29.

An sicut totū diffinitur p partes, ita ècontra.

VIult Arist. partes poni in diffinitiõe totius, vt animal, & bipes in diffinitione hominis, ècontrà non, totum non potest poni in diffinitione partium, vt homo in diffinitione animalis, vel bipedis, quia tunc committeretur circulus. Id quod habet hic prò inconuenienti, non videtur esse inconueniens, pater enim ponitur in diffinitione filij, & è contrà, filius ponitur in diffinitione patris. Accedit, quòd si totum non ponitur in diffinitione partium, sed ècontrà fit, quòd totum diffiniatur per partes, sequitur igitur, quòd partes erunt priores toto? Cuius oppositum vult Arist. Est attendendū

Arist.

Arist. loqui hic in entibus absolutis, at pater, & filius sunt entia respectiua; Attendendum est etiam, totum esse prius partibus materialibus.

Controuer. 1. super tex. 32.

IMprobatis opinionibus antiquorum non naturaliter loquentium, accedit ad antiquos naturaliter loquentes, & dicit (vt autem Physici dicunt, duo modi sunt.) Difficultas est circà illam particulam (Duo modi sunt.) An sit referenda, ad duos modos generationis, alterum congregatione, & segregatione, alterũ raritate, & densitate, an ad modum positionis numeri principiorum, dum quidam vnum, quidam plura ponunt; Prima expositio placet Simplicio, ac D. Thomæ, & eam quoq; ego approbo; Sed prò altera expositione posset quis obijcere, non nè prius debebat Arist. enumerare, an antiqui posuerint vnum principium aut plura; quàm modos generationis ex ipsis? ordo enim positus ab Aristot. videtur perperam factus; Dicendum est, Arist. suo solito bræuiloquio simul vtrumq; complexum fuisse, Vt mea tamen fert opinio, putarem posse referri ad ambo, nam duo sunt modi positionis principiorum, quò ad generationis modum, duo etiam sunt, quò ad positionem numeri prin-

Verba textus (duo sũt modi) quo modo hinc intelligenda.

cipiorum, quidam enim vnum, quidam vnũ & plura.

Controuer. 2. super tex. 32.

Quomodo Plato ab Arist. inter naturales philosophos cõnumeret & inter non naturales.

DVm enumerat opiniones antiquorum naturaliter loquentium, inter eos recenset Platonem. Cuius oppositum ab Arist. colligitur suprà tex. 30. vbi communiter ab omnibus interpretibus, ac nullo ferè discrepante fuit dictum, quòd inter cõsentientes opinioni Parmenidis fuit Plato; modò si ipsum ibi ex communi omnium cõsensu inter non naturales damnauit, quomodo in hoc textu ipsum Platonem inter naturaliter loquentes reponit. Est dicendum, quòd suprà non est redargutus Plato, quò ad positionem suorum principiorum, sed quò ad ineptam responsionem rationibus Parmenidis, at hic ipsum inter naturales cõnumerat, quò ad positionem suorum principiorum.

Controuer. 3. super eod. tex. 32.

An Arist. rectè dãnet antiquos ponentes tãtum vnũ subiectũ.

DIcit Arist. (Hi enim vnum facientes &c.) si Arist. intendit damnare illos, qui ponebant vnum principium subiectum, pariter, & ipse erit damnandus, cũ ipse etiam ponat vnum tantum principium subiectum, vnam nempè cõmunem omnium materiã. Ex verbis textus rectè notatis sal-

uatur

tatur Arist. dicit enim in tex. (Hi enim facientes vnum, quod est corpus subiectum.) Nota illam particulam (Corpus) quam rectè notauit Ægidius, ex qua apparet differentia inter antiquos, & Arist. Nam illi ponebant vnum principium subiectum, quod erat corpus, at Arist. ponit tantùm vnam materiam, nudam tamen ab omni forma. Et hinc erit licitum colligere, quãtum deuiẽt à via peripathetica, cum tamen se peripatheticos profiteantur, qui ponũt formam corporis coæternam materiæ primæ, quantum q; conueniant cum his antiquis.

Controuer. 4. super eodem tex. 32.

IN eodem contex. 32. Arist. videtur falsa imponere ipsis antiquis, nam primò dicit aliquos posuisse vnum trium elementorum prò principio, ex quo omnia generabant mediante raritate, & desensitate, addit, quòd hæc sunt contraria, & quòd hæc reducuntur ad excessum, & defectum, tamquã ad vniuersaliora quædã contraria, addit etiã quòd in hoc conueniebant cum Platone, qui posuit magnum, & paruum, differrebant verò quia Plato ponebat illa contraria ex parte materiæ, at illi ex parte formæ. Ex quibus omnibus colligitur antiquos posuisse tria principia, vnum nempè subiectũ; & duo

Quomodo antiq. posuerint vnũ principiũ, & plura.

cõtraria, sic sic, quo modo igitur dixit Aris. in principio istius textus ipsos posuisse vnũ principium; Dicendum est' cum Simplicio quòd raritas, & densitas non habebant propriè rationem principij, cum illa duo contraria sint accidentia apud antiquos, accidentia verò non habent rationẽ principij, dicebant enim antiq, hæc contraria aduenire illi principio, mediantibusq; illis omnia alia ex illo vno producebantur principio.

Controuer. super tex. 35.

An infinitũ quodlibet sit ignotum. Et si sic an respectu sui, vel nostri,

INcipiens destruere Arist. positionẽ Anaxagoræ, arguit, Si igitur infinitum secũdum quòd infinitum ignotum est; Quã probat, quia infinitum est duplex, aliud secundum quantum, aliud secundum quale, idest secundum formam, secundum quantum adhuc est duplex, aliud est secundũ magnitudinem, aliud secundũ multitudinẽ, quodcumq; fuerit infinitũ semper illud est ignotũ, si principia sunt infinita, igitur ignota, igitur de rebus naturalibus non habebitur sciẽtia, quia ignoratis principijs, ignorantur & ea, quæ sequuntur ex principijs; Maior propositio posita in tex u, & ab eo probata habet difficultatẽ, An infinitum quodlibet sit ignotum; videtur quod non, & primò quia continuum est cognoscibile, ergò & infini-

tum

tum; cum continuū sit diuisibile in infinitū, assumptum patet ex Arist. Primo Cœli tex. 2. Etiam quia ponens differentiam inter extrema, illa cognoscit, & hæc fuit Arist. propositio in 2. de Ani. Cap. de sensu communi; Sed intellectus inter finitum, & infinitum ponit differentiam, ergō; Cum etiā Deus sit infinitus, non tamen sit ignotus; Cū pariter ab ipso Arist. in Tertio huius diffiniatur, & pertractetur de eo. Fuere quidā qui dixere, duplex esse infinitum, aliud in actu, & hoc non est cognoscibile, aliud in potētia, & est cognoscibile, sicuti est, & continuum; Quæ responsio destruit rationem formalem cuiuscumq; infiniti, quæ est, vt sit interminatum, cum. n. dico infinitū, dico interminatū cum dico interminatū dico ignotū, ergō, cū dico infinitum, dico ignotū, sicq; oē infinitū, quatenus infinitū est ignotum; Quæ tū omnia soluntur ex verbis textus rectè intellectis, & alia quæ possunt adduci, & in primis est notāda particula illa (si) quæ dicit certitudinē, & stat p qa vt sensus sit, si infinitū. i. qa infinitū, & illud (igitur) nō stat illatiuè, sed cōtinuatiuè, & est idē q; autē, sicq; est verborū sensus (Si igitur infinitū). i. qa autē infinitū, Addit (secundū q; infinitū) quæ particula est maximē attēdenda, cū ex illa difficultatis tota solutio

Prima responsio quorūdā.

Confutatio.

Vera solutio.

pendeat, quam particulam apponit, vt det intelligere modum, quo infinitum est ignotum, qui est, vt infinitum, quia sub alia ratione infinitum si accipiatur, potest esse notum, vt Deus, quo est infinitus secundū virtutem, hac ratione est ignotus, at Deus quatenus est omnium causa, & producit omnia in his inferioribus, sic est notus, & ex hac limitatione omnia argumenta, quæ adducuntur à Latinis, soluuntur. Sed tunc dicet ille, si infinitum quatenus infinitum est ignotū, est nè ignotum respectu sui, an respectu nostri, quomodo intelligit Arist.? Dico quòd Arist. loquitur respectu nostri; Sed adhuc quæret ille, an infinitum, quo infinitum sit notum respectu sui. Erit dicendum, quòd infinitum est duplex, aliud secundum magnitudinem, seu vt se tenet ex parte materiæ, quod semper respectu sui, ac etiam nostri est ignotum, aliud est secundum virtutem infinitum, quod respectu nostri est ignotum, at respectu sui est notum; Sed adhuc quis dicet, rationem ab Arist. adductam non procedere contrà Anaxagoram, eò quia procedit ex communibus, vt patet. Tum quia Anaxagoras non possuit principia infinita simpliciter, sed tantum quo ad nos, immò illa erant finita menti, quæ assistebat illi chaos

Dubitatio.

Solutio.

Alia dubitatio.

Solutio.

Instãtia.

dicebat

dicebat Anaxagoras. Simplicius respondet primo argumento, negando consequentiam, quia non valet dicere, hæc ratio procedit ex communibus, ergò nullius est roboris, eo quia Arist. non semper format rationes demonstratiuas; Vel dicendum erit cum Auerroe, quòd ista ratio est logica, quia vtitur propositione declarata in logica, vtimur.n. dicit Auerroes duobus modis logica, vno modo, quo discernitur verũ à falso, alio modo vtimur logica.i. declaratis in logica, accipiendo illa prò maximis in construendo, vel destruendo; Secundæ rationi Simplicius etiam satisfacit, notãdo quòd licet illa principia essent finita menti diuinæ secundum Anaxagoram, & per consequens nota, sufficit tamen Aristoteli probare, quod res naturales nobis essent ignotæ, cum sua principia à quibus illarum dependet notitia nobis sint ignota, cum meritò nostri sint infinita: &c. Solutio.

Sed quæret aliquis adhuc, an ratio ab Arist. adducta procedat tantũmodò contrà Anax. an etiam contrà alios antiquos, vt contrà Democritum, & Leucippum; In hac re est maxima dissensio inter Alex. & Porphyrium; Dixit Porphyrius, quòd hic nõ tantùm impugnatur Anaxagoras, sed cæteri qui infinitum posuere, quemadmodum fuit Democ: & Alia dubitatio. Solutio Porphy. & Auerrois.

Leucippus; Cui positioni fauet etiam Auer-
roes, qui non solum hanc rationem sic in-
terpretatus est, sed & sequentes, Oppo-
tum autem arbitratur Alexa. cui fauet Sim-
plicius ex hac ratione, quia illi ponentes
infinitum, ponebant tantum secundum nu-
merum, non autem secundum speciem, apud
Democritum enim non differebant athoma
illa, nisi figura, specie, vel ordine, quæ dif-
ferentiæ sunt accidentales, at illud infini-
tum, quod diffinitur ab Aristot. est infini-
tum specie, eò quòd infinitum, quod repu-
gnat cognitioni, quod què auffert scientiam;
est infinitum specie; Mihi probabilior vi-
detur opinio Alexandri; sed non ex ratio-
ne inducta à Simplicio, & quia, vt iam di-
ctum fuit, infinitum quodlibet quatenus in-
finitum est ignotum, & ideò tam hoc, quàm
illud aufert cognitionem; Quare dicerem
solum modò Anaxagoram esse impugna-
tum, quia ipsum Arist. impugnandum pro-
posuit, non autem ratione à Simpl. adducta,
si autem ratio Aristot. alios impugnet, hoc
est consequenter.

Solutio Alex. & Simplicij.

Solutio propria.

Con-

Controuer. 1. super tex. 36.

IN omnibus rebus naturalibus dari minimum affirmat Aristot; Quod dictum geometricali proloquio repugnat dicẽti, quodlibet continuum esse diuisibile in infinitum; detur enim huiusmodi minimum, inquiram an possit diuidi, si affirmaueris, cum quælibet pars sit minor toto, erit tunc aliquid minus minimo; Si negaueris, aufers proloquium prædictum; Vniformiter ab omnibus respondetur, aliud esse loqui de continuo, aliud de tali continuo, veluti naturali, potest dicunt continuum, vt continuum diuidi in infinitum, non autem quodlibet continuum naturale, & forsitan hoc acceperunt à Simplicio, qui ponderat illa verba (dico autem aliquam talium partium) quæ verba dicit rectè addita fuisse, vt significaretur id quod iam dictum est. Hanc tamen responsionem cómuniter ab omnibus aprobatã impugnat Scotus hac ratione, cum sunt duæ conditiones duabus naturis conuenientes, si illæ conditiones inuicem repugnant, repugnabunt, & illa cui conueniunt, vt nequeant talia vnquàm simul coniungi, sed duæ istæ conditiones, scilicet diuidi in infinitum, & esse minimum inuicem repugnant,

An minimú naturale sit diuisibile in infinitũ.

Cómunis responsio.

Confutatio Scoti.

gnant, igitur & illa repugnabunt quibus cõueniunt, scilicet res naturalis, & quantitas, adeõ quòd nulla res naturalis poterit dici quanta, sed hoc est falsum, falsa igitur sunt Enasio illa, ex quibus hoc deducitur; Cui difficultati erit respondendum, sicut respondet Gaietanus in prima parte summæ. q. 7. quòd aliqua posse alicui conuenire, potest dupliciter intelligi, positiuè, vel non repugnanter, in cõditionibus positiuè cõuenientibus verificatur maior Scoti, in conuenientibus non repugnanter, non est opus quòd verificetur, & talis est hæc conditio, diuidi in infinitum quantitati conueniens, quare Scoti instantia nulla est; Capreolus tamen aliter respondet huic instantiæ, qui dicit, quòd huiusmodi contrarietas est penes abstracta, sed non penes concreta, nam diuidi in infinitum conuenit quantitati abstractæ, cui est contrarium dari minimum, sed dictum ab Arist. est intelligendum de minimo in concreto; Quam solutionẽ nõ aprobo, quia dictum est ab Arist. in Prædicamentis, quòd si albedo, & nigredo contrariantur, etiam album, & nigrũ contrariabuntur, cum diffinitio quæ cõuenit albedini, & nigredini, etiam conueniat albo, & nigro, & hoc per locum à coniugatis, nam si albedo est disgregatiua visus, & album

Gaiet.

Alia solut. Caprəo.

Impugnatur.

quoq; est disgregatiuũ visus, pariter si cõuenit quãtitati acceptæ in abstracto hæc diffinitio. s. esse diuisibile in infinitũ, etiã conueniet quãto in cõcreto, cuius contrariũ est dari minimum, quare magis laudo solutionem à Gaietano datam: Ego autem hanc solutionem non omitterem, continuum diuidi in infinitum, cõtingere dupliciter, vel per actualem separationem, vt cum partes inter se separantur actu, vel per designationem, vt cum designantur partes dicendo, hæc est vna, & hæc est vna, licet actualiter non separentur, nõ posse autem quodlibet continuum diuidi actualiter in infinitum, conuincit cœlum, quod est incorruptibile, ac indiuisibile, quãuis partes habeat, quibus designari valet: sit igitur sensus diffinitionis continui, talis, vt sit diuisibile in infinitũ per designationem, sicquè dari minimum naturale, & continuum esse diuisibile in infinitum, non repugnant innuicem; in miinmo enim naturali poterunt designari partes in infinitum, sed dicitur minimum naturale, quo ad actualem separationem. Solutio propria.

Controuer. 2. super eod. tex. 36. An totũ augeatur & diminuatur, vna parte aucta, vel diminuta

ARguit Arist. contra Anax. sic; Quantæ magnitudinis contingit esse partem, tantæ magnitudinis contingit esse

esse totum, &c. Argumentum hoc Aristot. videtur procedere, veluti ac si Anaxagoras constitueret ex vna particula cuiuscunque speciei constitui tale totum, quod si ab Anaxag. concedatur, sic tunc rectè infertur; Si istæ partes possunt in infinitum augeri, totum quoquè ipsum, & si possunt minui in infinitum, pariter & totum; Cuius oppositum dicet ille, dictum est ab Anaxag. qui dixit, ex infinitis partibus eiusdem speciei constitui ipsum totum, & ideò non variatur eius quantitas, ad variationem cuiuslibet illius particulæ; Omnes huic argumento vniformiter respondent, dicentes, quòd si conuincitur primus modus, etiam & hic secundus conuincitur modus, & forsitan hoc acceperunt etiam à Simplicio, qui dicit, vel partes istæ sunt finitæ, vel infinitæ, si infinitæ, sequetur corpus finitum ex infinitis constitui partibus, quod absurdum deducet Aristot. infra tex. 28: Si autem erunt finitæ, sequitur tunc id quod Aristot. deducit, quòd si diminuatur vna, totum diminuatur, & vna aucta, totum quoque augebitur.

ATENEO VENETO VENEZIA

Controuer. super tex. 37.

VIdetur Arist. prò inconuenienti habere, infinitas partes æquales esse in aliquo toto finito, Cuius oppositum à Calculatoribus solet sic ꝓbari. Ponatur corpus vnum quod longitudinem habeat vnius pedis, eãdemq; met latitudinẽ, & profunditatem, voceturq; hoc corpus. Astũc sic arguatur, in. A. sunt infinitæ partes proportionales, quarum quælibet est pedaliter longa, & pedaliter lata, ergo æquales adinuicem, ergo in corpore finito erunt infinitæ partes æquales; Secundo dicunt pertranseat hoc corpus spatium cõstitutum aliquod duplum bipedale, aut maius, & pertranseat hoc totum in hora, tũc sic, in quolibet instanti istius horæ erit. A. in loco sibi æquali, sed prò quolibet instanti occupat alium, & alium locum, igitur in hora occupabit infinita spatia vnius pedis, cum in hora sint infinita instantia, dum tamen pertransit totum hoc spatium duorum pedum, igitur in hoc spatio bipedali erunt infinitæ partes æquales; Ad primum dico, quòd qui sic arguit, si nomine æqualis simpliciter æquale intelligat, falsum est ꝙ ille partes sint simpliciter æquales, erũt benè æquales in longitudine, & latitudine,

An in corpore finito possint esse partes infinite æquales.

non

non tamen omni dimensione erant æquales, non enim secundum profunditatem, quia etiam supponam nomine partium non intelligi superficiem, sed partes ex quibus res ipsa constituitur; diuidatur itaq; illud corpus in duas partes secundum profunditatem, & vna illarum iterum in duas, quarta illius pars .s. medietas medietatis erit quidem æqualis alteri medietati primæ acceptæ in longitudine, & latitudine, non tamen in profunditate, sicq; non erũt simpliciter æquales, de quibus partibus simpliciter æqualibus erat sermo; Satisfacio secundæ, supponendo duplices in aliquo toto esse partes, aliquæ enim sunt inuicẽ cõmunicantes, hoc est, quod vna aliquid alterius includat, sicut medietas medietatis si comparetur ad ipsam medietatem, cuius est medietas, dicetur pars communicãs, quia includitur in illa medietate, sunt aliæ partes adinuicem non cõmunicantes, vt duæ distinctæ medietates, cum ab Arist. habitum est prõ inconuenienti infinitas partes æquales esse in aliquo toto finito, sermo est de partibus, quæ inuicem non communicant, quia est absurdum quõd partes inuicem cõmunicantes, & æquales sint infinitæ; Et ad argumentum dicitur, quõd illæ partes assignatæ ab ipso infinitæ pedales in magnitudine

dine bipedali sunt incicem communicantes, & ideò possunt esse infinitæ.

Controuer. 1. super text. 38.

CIrcà hunc textum prima controuersia est ex Simpl; Quomodo Arist. cerebrum connumeret inter partes similares, cum cerebrum sit organicum, ex varijs què partibus constitutũ, vt ex venis, & alijs; Tum quia est authoritas Arist. Primo de Partibus Animal. Cap. 1. vbi inter partes organicas ennumerauit cerebrum: Posset primò dici, quòd cum non sit requirenda quæcunq; veritas in exemplis, ideò hoc exemplariter ab Arist. fuisse positum, ideò non est mirandum si vndequaq; non sit verum; Vel quòd Arist. nomine cerebri intellexit carnẽ ipsius cerebri; Vel q̃ sicut ipse Arist. 2. lib. de Anim. folia vocauit similares partes, eo quia non sunt cõstituta ex partibus organicis, cum tamen constet quòd in folijs reperiuntur nonnullæ diuersitates, tamquam venulæ quædã coniungentes partes foliorum inuicẽ, sic quoquè & cerebrum dicet nõ nullas habeat partes, quæ nõ sunt principalia organa, dictum est esse partem similarem.

Cerebrũ an sit corpus similare.

Con-

Controuer. 2. super tex. 38.

An detur minima magnitudo.

SVpponit Arist. manifestè quamlibet formam naturalē esse determinatæ quantitatis quo ad maximum, & minimum, dicit enim in tex. (Carnis est determinata quātitas & magnitudine, & paruitate;) Cuius oppositum in fine tex. 39. videtur dicere, dum dicit (quòd non est minima magnitudo;) Communiter ab omnibus respondetur, magnitudinem dupliciter considerari, naturaliter; & mathematicè, naturaliter datur minima magnitudo, nequaquàm mathematicè, sic què dicunt Arist. negantem dari minimam magnitudinem esse loqutum; Quæ distinctio licet sit vera, non est tamen ad propositum, vera quidem est, quia mathematicus abstrahit à materia, ideò dicit magnitudinem esse in infinitum diuisibilem, quod dictum naturali repugnat Philosopho, qui materiam concernit sensibilem, ideò dicere minimè potest diuisionem quantitatis esse in infinitū, & hoc illi repugnat ratione formæ, non autem ratione materiæ; non est verò ad propositum, quia Anax. naturaliter loquitur, ideò & Arist. qui eum impugnat, naturaliter debet loqui, aliter eius sermo non esset conueniens; Alii sunt soliti dicere, dari minimum seorsum subsistens, non autem alteri

Cōmunis respōsio.

Confutatur.

Alia responsio.

alteri inhærens, seù inexistens, quia sic semp
potest dari minus eo; Quæ responsio etiã est Confusa
vera, sed nõ facit ad propositum, quia Arist. tur.
assesit, quamlibet formam naturalem deter-
minatæ quantitatis esse quo ad maximum, &
minimum, post à affirmat cum Anaxagora,
illam segregationem ab eo positam non pos-
se finiri ab intellectu, eo quia non datur mi-
nima magnitudo, tunc apparet ipsum loqui
de minimo secundum existentes; Quare erit di-
cendum, quòd Arist. dum asserit dari mini- Vera sol.
mam magnitudinem, esse ex propria eius sẽ-
tentia loquutum, cum verò oppositum di-
cit, de mente Anaxagoræ loqui, & sic esse
patet considerãti verba text. 39. in quo pro-
bat dictum illud Anaxagoræ, quo affirmat
illam segregationem non posse ab intelle-
ctu finiri, esse rectè dictum, quia nec secun-
dum quale dicit Arist. nec secundum quan-
tum, non secundum quale, quia passiones
sunt inseparabiles; nec secundum quantum,
quia non datur minima magnitudo, scilicet
secundum Anaxagoram est intelligendum,
quæ minima magnitudo daretur, si talis se-
gregatio secundum quantum posset fieri.

Controuer. super text. 39.

An Arist. reprehendat rectè Anax. in text. 39.

REprehendit Arist. Anaxagoram, cum ipse faciat mentem diuinã fatuam, facit enim Anax. ipsum vnum aggredi, quod assequi vnq̃ minimè poterit, nam facit mentem incepisse illam segregationem, quã assequi numq̃ poterit; Contrà, si Anax. in hoc est damnandus, etiã Arist. ipse erit damnandus, cum faciat Deum fatuum, constituit enim Arist. in 8. huius Deum esse primũ motorem velleq; ipsum mouere cœlũ, quẽ motum tamen perficere vnq̃ minimè poterit, cũ talis motus sit secũdum ipsum æternus; Quidam dixere, Arist. in hoc non esse reprehẽdendum, & quia licet secundum ipsum Deus velit cœlum mouere, eius tamen motum perficit, quantum est meritò huius, & illius reuolutionis ab ortu in occasum; Qui si rectè Arist. saluãt, similiter dicet ille, saluabo Anaxagoram, eo quia ipse dicet, mentem diuinã talem perficere segregationem, meritò huius & illius rei quam separat; Ideò quidam alij dixere, Arist. non esse damnandum, dicentẽ Deum velle cœlum mouere, quem motũ nũq̃ perficiet, rationem huius hanc esse dicunt, quia Deus talem motum perficere non intẽdit; Qui sic dicentes, si saluant Aristotelem, saluabunt etiam Anaxagoram, eo quia dicet

Solutio quorũdã.

Impugnatur.

Sol. alia.

Impugnatio.

Anax

Anaxagoras mentem diuinam minimè reddi faturam, & si talem numq̃ perficiat segregationem, causa est, quia eam perficere non intendit. Quare dico Aristotelem rectè confutare in hac parte Anaxagoram, cum ipse vellit mentem diuinam vnũ aggredi, quod minimè perficere potest, q̃ Aristoteli nequaq̃ potest obijci, secundũ enim Arist. Deus nũquam aggressus est motum cœli, cũ talis motus per Arist. sit æternus, ideò nec est inconueniens si illum motum non perficiat, bene esset inconueniens, si illum motum incepisset, & non perficeret. Vera solutio.

Controuer. super tex. 40.

VLtimò Arist. damnat Anax. asserentẽ vnumquodq; fieri à sibi simili, qui pariter erit reijciendus, cum 7. Met. ipse affirmet, omne quod fit, fieri ab vniuoco, quod idem esse videtur, quòd à sibi simili; Dicendum est, aliquid fieri à sibi simili, contingere dupliciter, vel vt ex materia, & hoc Arist. negat hic, contra Anax. hoc dicentem; Vel vt ab agente, & hoc est verum, sicq; Arist. loco allegato est intelligendus; Sed addatur tunc, q̃ talis propositio nõ habet veritatem de quolibet agente, cum non verificetur de agente remoto, nec de agẽte instrumentali, nec etiam de agente per accidens; fit, fiat à sibi simili seu ab vniuoco.

Solum modo igitur sit vera de agẽte proximo, principali, ac perse; & hæc limitatio colligitur ex sententia Alex. recitata ab Auerroe 12. Met. com. 13. ex qua soluuntur omnes instantiæ.

Controuer. j. super tex. 41.

An Aris. sit ordinatus cum ꝑus doceat qnalia sint principia, anteq̃ doceat quot, & quæ sint.

SVper isto tex. plurima occurunt, & primò, Arist. ordo est notãdus, qui confutatis opinionibus antiquorum, ꝙ vnum non sit principium, nec ꝙ sint infinita, sequitur igitur ꝙ sint plura, ac finita, sicut & ipse conclusit in fine tex. 40. dicẽs, (Melius igitur est pauciora, & finita recipere, quòd facit Empedocles;) ideò deberet docere quæ, & quot numero sint; Cuius oppositum facit, quia sicut omnes dicunt, docet primò qualia sint, & esse contraria ostendit ex communi omnium consensu, cui etiam ipse subscribet; Quodq; istum ordinem seruare debuisset, ratio ostendit, quia quæstio qualis, est quæstio composita, at quæ, & quot, sunt quæstiones simplices, simplex autem semper præcedit compositum; Cum Simplicio id iure esse factum, erit respondendum, quia cognito qualia sint principia, fient nota alia duo quæsi

quæsita, quot nam sint numero, & quæ, quod etiam fuit ab Auerroe adnotatum; Ioannes Gram. aliam addidit causam, quæ est, Arist. talem seruasse ordinem, vt ostenderet vnitatem materiæ.

Controuer. 2. super eodem tex. 41.

IN primis verbis textus dicit Arist. (Omnes igitur contraria principia faciunt;) Cuius oppositum videtur ipse dicere in vltimis eiusdem contex. verbis, dum dicit, (Quòd igitur contraria omnes quodammodo faciunt principia, manifestum est;) in quo apponit particulam illam (quodammodo.) Insuper contrarius adhuc sibi videtur hic, & in principio tex. 48. dum dicit, (Huc vsq; igitur sequuti sunt, & aliorum plurimi, quemadmodum diximus prius;) hic dicit (omnes) ibi dicit (plurimi.) In primis est attendendum, illam particulam (igitur) positam in principio tex. 41. non stare illatiuè, eo quia nihil præmisit ex quo talem possit inferre conclusionem, sed accipienda est vt dicit continuationem, & prò vt significat autē; Secundo est obseruandū Arist. per cōtraria nō intelligere cōtraria propriè, Sed p contraria ipsū audire opposita quacūq; op-

An oēs ātiqui posuerint principia cōtraria;

positione, quemadmodum & 10. Met. tex. 9. accepit: Auerroes autem voluit Aristot. per contraria intelligere etiam opposita secundũ apparentiam, quæ tamen non verè opponũtur, ac etiam ipsa disperata; Qui sic dicens, meo iuditio aberrat, quia si sic esset, Aristot. non posset verè numerũ principiorum colligere; Præterea, quomodo dici potest, quòd comprehendat disperata ipsa, cum hæc sint sub diuersis generibus, & ipse Arist. inquirat contraria quæ contingunt circà vnũ genus, seu subiectum, vt patet ex tex. 49. ex quibus demum concludit numerum ternarium principiorum; prima igitur expositio magis erit probanda, quam etiam laudauit Simplicius ponderando illam particulam (quodãmodo) appositam in vltimis istius contextus verbis, quam dicit Arist. addidisse, vt ostenderet varia genera oppositionum, quibus assignarunt principia ipsi antiqui; Tertio est notanda illa particula (omnes) quam hic accipit, vt est eadem, ac si diceret (plurimi) quo modo pluries fuit ab ipso accepta, vt 3. huius contex. 24. vbi probãs munus naturalis Philosophi esse de infinito agere, hæc habet verba, (Signum autem quòd huius scientiæ propria sit consideratio de ipso, quia omnes qui prò dignitate tetigerunt talem philosophiã

fecerunt

fecerunt sermonem de infinito, accipit hanc vocem (omnes) ideſt plurimi; Similiter & in Primo tex. Quarti huius, dicebat (omnes existimant quæ sunt, alicubi esse,) omnes ideſt plurimi.

Controuer. 3. super eod. tex. 41.

Quomodo Parmenides posuerit vnũ Principium, & cõtraria.

DVm incipit probare omnes antiquos posſuiſſe principia contraria, habet hæc verba, (Et dicentes q̃ vnum ſit omne, & immobile, Parmenides enim calidũ, & frigidum principia facit, &c.) In quibus verbis manifeſta videtur cõtrarietas, ſi enim Parmenides poſſuit vnum principiũ, vt dicit in primis verbis iſtius particulæ textus, quomodo contraria? & ſi contraria, vt dicit in verbis immediatè ſubſequentibus, quomodo igitur vnum? Inſuper Ariſt. declarans quòd antiqui, qui poſſuere vnum principiũ, poſſuiſſe etiam contraria, tantum modo facit mentionem de Parmenide, cur etiam nõ meminit de Meliſſo, ipſum omittens, videtur ſatis diminutus; Primam omitto, cum illi ſit factum ſatis ſuprà in ſolutione vltimæ cõtroverſiæ ſuper tex. 6. Secundæ reſpondeo, ſub Parmenide compræhendiſſe etiam Meliſſum & addo, de Parmenide potius mentionem feciſſe, q̃ de Meliſſo, quia eius poſitio minus honeroſa, ſcù defectuoſa erat.

Controuer. 4. super eod. tex. 41.

An rarũ, & densũ inuicẽ cõtrariẽtur.

VErba hæc habet Arist. (Et qui rarum, & densum;) Qui fuerint istius positionis authores satis constat ex tex. 32. Thales enim, & Anaxagoras, Anaximenes pariter, omnia generabant raritate, & densitate; Difficultas est, an rarum, & densum sint contraria; Ex vna parte videtur quòd non, quia rarum est illud cuius partes remotè iacent, densum verò cuius partes propinquè iacent, sed cum ædem partes sint ratè, & etiam propinquè positæ, igitur non contrariabuntur rarum, & densum; Cuius oppositum ex altera parte colligitur ex Arist. verbis; Dicendum est, rarum, & densum dupliciter sumi, vnomodo respectiuè, sicq; dicũt distantiam, & propinquitatem partium, alio modo absolutè, vt sunt qualitates insequentes calidum, & frigidum, primo modo non contrariantur, sed se habent vt intensum, & remissum, nam vt vna met qualitas nunc intensa dicitur, nunc remissa, ita vna met quantitas nunc rara, nunc densa; si secundo modo sumantur, vt sunt qualitates, sic ad inuicẽ contrariantur, sicut enim nullum leue est q̃ graue possit dici, sic nec vllum erit rarum q̃ possit dici densum.

Controuer. 5. super eodem tex. 41.

ET Democritus solidũ, & inane;) Si Democritus posuit infinita principia; sicut suprà tex. 6. ab Arist. dictum fuit, quo modo igitur duo contraria? Et si duo contraria sicut affirmat hic, quomodo infinita posuit? vt ibi; Est dicendum, ipsum posuisse principia contraria, nempè solidum, & inane, tamq̃ principia remota, posuit verò infinita principia s. propinqua; At de huius viri sententia suprà tex. 6. Arist. fecit mentionem, ac in Primo de Gen. & Corr. tex. 4. & 57. Pariter, & 8. Met. tex. 5. Ex his locis habetur, qua rõne posuit oĩa constare ex athomis, & vacuo, & cũ ipso simul est intelligẽdus Leucippus, quĩ ipsũ in omnibus ẽ sequutus, ideò dictus est eius socius; Cũ. n. ipsis videretur impossibile assignari rationẽ, cur vniuersum ens magis in vna parte, quàm in alia esset diuisum, ideò nè ponerent vniuersũ totum esse continuum, præelegerunt ponere vbiq; esse diuisũ vniuersũ, & ideò posuere illa athoma ĩdiuisibilia ẽẽ rerũ p̃ncipia, quæ nõ poterãt inuicẽ cõiũgi nisi vacuo medio. Quõ Democritus posuerit infinita p̃ncipia, & contraria.

Controuer. 6. super eod. contex. 41.

DIcit Arist. (figuræ ãgulare, & inãgulare rectũ, rotũdũ.) p quæ verba p̃bat figurã figuræ cõtrariari; Cuius oppositũ ab ipso habetur. An figura figuræ contrarie

tur in Prædic.

in Prædic. Cap. de Qualitate, vbi docet in quarta qualitatis ſpecie, quæ eſt forma, & figura non eſſe contrarietatem, cum figura figuræ non ſit contraria; Bræuiter eſt dicendum, nec aliter dici poteſt, niſi quòd hic loquitur de mente Democriti, at ibi ex mente propria ſtatuit figuram figuræ minimè eſſe contrariam.

Contrauer. 7. ſuper eod. contex. 41.

An ratio Ariſt. probãtis oẽs antiquos poſſuiſſe cõtraria, ſit recta.

PEnultimo, noto Ariſt. rationem probãtis, omnes poſuiſſe principia contraria; Qui ſic argumentatur, Parmenides, q̃ poſuit vnum principium, poſuit etiam cõtraria; Democritus, qui poſuit infinita, poſuit quoq; contraria, infert, igitur omnes contraria poſuere; Dicet ille, conſequentiam eſſe nullam, cum omnes non connumeret, vt conſtat, non enim enumerat Anaxagoram, nec Platonem, nec Empedoclem; Quare etiam hos (dicet ille) tacuit? Eſt dicendum, Ariſt. ſolitæ inhærendo breuitati illos dimiſiſſe, tamq̃ clarum ipſos poſuiſſe principia contraria, propter hoc tamen eos etiam eſt comprehenſus; De duobus verò primis tantùm fecit mentionẽ, quia circà horum poſitionem extabat difficultas, quæ iam fuit adnotata, alios omiſit, q̃ clarum erat (vt iam eſt dictum) eos poſuiſſe contraria, cum Empedocles poſuerit litem, & amicitiam,

amicitiam; Anaxagoras congregationem, & segregationem; Plato magnum, & paruum.

Controuer. 8. super eodem contex. 41.

VLtimò est notanda conclusio Arist. cui ipse subscribit, & quam infert, dicens (Quod igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia, manifestum est,) Cui conclusioni ipse met Arist. repugnare videtur 12. Met. vbi asserit tantùm esse vnum principium, quod probat, quia multitudo principiorum, & principiatuũ est mala, sit igitur vnum principium, ac vnus princeps; Vtraq; sentẽtia est vera, cum hic loquatur de principijs materialibus, ibi verò sit loquutus de principio finali, ac inmateriali. An Arist. póni contraria po néti subscribat.

Controuer. j. super tex. 42.

PRima conditio principiorũ est hæc (nõ fieri ex se inuicem) cui obstat ratio ex Arist. desumpta, quæ est hæc, materia, & forma sunt principia, & tamen fiunt ex se inuicem, cum materia sit causa formæ, & è contrà forma ipsius materiæ. Respondetur, aliud esse principia fieri ex se inuicem, & aliud principia esse sibi inuicem causæ, primũ est absurdum, quia compositum est illud, quod fit, materia non fit, benè subijcitur generationi, similiter nec forma fit, benè terminat generationem, cum hoc stat, quòd principia An non fieri ex se inuicẽ cõueniat pn cipijs.

fint

sint sibi inuicem causæ, sed in diuerso genere causæ, q̃ sint ipsa met quorum sunt causæ, vt materia est causa formæ, non tamen in genere causæ formalis, similiter & forma est causa materiæ, sed non in genere causæ materialis, Saltem sequetur dicet ille, quòd materia non erit prima, pariter nec forma erit prima, cum id, quod pendet ab alio, non sit prius eo, à quo dependet; Respondeo, ambo illa esse prima in suo genere, vt materia est in suo genere prima, s. in genere causæ materialis, quia in tali genere ab alio non dependet, sic quoq; forma in genere causæ formalis est prima, & ob hoc non obstat, quòd materia pendeat à forma in genere causæ formalis, & forma à materia in genere causæ materialis, sicq; hæc esse sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ, vnamq; esse alia priorem in diuerso tamen genere causæ non erit inconueniens; Et ex his diluuntur aliæ obiectiones, quæ possent fieri contrà aliam conditionem, quæ est, non fieri ex alijs, erit dicendum, illa non fieri ex alijs in eodem genere causæ, cũ finis fiat ab efficiente, vt patet, non tamen in eodem genere causæ; Difficultas saltem est contrà tertiam conditionem, quæ est (omnia fieri ex contrarijs,) omnia scilicet composita, de quibus contrarijs sit intelligenda; Dig

uus

uus Thomas notat huiusmodi contraria esse in dupplici differentia, alia sunt, quæ fiunt ex alijs, nedum effectiuè, sed etiam formaliter, vt sapores ex qualitatibus primis, alia sunt, quæ ex nullo fiunt, sed sunt prima, & de his intelligit; Simplicius, Themistius exponunt de contrarijs vniuersalissimis; Vtraq; expositio erit recta, si accipiatur vniuersale prõ eo, à quo reliqua profluunt.

Controuer. 2. super eodem contex. 42.

DVm dicit Arist. contraria non fieri ex se inuicem, nec ex alijs, & omnia ex ipsis; satis ardua difficultas insurgit in eius verbis quæ est hæc, Quomodo accipiat Arist. illud (ex) cũ illa dictio (ex) variè accipiatur, quandoq; vt denotat habitudinèm partis ad totum, quandoq; vt dicit habitudinem causæ materialis, quandoq; vt dicit habitudinem causæ formalis, quandoq; vt idem est, quòd post, sicut Theologi exponunt illã propositionem (ex nihilo aliquid fit) idest post nihil factum est aliquid; Contrà illam, (ex nihilo nihil fit) si accipiatur illud (ex) vt dicit causam materialem, falsa erit propositio, quòd contraria non fiant ex se inuicẽ, cũ alterum

Quo acceptat Arist. illam particulã (ex) positã in cõditionibus principiorum.

alterum ex altero fiat, tamq; ex causa materiali; Si verò accipiatur vt dicit habitudinem partis ad totum, tunc omnia alia Arist. dicta quæ sequuntur, erunt falsa, dum dicit, vnum contrarium fieri ex alio, cum vnum contrarium non fiat ex alio contrario, tamq; ex parte; Si autem accipiatur, vt idem est, quòd pòst, falsum erit dicere, contraria non fieri ex alijs idest pòst alia; multa enim iam præcessere cõtraria; Similiter si accipiatur vt dicit habitudinem causæ, multæ apparent falsitates; In hac re tam ambigua fuere aliqui, qui dixerũt, vt etiam Simplicius videtur innuere in hoc loco, quòd cum dicitur, contraria non fieri ex se inuicem, hanc dictionem (ex) duo denotare, & habitudinem partis ad totum, vt in hoc textu, infrà verò cum dicitur, Contrariũ fieri ex contrario, illam dictionem denotare ordinem, & esse idem, quòd pòst; Et si obijciatur, ergò Arist. æquiuocabit, cũ varie accipiat medium; Respondent non nulli, quòd non refert, cum ratio hæc Arist. sit probabilis; Sed sanè hoc videtur absurdum, ab vsuq; Arist. q̃ maximè alienum, nam etiam dato quòd eius ratio sit probabilis, quibus aduersatur Simplicius, est nè forte cõcessũ ab Aristot. vnq̃ ab ipsoq; vsitatum in probabilibus vti æquiuocatione? taceant igitur sic respõ-

dentes:

dentes: Quid igitur in hac ambiguitate sit sentiendum breuiter dicam; Dicoq; principia dupliciter posse considerari, vel vt sunt principia factionis, vel vt sunt principia rei factæ, clarum est, quòd Arist. loqtur de principijs factionis, idest transmutationis rerum naturaliũ, cum principia rei factæ nõ sint contraria, materia enim non contrariatur formæ, nec ecõtrà, cum ergò loquatur de principijs factionis, dico quòd accipit illud (ex) hic, & infrà, vt dicit habitudinẽ partis ad totum, non tamen partis, ità quòd constituat totum, ipsumq; componat, sed partis .s. concurrentis ad ipsam factionem, seù transmutationem rerum naturaliũ, numq̃ enim prima forma fit ex priuatione, nec prima priuatio ex forma, Secundaria tamen forma fit ex priuatione, secundaria forma, idest hæc forma, ex hac priuatione, tamq̃ ex parte concurrẽte ad factionem formæ, similiter contrarium secũdarium fit ex altero, tamq̃ ex parte, & sic euitatur æquiuocatio.

Controuer. j. super tex. 43. & 44.

VOlens Arist. probare, quodlibet non fieri ex quolibet, sed contrarium determinatum ex contrario determinato, varia adducit exempla (vt album fit ex non albo, non omni, sed ex non albo, quod est nigrum, Cur Aristot. multiplicet exempla.

omni, sed ex non albo quod est nigrum, aut medijs; Et musicum ex non musico, nõ ex omni, sed ex immusico, aut si aliquid ipsi medium est.) Si studet hæsitati cur multi-plicat exempla? Insuper, quæ est differentia inter dicere, musicum fit ex non musico, & musicum fit ex immusico? Amplius, dum probat primo exemplo, quodlibet non fieri ex quolibet, sed contrarium determinatũ ex contrario determinato, dicit vt album ex nõ albo, quod est nigrum, aut medijs, & absolutè loquitur, dum verò dat secundum exemplum, dicit, vt musicum ex non musico, q. est immusicum, aut si aliquid ipsis medium, & loquitur cõditionaliter, quæ est causa istius diuersitatis? Hæc omnia explico, quia nõ absq; industria hæc egit Arist. Sed maximo vsus est artificio, dum vsus est tot exemplis dat intelligere, quõd dum dixit, principia esse contraria, hoc non esse de vera tantùm cõtrarietate intelligendum, sed etiã de alijs oppositionibus, in quibus alterum extremorum habet rationem habitus, alterum rationẽ priuationis, vndè Arist. dicet infrà text. 68. ad generationem sufficere vnum contrarium, vt potè cum alterum habeat rationem priuationis, alterum habitus, sufficiet tunc vnum cõtrarium, non absolutè, ità quõd dicat vnum

Quæ sit differẽtia inter immusicũ, & nõ musicum.

tantùm

tantùm, sed vnum positiuè, quia priuatio in re nihil ponit; Vsus est etiam illis duobus loquendi modis, quia inter illos quàm maxima est differentia cum muscicum, & non muscicum sint contradictoriè opposita, muscicum verò, & inmuscicum sint opposita secundum priuationem, & habitum, inter quæ est maxima differentia, cum priuatiuè oppositum neget formam in subiecto, supponat, q; subiectum illud esse aptum natum illam recipere, quod nõ conuenit cõtradictoriè oppositis; do exemplum, si quis dicat, lapis est non muscicus, hæc est vera propositio; at si quis dicat, lapis est inmuscicus, est falsa, cum inmuscicum neget formam, sed relinquat aptitudinem in subiecto, quæ nullo modo lapidi conuenit, vt patet; Dum verò loquutus est de medio inter priuationem, & habitum, loquutus est conditionaliter, eò quia difficultas est, an inter opposita secundum priuationem, & habitum detur medium, cum hanc sub ambiguo relinquat, videtur ipse satis esse dubius, quæ difficultas de oppositis cõtrariè soluta est ab ipso Arist. in Post. Præd. Cap. de oppositis; Sed qd sit sẽriẽdũ de medio inter opposita sm̃ priuationẽ, & habitũ, bræuiter declaro; Et in primis ẽ notãdũ, q; mediũ ẽ duplex, aliud p abnegationẽ extremorũ de

determinauit Arist. in Post præd. & dixit, dari; Alterum est per participationem extremorum, de quo est tota difficultas, pro qua dirimenda est notandum, quòd si loquamur secundum rem, tale medium in re ipsa inter hæc opposita secundum priuationem, & habitum non datur, & ratio est, quia priuatio cũ sit pura negatio, nihilq; ponat in esse rei, sed sit tantùm ens rationis, ideò fieri non potest vt sit in re aliquod medium, quod participet & priuationem, & habitum; At si loquamur secundum nostrum modum intelligendi prò vt intellectus concipit hoc esse extremã priuationem, maximèq; ab habitu distantem, & hoc aliud quod minus distet ab habitu, sic poterit dari tale medium, cum hoc quod minus ab habitu distat, possit dici medium per participationem, nempè secundum nostrum modum intelligendi, & secundum ens rationis, cum priuatio modo dicto sumpta sit ens rationis, interq; entia rationis datur magis, & minus, vna enim oratio dicitur magis perfecta, alia minus perfecta, sic & in proposito, intellectus concipiet hanc priuationem esse magis, aliam verò esse minus distantẽ ab habitu, sicq; illa quæ minus distat ab habitu, erit quodammodo medium per participationem; Ex quibus colligatur, quòd Auerroes, & alij

& alij negantes medium per participationē inter priuationem, & habitum, loquuti sunt secundum rem: si ècontrà probetur, illud dari, hoc erit verum secundum intellectum.

Controuer. 2. super eisdem contex. 43. 44.

VOlens Arist. probare, omnia fieri ex contrarijs, & corrumpi in contraria, videtur petere principium, ideſt assumere id, quod ab ipso est probandum, arguit enim sic id quod generatur, nō generatur ex quolibet, sed ex contrario determinato, similiter quod corrumpitur, non corrumpitur in quolibet, sed in contrarium determinatum, quæ omnia declarat in tex. 45. subsequenti; ac 46. tandem colligit conclusionem dictam in tex. 47. omnia fieri, & corrumpi in cōtraria, & ex contrarijs, quæ conclusio nō videtur esse differens ab assumpto, Cessat hæc instantia, eò qa antecedens dictum accipit tāq̄ per se notum, ac sensu ipso manifestum, quēadmodum si probare vellemus, omnem hominem esse risibilem, & assumeremus hunc hominem esse risibilem, & illum quoq; esse risibilem, ergò & omnis homo erit risibilis, ob hoc non committeretur principij petitio, quia assumerentur illi singulares homines esse tales, tamq̄ sensu ipso notum, sic quoq; facit Arist. in præsenti, qui discurrendo, & p

An ratio Arist. probātis oīa fieri ex cōtrarijs, petat pncipium.

simplicia, & per composita, concludit omnia fieri ex contrarijs, & in contraria corrumpi; Ex quibus Arist. dictis potest ratio formari ostensiua, qua probabitur conclusio dicta, & ratio erit talis, Omnis trãsmutatio est à cõtrario in contrarium, omnis generatio, & omnis corruptio est transmutatio, ergò erit à cõtrario in contrariũ; Maior probatur hic ab Alexan. sic, omnis transmutatio, vel est ex diuerso in diuersum, vel ex simili in simile, vel ex contrario in contrarium, non primum, quia termini transmutationis debent esse incompossibiles, nec possunt se compati, at diuersa se compatiuntur in eodem, ergò diuersa nõ possunt esse termini transmutationis; Nec secũdum, quia quod est simile nõ potest fieri simile, nec agens agit, nisi vt sibi assimilet passum, ergò sequitur tertium, quòd fit de contrario in contrarium; Et attendas Arist. per contraria non intelligere ipsa abstracta, sed ipsa concreta, albedo enim non fit, sed albũ, hoc est ipsum compositum est id, quod fit, quodq; hoc sit Arist. intentum, colligitur ex eius exemplis, qui semper exemplificauit de composito, vt muscicum ex inmuscico, & sic de alijs; Ex quibus exemplis colligas Arist. seruare methodum, quã suprà proposuit tex. 2. ac 3. per quam ascendimus in cognitionẽ principio-

Quid intelligat Arist. per cõtraria.

principiorum, quæ methodus est ex nobis notioribus, quæ nobis notiora dixit esse cõfusa, & per confusa intelligebat omnia cõfusa, & composita, & vniuersalia, ex compositis ascendimus in cognitionem principiorũ ipsa resoluendo, ex vniuersalibus verò ipsa diuidendo, ideo volens docere principia esse contraria, exorditur ab hac vniuersali propositione, quòd omnia quæ fiunt, fiunt ex contrarijs, & in contraria corrumpũtur, quæ propositio adeò est vniuersalis, quòd in omnibus verificatur, tam in naturalibus, quàm in artificialibus, tam in simplicibus, quàm in compositis. Et si quis petat causam, quarè natura voluerit omnia fieti ex contrarijs; Erit dicendum hanc fore, vt seruetur temperies in his, quæ generantur, quæ temperies mutuere contrariorum causatur, omnia enim ad tẽperiem rediguntur per ipsa contraria, cũ tẽperatura ex extremis dependeat, & ideò ab Arist. 2. Cœli tex. 18. dicetur, quòd si in natura vnum contrariorum reperitur, de necessitate reperitur alterum, quia si aliter esset, tunc non reperiretur temperatura, quæ ex contrarijs constat.

Causa cur natura voluerit omnia fieri ex cõtrarijs.

Controuer. super tex. 49.

IN fine istius contextus dicit Aristoteles Intellectum, quem vocat nomine rationis

rationis esse ipsius vniuersalis, sensum verò ipsius singularis; Cuius oppositum ipse habet in fine Secundi Post. tex. 106. iuxtà sectionem Auerrois; Solutionem habes in controuer. notatis super Libr. Poster. in fine Secundi.

An sit Aristot. hic supfluus

Controuer. j. super tex. 50.

INcipiens inquirere numerum perfectum principiorum, in principio istius contex. probat principia numero vnum minimè esse posse, nec pariter numero infinita, Sed si superius contrà Parmenidem, ac Melissum disputando, exactè probauit principia numero vnum nequaq̃ esse posse, disputando quoq; contrà Anaxagoram ostendidit principia numero infinita nullo modo esse posse, superfluus igitur videbitur esse, cum iterũ hæc probet; Breuiter respondetur ipsum nõ esse superfluum, quia si superius ostendidit principia numero vnum non esse, hoc fecit confutãdo tantummodõ Parmenidem, & Melissum. iterum hoc onus assumit, vt redarguat omnes & quoscunq; qui vnum posuere principium, siuè immobile, siuè mobile: Pariter probauit principia numero non esse infinita, confutãdo tantummodo Anaxagoram, hic modõ iterum hoc idem ostendit, arguendo nedùm cõtrà Anaxagoram, sed etiam contrà quoscũq;

alios

alios, qui posſuere p̃ncipia numero infinita.

Controuer. 2. ſuper tex. 50.

RAtio ſecunda, qua probat principia nõ eſſe numero infinita, talis eſt, In omni genere vno, eſt vna contrarietas, ſubſtantia eſt vnum genus, ergò in ea eſt vna cõtrarietas; Subintelligendum eſt, quælibet contrarietas eſt inter finita, ergò principia erunt finita; Huius rationis habetur in textu maior, & minor; Quæ duæ propoſitiones sũt adnotandæ, quomodo in quolibet genere ſit vna contrarietas, pariter ſi ſubſtantia eſt vnũ genus, quòd in ea ſit contrarietas, cũ oppoſitum huius, vbiq; ab Ariſt. habeatur, & præſertim in Prædic. Cap. de Subſtantia, & in Quinto huius tex. 10. vbi ſcriptum reliquit, Subſtantiæ nihil eſſe contrarium: In primis, notandi ſunt termini illarum propoſitionũ, qui diuerſimodè ab interprætibus exponũtur, prò vt refert Simplicius, qui refert expoſitionem Alex. dicẽtis, Ariſt. (per genus) intelligere genus, quod diuiditur in ſpecies, & dicitur ſubalternum, non autem genus, quod diuiditur in alia genera, ideſt generaliſsimũ: (& per ſubſtantiam) dixit, Ariſt. intelligere formam materialem, ac compoſitum generabile, & corruptibile: Ammonius verò referente adhuc Simplicio, dixit, Ariſt. nomine

An in quolibet vno genere ſit vna cõtrarietas; Et an in ſubſtãtia ſit cõtrarietas. Vid. controuer. 3. ſup tex. 52.

Solutio Alex.

generis audire genus Physicum, non autem genus logicum, quod genus Physicum dicitur materia, seu subiectum, sicq; exponit, in omni genere, idest in omni materia, seu subiecto est vna contrarietas, per substantiam verò dixit Arist. intelligere prædicamẽtũ substantiæ; At Syrianus, quem insequitur Auerroes, accipiunt terminos propriè, dicuntq;, quòd Arist. per genus intelligit id, quod est genus propriè .s. prædicamentum, sicq; intelligit & substantiam, & quantitatem, & alia prædicamenta, quæ dicuntur genera, per substantiam verò exponit prædicamentũ substantiæ; Licet autem multa in medio afferri possent prò Alex. & contrà Alex; prò Ammonio, & contrà Ammo; Pariter & prò Syriano, ac Auerroe, ac contrà illos, illa tamen missa facio, quia paruam afferẽt vtilitatẽ, & breuiter dico, quòd & si omnes istæ expositiones videantur differentes, sunt tamen in sensu concordes, in fundamentoq;, ac sententia sunt eædem, tantum in verbis differunt; Quod declaro, & primò noto, quòd cũ Arist. dicit, substantiam esse vnum genus, per substantiã non intelligit substantiam communẽ corruptibili, & incorruptibili, quia illis nihil est commune vniuocum, genus autem q̃liber debet esse vniuocum, nec per substan-

Solut. Syriani, & Auerrois

Concordat tres solut. dictæ.

tiam

tiam intelligit quid commune materiæ, formæ, & composito, cum talis substantia minimè sit vniuoca; Sed per substantiam intelligit substantiam compositam ex materia, & forma, quæ substantia pendet à materia, cuius est ratio, quia huiusmodi substantia composita est materialis, quæ propriè ponitur in prædicamento; Secundò noto, quòd huiusmodi materialia conueniunt in subiecto, seu in materia communi, ratio est, quia omnium eorum, quæ locantur in prædicamento substantiæ, est vna communis materia; Quibus sic stantibus, iterum dico, quòd licet istæ opiniones videantur diuersæ, in fundamento tamen sunt concordes, & hoc declaro; Syrianus, & Auerroes per substantiam intelligebant prædicamentum substantiæ, cum his cõcordat Ammon. q. p substãtiã exponebat subiectũ cõmune, seu materiã, Iá aũt dictũ est oĩa hæc materialia cõuenire in subiecto communi; Hoc idẽ pariter Alex. vult, qui per genus exposuit genus subalternũ, q. diuidit tũ in species, & per substãtiã exposuit substãtiã materialẽ, ac cõpositũ materiale, sicq; cõstituit Alex. prædicamẽtum substantiæ, q. minimè diuidi potest in alia genera, sed tantum continet materialia, substantiasq; corruptibiles. Quare licet Syrianus, Alexand. Ammonius

Ammonius vario modo exponant terminos, omnia tamen reducunt ad prædicamentũ substantiæ, sicq; eorum lis tantũm est in verbis, at in sententia sunt concordes: Ex omnibus autem illis tribus expositionibus, illa Syriani, ac Auerrois erit maximè approbanda, cũ ipsi terminos propriè accipiant, ac in eorum propria significatione; & sic in omni genere vno, .i. in omni prædicamento est vna cõtrarietas, substantia est vnum genus .i. vnum prædicamentum, apponit particulam illam (vno) prõ vniuoco, sicq; erit sensus, in omni genere vno .i. vniuoco, omne enim prædicamentum est vniuocum, est vna contrarietas, substantia est vnum genus .i. est vnum prædicamentum vniuocum, ergõ in ea erit vna contrarietas; & per contrarietatem intelligit Arist. quamcũq; oppositionem, & ista oppositio, quæ in substantia reperitur, erit duplex prõ vt substantia dupliciter consideratur, vel sub ratione entis, vel sub ratione, qua est composita, seũ generabilis, & corruptibilis, si primo consideretur modo sub ratione entis, contrarietas, seũ oppositio in ea erit penes corporeum, & incorporeũ, hæc enim est prima diuisio substãtiæ data à Porphyrio, quæ si consideretur secundo modo, contrarietas, quæ est in ea, seũ oppositio est

Prima diuisio substãtię quę sit.

penes

penes formam, & priuationē, quæ oppositio penes formam, seu habitum ac priuationē in omni reperitur prædicamēto, vt 12. Metaph. Arist. docet; Ex quibus sic adnotatis cōcordantur, vt patet oīa Arist. dicta, Omitto brævitatis gratia duas alias expositiones, quas ex mente propria affert Simplicius prædictis non contentus, cum omnia ex illis sine clara.

Controuer. 3. super eod. tex. 50.

PRincipia autem semper manere oppor- An hæc
tet,) dicit Arist. in vltimis istius textus propositio,
verbis; Cui propositioni obstat ratio, principia
cum forma & priuatio sint principia, & non semp manere,
semper maneant, formæ enim generabilium, sit
& corruptibilium sic se habent, quòd omnes vera.
variantur, generantur namq; & corrumpūtur, pariter, & priuatio in aduentu formæ cortūpitur, generaturq; in eius recessu licet in p- Prima ex
priè; Ioannes Gram. quadrupliciter hāc ex- positio
posuit propositionem: Primò notat, aliquos Io. Gr.
dixisse hanc propositionem esse intelligēdā
de principijs cœlestibus, quæ sempiterna Confut.
sunt, & sunt causæ omnium sublunariū, quēadmodum sunt corpora cœlestia, ac corū motus: Quam expositionem ipse confutat, quia Arist. hic non loquitur de principijs effectiuis, sed de formalibus: Idcirco dat secundā Secunda
expo- expos.

expositionem ex mente non nullorum, qui
Confuta. dixere, per principia Arist. intelligere causas vniuersales antè multa, quæ à Platone vocantur ydeæ; Contrà quos instat, & primò, quia Arist. semper conatus est destruere huiusmodi vniuersalia, igitur nō potest illa intelligere; Tum quia hic disputat de principijs contrarijs, quæ mutuò inter se agunt, & patiuntur, & quæ sui præsentia, & absentia sunt causa generationis, & corruptionis, quæ nullo modo his conueniūt ydeis, seu his vniuersalibus antè multa; Tertiò exponit quos-
Tertia expos. dam hanc propositionem intellexisse de trina dimensione, materiæ coæterna, quæ semper manet, cum sit immutabilis; Quos im-
Confuta. pugnat quia Arist. hic loquitur de principijs formalibus, at trina dimensio potius se tenet ex parte materiæ, de qua Arist. hic non est intelligendus; Vltimò exponit hanc propositionem ex mente propria, cui expositioni
Vltima expositio cui adhæret Simplic. Simpl. adhærere videtur, & dicit, quòd per illud (semper manere) non intelligit Arist. quòd semper maneant secundum tempus, adeò quòd sint æterna, quia hoc esse falsum patet ex argumentis adductis, sed verborum sensus est, quòd semper manent. s. in omi trāsmutatione principia, cum materia concurrat vt subiectum, priuatio, vt terminus à quo, for-

ma

ma verò vt terminus ad quem, sicq; necesse est omnem trãsmutationem per hæc fieri; Clarius tamen crediderim esse dicendum, Arist. per illa verba (principia oportet semper manere) distinguere principia ab ipsis principiatis, hoc modo, quòd principia semper manent .s. principia, adeò quòd nunquàm subeunt vicẽ principiati, nam forma, quamuis fiat semper tamen manet .s. principium, semperq; habet rationem principij, numquàm verò potest obire vicem principiati, & hoc, quia de ratione principij est, quòd sit primum, adeò quòd non sit resolubile, seù reducibile ad aliud; Alexander autem Primo Lib. Quæst. Natural. Cap. 16. hanc considerans propositionẽ, sensum illius à me dictum cum aliquo modo tetigerit, alio modo eam exponit, dicitq; illã particulam (semper) connotare vniuersitatẽ materiæ, quæ est huius generis, ac naturæ, & conditionis, vt in qualibet illius parte semper reperiatur forma, & priuatio, pars formæ, & pars priuationis, & ideò oportet hæc principia semper manere, ideſt oportet vt semper in qualibet parte materiæ reperiatur forma, & priuatio; Quæ expositio licet in se sit vera, non videtur tamen esse ad propositum Arist. in hoc textu, sicut patet considerãti illum,

Quam

Quam Alex. expositionem recensere volui, quia Simplicius in hoc loco eam longè secus refert, imponit Alex. ipsum velle, Arist. dixisse, oportet principia semper manere, ideſt esse æterna, sicq; primum agens, Deus ipse, ac primum patiens quod est materia prima, sũt æterna, & si loquamur de cõtrarijs, i. de forma, & priuatione, dicit, quòd forma, & priuatio possunt dupliciter cõsiderari, vel in specie, vel in numero, si in specie considerentur sunt æterna, minimè in numero; Quam expositionem Simplicius reijcit, & primò, qa loq de Deo in præsenti loco non facit ad rẽ, quoniam Deus est causa externa, at modõ quærũtur principia interna; ergò quod dicit Alex. non est ad rem; Insup, si loquamur de æternitate in specie, tunc nè dum forma, & priuatio sunt æterna, sed etiam alia contraria sunt æterna: Quare forma, & priuatio ab alijs nõ differunt contrarijs; Sed profectò miror de Simplicio, qui hæc imponat Alex. cum ipse Alex. Primo Quæst. Natural. loco allegato considerans hæc Aristot. verba, aliter vt iam dictum est ipsa exponat; quare hæc expositio omittatur, & à duabus primis non recedatur.

Controuer. super tex. 51.

INcipit probare, quòd duo contraria tãtũ non sint principia rerum naturalium, & hac ratione videtur vti, illa sunt principia, ex quibus potest aliquid generari, ex duobus cõtrarijs nihil potest generari, sicuti patet in textu, ergò duo contraria nõ erunt principia: Sic arguendo sibi contrarius videtur esse, cum suprà tex. 41. probauerit duo contraria esse principia; Insuper, sua ratio non videtur esse ad propositum, cum sua intentio sit loqui de principijs intrinsecis, & non de extrinsecis, de quibus nunc loquitur de efficiente enim, & fine sua ratio hic procedit, quod patet ex modo eius loquẽdi, qui in textu dicit: (Dubitabit aliquis quomodo densitas, raritatem facere apta sit, &c.) Quo ad primum est dicendum, Arist. hic probare duo contraria non esse principia .s. sufficiẽtia, quia ex se sola aliquid nequeunt efficere, quod nõ repugnat superius dictis, in quo etiam sensu rationes eius subsequentes conclusionem prædictam probantes, erunt intelligendæ, cum omnes probent duo contraria non esse principia rerum naturalium .s. sufficientia: Quo ad secũdum, est dicendũ, eius rationem maximè ad propositum esse, siuè de efficiente, siuè de forma intelligatur; Si

An prima Arist. ratio probãtis duo contraria tantũ, nõ esse principia, sic recta.

de

de efficiente sit sermo, ratio valet, quia cum efficiens ad generationem cõcurrens permutet subiectum, vt formam educat, necessariò igitur patiens concurret, quod patiens est subiectum, seu materia, quæ duo scilicet forma, & materia sunt principia intrinseca, ergò de principijs intrinsecis ratio Arist. procedet; Si verò de forma eius intelligatur ratio, tunc nota, quòd per facere, non intelligit efficere, quod pendet à causa efficiente, sed per facere intelligit formare, & perficere, quod prouenit ab ipsa forma, quo etiam modo infrà tex. 55. accipiet illud verbum (facere) cum dicet, antiquos posuisse vnum principium pati, duo verò contraria facere, sensus erit, formare, & perficere.

Controuer. 1. super tex. 52.

Examinatur 2. rõ, quapbat duo contraria non esse principia.

SEcunda ratio Arist. qua probat, duo cõtraria non esse principia semper subintelligas sufficientia, vt nunc suprà fuit dictum, est talis, Principia sunt substantia rei, contraria non sunt substantia rei, quam propositionẽ ponit in textu in illis verbis, (nullius enim videmus eorum, quæ sunt substantiam esse contraria,) ergò, &c. Maior propositio ab eo accepta videtur falsa, quia si sic, substantia

substantia fieret ex substantia, sicq; substantia esset, antèquã fieret; Quod argumentum licet sit apparens, nihil tamen cõcludit, quia substantia, quæ fit, est substantia composita, quæ non fit ex substantia composita, quia si sic, argumentum concluderet, sed fit ex suis principijs, quæ sunt substantiæ simplices, sicq; id quod prò inconnenienti habetur, nõ est inconueniens, cum substantia composita præsupponat substantiã simplicẽ ex qua fit;

Controuer. 2. super eodem tex. 52.

DIcit Arist. (Principium autem non de subiecto oportet dici aliquo.) In quibus verbis format rationem tertiam: qua probat duo contraria non esse principia subintelligas sufficientia, est talis, Principia substantiæ nõ dicuntur de aliquo subiecto, idest nõ sunt in aliquo subiecto, p dici enim de subiecto, intelligit esse in subiecto, sicut pluries est adnotatũ, at duo cõtraria dicũtur, idest, sũt in subiecto, ergò &c.; Maior ꝓpositio ab Arist. ꝓbatur, qui dicit, (subiectũ prius est ipso prædicato) quo circà subiectũ nõ poterit habere aliquid se ipso prius, aliter principij esset principiũ, vt ipse in tex. dicit: Difficultas est ĩ illa ꝓpositione, (subiectũ est prius ꝑdicato;) eo quia subiectũ gerit vicẽ materiæ prædicatũ verò formæ, forma autem est prior

An subiectum sit prius ꝑdicato.

materia, ergò &c. Insup id q̃ é cõmunius, id ẽt é prius, prædicatũ subiecto est cõmunius, ergò etiam erit eo prius, cuius oppositũ affirmat Arist. Vt propositio Arist. sit vera, vtq̃ soluantur difficultates, est animaduertenda, quòd cùm Arist. dicit, subiectum esse prius prædicato, hoc dictum non esse intelligẽdũ de prædicato essentiali, quia cum tale prædicatum prædicetur de subiecto per modum totius, vt animal de homine, & reliqua consimiliter talia genera respectu spetierum, necesse etiam est, vt talia prædicata essentialia sint priora ipsis subiectis, animal .n. est prius homine, dictum igitur Arist. intelligatur de illo prædicato, quod est in alio vt in subiecto .i. de prædicato accidentali q̃ prædicatum accidẽtale semper est subiecto posterius; Quare licet prædicatum se teneat ex parte formæ, ob hoc non erit prius subiecto, cum forma, quæ est prior materia, seù subiecto, sit forma substantialis, non autem accidentalis, cuiusmodi sunt talia prædicata, quæ dicit Arist. subiecto esse posteriora; consimiliter, nõ omne communius alio est eo prius, talis propositio tantummodo verificatur de illo magis communi, quod est substantiale, quod si fuerit accidentale semper erit subiecto posterius.

Con-

Controuer. 3. super eodem tex. 52.

AMplius, non esse dicimus substantiam contrariam substantiæ,) Cui propositioni obstare videtur Aristot. suprà tex. 47. vbi scriptum reliquit, quòd omne q̃ fit, fit ex contrario, at substantia fit, ergò fiet ex contrario. Insuper in tex. 50. dixit in oĩ genere vno, est vna contrarietas, substãtia est vnum genus, ergò in ea erit vna contrarietas; Cessant hæc omnia ex adnotatis in controu. super tex. 50. Dictum enim est, ibi per contrarietatem intelligere quamlibet oppositionem quo circà nunc obiectis respondendo, erit dicendum, quòd omne quod fit, fit ex contrario, vel positiuo, vel priuatiuo; In substantiaq̃, erit vna contrarietas vel positiua, vel priuatiua, in ea erit contrarietas positiua, si considerabitur substantia ratione accidẽtium, priuatiua verò si meritò sui de ea erit sermo.

Controuer. super tex. 53.

POstq̃ pbauit Aritt. sola cõtraria non esse satis prò rerum naturalium productione, cõcludit, esse necessarium ipsis cõtrarijs super addere materiam, ex cuius superadditione soluuntur omnes difficultates; Quod dictum si est verum, sequetur ergò; quòd materia magis habebit rationem prin-

An materia sit magis principium q̃ forma.

cipij, quàm forma, quod esse falsum videtur cum materia sit ens in potẽtia, forma sit actus, consequentia est manifesta, cum materia sit contrariorum fundamentum. Est dicendum, quòd si materia cõsideretur in ratione subiecti recipientis formam, sic materia habet magis rationem principij, quàm forma, quæ demum si consideretur vt ens in potentia, & forma, vt ens in actu, sic forma habet magis rationem principij.

Controuer. 1. super tex. 56.

An si duæ sint contrarietates duo etiã sint subiecta.

DIcit Arist. (Si duæ erunt cõtrarietates primæ, ergõ duæ erunt primæ materiæ;) Quæ consequentia repugnare videtur; Arist. in 2. lib. de Gen. & Cor. vbi docet, prima contraria esse quatuor, calidum, frigidum, humidum, & siccum, quæ constituũt duas contrarietates, quæ tamen non habent duas materias, seù duo subiecta; Insuper, prædicamenta sunt decem, ergõ ipsorum decem erunt contrarietates genere distinctæ, ipsorũ tamen tantum una est materia, nam substãtiæ, quantitatis, qualitatis, aliorum q; est vna tantùm, ac eadem materia, cum omnium prædicamentorum sit eadem materia; cum verò in quolibet genere vno, vna sit contrarietas, sicut decem sunt genera prima, sic decem erũt primæ contrarietates, quarum tamen omnium

eadem

eadem est materia ergō, &c. Respondeo, Arist. sententiam præsentis textus esse verā, quia si multiplicantur contrarietates primæ, necessariō multiplicatur materia, seū subiectū, ratio est, quia vnum subiectum nō potest habere nisi vnam contrarietatem primam; Ad argumenta respondeo, ad primum, dico, illa non esse prima contraria absolutè, ac simpliciter, sed dicuntur prima contraria in ordine, ac respectu ad qualitates tangibiles; non sunt prima absolutè, quia reducuntur ad primam contrarietatem, videlicet ad habitum, & priuationem, quæ est prima contrarietas, nam calidum dicit formam, frigidum verō dicit priuationem; Similiter humidum reducitur ad formam, siccum ad priuationem; Ad secundum, dico omnium prædicamentorum esse eamdem materiam, non absolutè, sed ordine quodam, nam materia primō est ipsius substantiæ, secundariō verō ipsorum accidentium, sicut docet Arist. in Primo lib. de Gen. & Cor., Sic quōq; omnium prædicamētorum erit vna contrarietas, non simpliciter, sed ordine aliquo, quia omnes cōtrarietates decem prædicamētorum reducuntur ad vnā primam. s. ad habitum, & priuationem, quō circà sicut omnium prædicamētorum est eadē materia non absolutè, sed ordine quodā,

sic quoq; omnium prædicamentorum erit eadem contrarietas ordine quodam.

Controuer. 2. super eodem tex. 56.

cAn rerũ naturaliũ tantũ sint tria principia, adeò q̃ nec plura nec pauciora tribus.

VUlt Arist. principia rerum naturalium generabilium, & corruptibilium, tantùm esse tria; Oppositum videtur colligi ab eo in principio Quarti lib. Met; vbi vult quòd principia, & causæ conuertantur, tunc sic, causæ sũt plures tribus, ergõ etiã principia erunt plura tribus; Accedit ratio, vel.n. principia sunt tria numero, vel spetiẽ, vel genere; Numero non, ratio est, quia sicut res, quæ generantur numero sunt quàsi infinitæ, sic quoq; illarũ principia, cum principia & principiata sint rellatiua, & vno rellatiuo multip. multiplicatur ẽt alterũ, Nec sunt tria spetie, quia sicut principiata sunt spetie multo plura tribus, sic & principia, per eamdem rationem nunc suprà adductã, quia sunt rellatiua; Neq; erunt tria genere, quia si quærimus principia substantiæ, illa erunt tantummodõ vnius generis. s. substantiæ; Similiter si quærimus principia quantitatis, illa erunt quoq; vnius generis; Principia enim substãtiæ non sunt principia quantitatis, neq; principia quantitatis sunt principia qualitatis; Si verõ loquamur de principijs omnium prædica-

dicamentorum, tunc patet, quòd principia erunt plurium generum, & non trium generum, ergò principia non erunt genere tria, cũ non respectu omnium prædicamentorũ, neq; in respectu vnius generis, vt patet, ergò, Ex altera parte videtur, quòd sint pauciora tribus, immò tantùm vnum sit principium, ex authoritate Arist. 12. Met. dicentis multitudo principiorum, & principatuum mala, sit igitur vnum principium, & vnus princeps; Insuper priuatio non est principium ergò adhuc sunt pauciora tribus, antecedens probatur, quia priuatio non est substantia, nec accidens, ergò non est ens, & per consequens nec erit principiũ, & ideò Arist. infrà tex. 79. istius Primi dicet priuationem nõ ens esse; Nec forma etiã erit principiũ, cũ forma ipsa ꝓmutetur, ac varietur, nec semp manear, principia autẽ semper oportet manere; Vt veritas ꝓpositionis adductæ de facili habeatur, hæc sunt notanda, Et primò quòd Arist. hic loquitur de p̃ncipijs intrinsecis. s. generationis, & corruptionis rerũ naturalium, de quibus loquẽdo, dicit esse tria, cuius dicti ratio hæc est; In qualibet transmutatione intrinsecè considerata, necessariò requiruntur tria, vnum quod deferat transmutationem, & hoc est ipsum subiectum, secundò requi-

runtur duo termini, vnus à quo .s. incipit trãsmutatio, & alius ad quem .s. erminatur, sicq; generationis tria sunt principia; Quæ tria iure merito in qualibet transmutatione sunt necessaria, & primò ipsum subiectum ad hoc scilicet, quòd deferat ipsam transmutationẽ, duo verò contraria, eo quia quælibet trãsmutatio est de contrario in contrarium, & subiectum semper manet vnum, & idem sub vtroq; termino, vt exempli gratia, si consideremus lapidem descendentem à sursum in deorsum, lapis est vnus, & idem, licet varientur termini, sic in qualibet transmutatione adest materia, adsunt quoq; duo termini .s. à quo, & ad quem; Ex quibus apparet veritas dicti Atist. Primo Cœli ad principium dicentis, rerum perfectionem seruari in numero ternario, in eo enim consideratur principium, medium, & finis, sic quoq; hæc tria considerantur in principijs rerum generabilium, & corruptibilium, nam principium est priuatio, à qua priuatione res incipiunt permutari, medium est ipsa materia, quæ recipit, & defert ipsam transmutationem, finis verò est ipsa forma, quia est terminus ad quem terminatur ipsa transmutatio; Ex quibus erit concludẽdum, quòd principia .s. interna transmutationis rerum naturaliũ sunt tantũ tria ob ra-

Rerũ perfectio seruatur in numero ternario.

tionem

tionem iam adductam; Et tunc instantijs respondetur; Et prima est vera, accipiẽdo principiũ prõ interno, & externo insimul, quod si accipiatur prõ interno tantùm, nequaq̃ cõuertitur cũ causa, immõ tunc causa in plus se habet, quàm principium; Ad aliam est dicẽdum, quõd loquẽdo de p̃ncipijs substãtiæ tantùm sunt tria in genere, scilicet principiãdi, quæ etiam erunt vnũ genere, quatenus illa reducuntur ad vnũ genus substãtiæ, cum principia semper reducantur ad illud genus, cuius sunt principia, at principia substãtiæ, vel aliorũ prædicamẽtorũ sũt genere tria, quæ hæc principia tria triplicem habent habitudinem ad suum genus in triplici genere principiandi, quia vel vt subiectum, vel vt terminus à quo, vel vt terminus ad quem, sicq; principia erunt genere tria, ac genere vnum; Cum verò probatur, quõd sint pauciora, immõ quõd tantùm sit vnum, Dico quõd tantũ est vnum principiũ .s. immateriale; De priuatione, Dico quõd eõ modo quo est ens, eo etiam modo est principiũ. Est ens .s. per accidẽs, sic quoq; priuatio erit principiũ per accidens, nõ .n. est verè p̃ncipiũ, ità vt sit pars rei; De forma, qũo sit principiũ, cũ nõ semper maneat, & oporteat p̃ncipia sẽp manere, iã dictũ est in solut. vlt. contrauer. super text. 50.

quõd

quòd oportet principia semper manere .s. principia, eo quia nunq; subire debent vicem principiati, quod dictum simpliciter intellectum esse falsum, fuit ibi dictum, cum principia rerum variabilium sint variabilia, sicut principia rerum æternarũ debent esse æterna, sicq; sequitur principia tantùm esse tria, modo declarato, Quæ conclusio vt magis elucescat, nota, quòd omnes hæ conclusiones sunt veræ; Prima hæc sit, Principia sunt vnũ quæ verificatur, loquendo de principio primo absolutè seù de principio immateriali, est enim vnum tantum, qa tantùm vnus Deus; Secunda conclusio; Principia sunt duo, quæ veritatem habet, loquendo de principijs, qnæ in suo genere sunt independentia, ac æterna, & ista sunt Deus, & Materia prima, qa vt dicũt Stoici, & Pythagorici, Deus est omnium primum principium; cum sit omnium prima causa efficiens, Materia prima etiam est æterna, ac independens, cum à nulla alia dependeat; Tertia conclusio, principia sũt tria, .s. subiectum, & duo termini terminantes ipsam transmutationem, terminus à quo, & terminus ad quem; Quarta conclusio, Principia sunt quatuor, si accipiatur principium, vt cõuertitur cum causa; sicut declarat Aristot. in principio Quarti Met. vbi vult principia, &

Qũo rerũ nãliũ principia sint vnũ.

Qũo sint duo.

Qũo sint tria.

Qũo sint quatuor.

causas

causas conuerti, modò cum causæ sint quatuor, sic quoq; principia erũt quatuor; Quinta conclusio, principia sunt vnum supra viginti, quam declaro, & primò accipio, quòd omnium prædicamentorum est vna, & eadem materia, vltrà cõcurrit forma, & priuatio, quæ forma, & priuatio in quolibet prædicamento sunt diuersæ, nam forma, & priuatio substantiæ est diuersa à forma, & priuatione quantitatis, & sic de alijs, cum autem prædicamenta sint decem tunc erunt decem formæ, ac decẽ priuationes, ergò eruntviginti principia, addendo materiam, quæ omnium est eadẽ quodammodo, sic erunt viginti, & vnũ, quæ erũt tria, quia reducuntur ad tria per quandã analogiam; Sexta, & vltima conclusio: Principia sunt infinita, Hæc conclusio verificatur considerando ipsa principia non in genere, nec in spetie, sed in numero, sic enim sunt infinita quia cum effectus ipsi, seù principiata sint infinita, sic quoq; & ipsa principia, nam quæ sunt genita, & quæ demum generabuntur, & quæ nunc generantur sunt infinita, cũ per Arist. tempus sit æternum, & motus est æternus, mundus quoq; est æternus, ergò generatio est æterna, ergò principiata sunt infinita, ergò & principia sunt numero infinita, sicq; patet numerus principiorum.

Quõ sint vnum supra viginti.

Quõ sint infinita.

ATENEO VENEZIA

Controu.

Controuer. 3. super tex. 56.

An omnium sit vna, & eadem materia.

VErba Arist. sunt hæc, (Ad patiendũ autem sufficiens est vnũ subiectum;) Ex quibus verbis colligitur, omniũ vnã, & eamdem esse materiam; Ideò difficultas est, an omnium prædicamentorum sit vna, & eadem materia, quod etiam fuit tamq̃ verum à nobis acceptum in solut. controu. præcedentis; Videtur, quòd non, & primò, qa materia cœli, & horum inferiorum est diuersa, vt ait Arist. 8. Met. tex. 12. & 12. Met. tex. 10: Insuper, loquendo de materia horum inferiorum, adhuc patet non omnium vnam, & eamdem esse materiam, cum alia sit materia prima, à materia proxima; Accedit, q, si sermo sit de materia proxima, adhuc non omniũ est eadẽ materia, cuius ratio est hæc, q, sicut formæ sunt diuersæ, sic quoq̃; materiæ sunt diuersæ, quod patet, quia materia, & forma adinuicem referuntur, & sunt ad aliquid, teste Arist. 2. huius, tex. 26. Vltimò, si omniũ esset vna, & eadem materia, tunc sequetur, q, libet fieri ex quolibet, quod prò absurdo habuit Aristot. suprà tex. 37. ac in subsequentibus, disputans contra Anax. sic enim ex lapide posset generari homo; Oppositum videtur

detur dicere Arist. hic, cum dicit ad patiendum sufficiens est vnum, omnium igitur erit vna, & eadem materia; Quæ cõclusio est vera; Cuius ratio est desumpta ab ipsa experientia, Phylosophi enim obseruarunt hæc inferiora inuicem agere, & pati, inuicemq; trãsmutari, quod etiam nunc patet, cum ignis agat in aquam, & ècontrà, quæ inuicem agere, & pati minimè est possibile, nisi communicent in materia, & ideò Arist. Primo de Gener. & Cor. in fine textus primi dixit, omnium habentium ad se inuicem transmutationem, esse vnam materiam, idem asseruit ibi tex. 43. ac Primo Metheorum tex. 6; Vt autem soluantur de facili argumenta, sunt hæc adnotanda; Et primò quòd Phylosophi dicentes, omnium vnam, & eamdem esse materiam, loquuntur de materia cõmuni generabilium, & corruptibilium, non autem de propria, ex quo fundamento tolluntur tria prima argumenta; Vt verò tollatur quartum, est notandũ, quodlibet fieri ex quolibet immediatè, seu per vnam trãsmutationem, esse impossibile, at mediatè, seu mediantibus pluribus trãsmutationibus, hoc Arist. nõ repugnare, ex lapide enim fit homo mediãtibus tũ pluribus transmutationibus, hoc modo, lapis ponatur & putrescat, ex eius putrefactione

An quodlibet generet ex quolibet.

generabitur

generabitur planta, quæ producit fructum, q fructus si comedatur ab homine, conuertetur in sperma, vel in sanguinem menstruum, ex quo, deindè homo generatur, mediantibus his omnibus transmutationibus, sic q; erit verum dicere, quodlibet fieri ex quolibet mediatè, seù per plures transmutationes.

Controuer. super tex. 58.

Quæ sit causa, q; si aliquid generet ex parte subiecti vt in pluribus loquimur in recto casu, at ex parte priuationis In obliquo.

PONit differentiam primam inter subiectũ & priuationem sumptam ex parte nostri hanc, q; si aliquid fiat ex parte subiecti, vt in pluribus loquimur in recto casu, dicentes, hoc fit hoc, rarò verò in obliquo; Si verò aliquid generetur ex parte priuationis, ferè semper in obliquo casu dicemus, ex hoc fit hoc, rarò verò in recto casu; Istius differentiæ nullam assignans causam Arist. videtur ipse voluntariè, & absq; ratione loqui, quod tamen ipsi Arist. non est imponendum; Ideò est notandum, q; subiectum potest dupliciter considerari, vel per se sumptum, vel cum alio, si primo accipiatur modo, hæc est causa illius, quod primo dictũ est ab Arist. quod si cõsiderabitur, vt priuationi est coniunctum, tũc in obliquo loquemur casu, & quia sepius consideratur subiectũ per se, ideò & sepius loquimur in recto casu; Similiter de priuatione est dicendum, quæ vt

in plu-

in pluribus per se accepta consideratur, & ideò vt in pluribus similiter loquimur in obliquo casu, dicentes ex hoc fit hoc; quæ etiã aliquando consideratur, vt coniuncta est cũ subiecto, ideò & quandoq; ex parte priuationis sic acceptæ loquentes, loquemur in recto casu, dicentes, hoc fit hoc.

Controuer. super tex. 59.

POnit in hoc textu secundam differẽtiam inter subiectum, & priuationẽ, quæ desumpta est ex parte rei, & est hæc, ꝙ adueniente forma subiecto, subiectum permanet, quæ forma si priuationi adueniat, ipsa priuatio non permanet, sed euanescit; Quod dictum si est verum, quomodo igitur priuatio erit principium, cũ dictum sit suprà tex. 50. ab Arist. principia semper manere esse necessarium? Iã suprà fuit dictũ, illos in q̃ maximo esse errore, qui volunt principia semp manere, idest esse æterna, ꝙ hoc fuerit rectè dictũ, constat ex Arist. qui in præsenti textu considerans ipsa principia, formã nempè, & priuationem, quæ sunt generationis termini, manifestat ipsa non semper manere. s. æterna, imò hoc ipsis repugnare, termini enim generationis æterni nequaquã esse possunt, quia in aduẽtu vnius termini, necessario alter corrũpitur, ideò sic dicẽtes, toto aberrant cœlo,

An forma aduenientе subiecto, subiectũ ꝑmaneat quæ si adueniat priuationi, an ipsa euanescat.

Arist.

Arist. q; aduersantur, ac veritati, qui de principijs loquens, non quærit formam æternam, nec priuationem æternam, quia huiusmodi principia minimè possunt esse æterna, cũ sint generationis, ac corruptionis termini, qui necessariò debent variari, & corrumpi, licet in tali variatione semper maneant. s. principia, adeò q; nunq; subeunt vicẽ principiati, quocirca æterna esse non poterunt, cum priuatio in aduentu formæ euanescat, repugnet q; terminis generationis esse æternum.

Controuer. 1. super tex. 60. & 61.

Quare Arist. in tex. 60. & 61. iterũ repetat differẽtias inter subiectũ, & priuationẽ, & an sit superfluus cum illas suprà adduxerit.

CVm Arist. in his duobus contex. iterum repetat differentias inter materiã, seu subiectum, & ipsam priuationẽ, quas suprà in tex. 58. & 59. posuit, videbitur superfluus esse, quod vitium minimè Arist. est imponendum; Ideò nota q; alia, & alia ratione hoc actum fuisse ab Arist. hic. n. repetit illas differentias, ad hoc vt doceat materiam necessariò concurrere ad generationem rerũ naturalium, quodq; alio concurrit modo, q̃ concurrat priuatio, suprà verò illas adduxit differentias, vt poneret discrimen inter materiam, & priuationem; Sed insuper attendas, q; alicui videbitur Arist. abuti nomine materiæ, cum in his contex. 58. & 59. 60. & 61. eã semper vocauerit subiectum, & subiectũ non

sic

sic vocetur, nisi vt aliqua est forma informatum, materia verò sic vocetur .s. materia, quatenus est in potentia ad ipsas formas, sicut fuit sententia Auerrois in Primo Cap. de substantia Orbis: Hoc fuit à Simplicio obseruatum, qui totum hoc quod dicitur, cõcedit, ità enim est, q; abutitur nomine materiæ, cũ materia non dicatur subiectum, nisi quatenus sub aliqua est forma; Possumus tamen etiam dicere, Arist. non vocare materiam subiectũ ratione dicta à Simpl. quià .s. sit semper aliqua forma prædica, sed rõne qua habet formam substentare, sed quomodocumq; sit, de hoc non est facienda vis multa, cum parùm hoc referat.

Controuer. 2. super tex. 60.

An materia distinguatur ratione à priuatione.

DIcit Aristoteles, Materiam distingui à priuatione forma, & quid ipse intelligat (per formam,) se ipsum exponit, & dicit, (ratione,) idest diffinitione; Quæ explicatio nulla videtur esse, dicit Simplicius, quia si materia, & priuatio distinguuntur forma, distinguntur etiam diffinitione, cum diffinitio summatur à forma; Soluit Simplicius, & rectè, quòd Arist. sic sua exposuit verba,

quia vidit se vsum fuisse nomine materiæ nõ conuenienti, dicere enim materiam differe à priuatione forma, est dicere, informe formam habere; Ideõ nè quis credat Arist. hoc dicere, sua exponit verba, & dicit, (forma enim dico & ratione,) idest diffinitione.

Controuer. 3 super eod. tex. 60.

An materia, & priuatio sint vnum, & idem numero, seù subiecto.

DIcit Arist. quòd materia, & priuatio sunt vnum numero, omnes exponunt (numero,) idest subiecto; Opponitur, si ob hoc materia, & priuatio sunt vnum subiecto, quia sunt vnum numero, à pari materia, & forma erunt vnum secundũ subiectum, quia sunt vnum numero; Est dicendum, materiam, & priuationem esse idem subiecto, eo quia subiectum, & proprium eius accidens idẽtificãtur subiecto teste Arist. 2. Top. idcircõ cum priuatio sit proprium ipsius materiæ accidens, sic ambo erunt vnum numero, & p consequens subiecto, quod de forma asserere nequaq̃ quis poterit, cũ forma non sit accidens materiæ, sicuti est priuatio; Sed qui fieri poterit, adhuc dicet quis, quòd materia, & priuatio sint vnũ numero, quia si sic, erunt etiam vnum, & idem spetie, cũ idẽtitas numeralis inferat identitatem specificã; Erit respondendum, identitatem numeralem per se arguere identitatem specificam, sicut patet

in

in isto exemplo, homo, & animal rationale sunt vnum, & idē numero per se, idcircò erūt etiam vnum, & idem spetie; quod non verificabitur de his, quæ sunt eadē numero per accidens, sicut pariter exemplo constat, homo n. cum sua albedine, est idem numero, seù subiecto, sed per accidens, non tamen erit verum affirmare quòd sint eadem spetie; Sed insuper dicet ille, quomodo materia, & priuatio sunt vnum numero, seù subiecto, cum materia permaneat, priuatio non, sicut dicit Arist. in textu; Dicas sicut nunc, quòd materia, & priuatio sunt vnū numero, sed per accidens, ideò non est inconueniens, vt vnum maneat, quod quidem esset inconueniens, si essent idem numero per se.

Controuer. super tex. 64.

An compositū sit quod generatur.

IN hoc textu colligit Philosophus, quòd omne quod generatur est compositum; Opponitur, immò quod magis propriè generatur est forma, & non cōpositum, sicut in disputationibus contrà Proclum censuit Ioannes Gramm., ratione ista, Illud quod transit de non esse ad esse, illud propriè dicitur generari, at forma est quæ propriè transit de nō esse ad esse, quod si composito cōpetit, hoc est ratione formæ, ergò forma propriè erit illud quod generatur, & non com-

positum esse illud, quod propriè generatur, quæ etiam fuit eius mens 7. Met. tex. 28. qà illud cui competunt principia generationis, dicitur propr è generari, at principia generationis propriè competunt composito, ergò &c. Ad instantiam, quià compositum transit de non esse ad esse ratione formæ, forma verò per se, ergò forma, & nõ compositũ erit illud, quod propriè generatur: Respondeo, quòd generari per aliud contingit dupliciter, vel per aliud quod propriè generatur, vel per aliud tamq̃ per principium, & causam; exẽplum primi, vt risibilitas generatur per aliud quià generatur ad generationem hominis, q propriè generari dicitur, cõ similiter de alijs proprietatibus est dicendum, pariter, & accidentia dicũtur generari per aliam p generationem mixti, quod propriè generatur; exemplum secundi est in proposito, de ipso composito, quod generatur per aliud .s. per formam, & materiam, non quòd hæc duo materia, & forma generentur, sed quià sunt principia generationis, per quæ generatur compositum, qua stante distinctione, dico ad instãtiã, quòd illud quod generatur per aliud, quod propriè generatur, illud propriè non dicitur generari, vt in exemplo de proprietatibus, ac de accidentibus iam manifestaui.

Si verò

Si verò sit quid quod per aliud generetur, tamq̃ per principium, illud tale dicitur propriè generari, principia enim propriè nõ generantur, quià denominatio semper conuenit composito, & non ipsis principijs; Et hoc est quod fuit à nobis dictum in Lib. Concil. Cõtrouer. Super Primum Post. dum examinabatur illa propositio, Semper propter vnum quodq; & illud magis, quam propositionem esse in omnibus veram dicebatur, quotiescumq; conditio in qua fit comparatio vtriq; conueniebat, & causæ, & effectui, sic quoq; hic dicimus, quòd licet compositum generetur propter formam, ob hoc non sequitur, formam magis generari, quià conditio hæc generari, non conuenit formæ, nec principijs, sicut etiam non valet, paries est albus propter albedinem, ergò albedo est magis alba, negabitur semper consequentia, quoniam talis denominatio competit composito, & concreto, non ipsi principio, & abstracto.

Controuer. super tex. 65.

An materia sit ratione separabilis à forma.

COlligit Arist. istam conclusionẽ, quòd oĩa quæ fiunt constant ex materia, & forma quam confirmat his verbis, (resolues enim rationes, in rõnes eorũ; Sed cum duplex sit resolutio, alia per naturam, alia per intellectum, de qua hic loquitur?

Hoc primõ est declarãdum, Prõ cuius intelligentia est notandum, quòd resolutio naturalis est exempli gratia, dum animal resoluitur in carnes, ossa, neruos, & alia huiusmodi, similiter cum caro, & vnũquodq; aliud prædictorũ resoluitur in quatuor ellementa, hæc resolutiones vocantur naturales, quia natura tunc separat vnum ab alio; alia est resolutio per intellectũ, qua resolutione separatur albedo ab homine, quam albedinem ab homine natura nequaq̃ separare potest, talis tamen separatio fit per intellectum, & in hoc intellectus superat naturam, quia intellectus potest multa separare, quæ minimè à natura valent separari, sicut Auerroes 12. Met. com. 36. docet; & de hac resolutione Arist. hic loquitur, & ideò dicit Arist. quòd resolutio hominis albi non potest fieri per naturam, sed fit per intellectum, cognoscimus enim per intellectum albedinem aliud esse ab homine, variamq; vtriusq; assignamus diffinitionem, sicut autem diffinitiones sunt diuersæ, ità etiã res, quarum sunt diffinitiones erunt variæ, cumq; ipsius hominis, ac ipsius albi sint variæ diffinitiones, sic quoq; homo, & ipsa albedo erunt res variæ, ac diuersæ, sicq; assignando rerum varias diffinitiones, illas sic resoluimus, & hoc est quod dicetur ab Arist.

2. huius

2. huius tex. 12. qui dicet, quòd forma licet sit in materia, non est tamen ab ea separabilis nisi ratione, quia forma sine materia minimè seruari potest; Sed si de hac Arist. loquitur, tunc sibi ipsi videtur contrarius, hic, & 2. huius tex. 26. ibi enim dicet, formam, & materiam esse ad aliquid, at ea quæ sunt ad aliquid ità se habent, quòd vnum sine alio, neq; diffiniri, neq; cognosci potest, & ideò in 2. huius tex: 17. dicet Arist. naturalē phylosophum minimè formam sinè materia posse diffinire, quod etiam ab ipso fuit dictum in 6. & 7. Met. vbi dicit, quòd formæ naturales sunt sicut simum, quod non potest diffiniri absq; materia, igitur nec intellectus poterit talem hanc abstractionem facere: Doctissimus Zimara in sua tabula hanc mouet difficultatem, & illi respondendo dicit, marę. quòd sententia, quam hic habet Aristot. est vera, quò ad mathematicam considerationē, non autem quò ad Physicam, quia mathematicus abstrahit formam à materia, eamq; considerat sinè materia; Alij recentiores dixere hoc Arist. dictum verificari metaphysica cōsiderōne, nō aūt naturali, cū. n. Metaphysicus cōsideret formā absolutè, quatenus ens vt diffinit substātiā, illāq; cōsiderat sine habitudine ad materiā, quare hoc per intellectū

Solut. Zi

Sol. quorundā recentiorū.

poterit fieri consideratione metapysica, vel mathematica, minimè verò naturali; Sed neutra responsio est admittenda duplici de causa, prima est, quòd quãdò Arist. in aliqua disciplina suam profert sententiam, illam habere veritatem coacti sumus dicere quò ad talẽ, in qua versatur, & non quò ad alias disciplinas, vt consideratione metaphysica, vel mathematica; quare considerans formam naturalem, est dicendum, quòd formæ naturales vt naturales nulla cõsideratione possunt cognosci sinè materia, quià vt affirmat Arist. 7. Met., ac 2. huius, illæ formæ, quæ sunt vt rectum, sunt illæ, quæ sinè materia possunt cognosci, non autem illæ, quæ sunt vt simum, at formæ naturales sunt vt simum, quod sibi materiam determinat, ergò &c.: Accedit, quòd Arist. in 2. huius tex. 12. tradit eamdẽ sententiam de natura loquẽs, dicit, quòd forma quæ est natura potest separari à materia p intellectũ, patet igitur, quòd Arist. loquitur de forma naturali, dicitq; eam per intellectũ à materia esse separabilẽ; Dicendũ ergò erit, quòd omnia quæ fiunt constat ex materia, & forma, quià hæc resoluẽdo, resolues in rationes eorũ, idest afferẽdo eorũ diffinitiones, varia vtriusq; & cõpositi, ac ipsorũ cõponentiũ assignabitur diffinitio, sicq; alia erit diffinitio

Confutatur vtraq; solut.

Vera sol.

tio cõpositi, à diffinitione materiæ, ac formæ, quæ ipsũ cõponũt, uariaq; ipsius materiæ erit diffinitio à diffinitione formæ; Sed quamuis materia diffiniatur p formã, formaq; p materiã, sẽper tamẽ apparet differẽtia inter diffinitionẽ formæ, & materiæ, sicut exemplo patet de domino, & seruo, q quãuis sint ad aliquid, vnusq; p alterũ diffiniatur, sẽp tamẽ ĩ diffinitionibus illorũ seruatur differentia, ità etiã in ppositio, licet enĩ materia pformã diffiniatur, formàq; pmateriã, ĩ diffinitione tamẽ vtriusq; semper seruatur discrimen, illæq; diffinitiones semper sunt diuersæ.

Controuer. 1. supertex. 66.

An materia significet hoc aliquid.

ET omninò materia numerabilis, nã hoc aliquid magis: Opponitur, Id quod significat hoc aliquid subsistit, materia nõ subsistit, ergò &c.; Accedit, quòd id q̃ significat hoc aliquid est rei pfectio, & ideò x. Met. dixit Arist. quòd significare hoc aliquid formæ conueniebat, quia forma est rei perfectio, at materia non est rei perfectio, ergò &c.; Est considerandum hic, quòd significare hoc aliquid si accipiatur propriè, vt idem est quod significare aliquid subsistens, tunc primò, & principaliter conuenit ipsi composito, & hoc habetur ab Aristotile in Prædic. Capitulo de

Substan-

Substantia, vbi dixit, quòd significare hoc aliquid propriè conueniebat substantiæ primæ, quæ singularis est, quæ est per se subsistens, quæ digito potest demonstrari; Si verò accipiatur, vt idem est, quod significare hoc aliquid perfectum, quod dat esse rei, sic formæ competit, ipsa enim forma est quæ est rei perfectio; Si verò accipiatur significare hoc aliquid nõ propriè, sed comparatiuè, sic cõuenit ipsi materiæ, sicq; Arist. in præsẽti tex. considerans materiam per comparationẽ ad ipsam priuationem, asserit eam hoc aliquid significare, quòdq; loquatur de materia cõparatiuè, patet ex illo aduerbio (magis) in textu posito.

Controuer. 2. super tex. 66.

An priuatio sit principium p accidens.

SEparans Arist. materiam à priuatione, dicit, priuationem esse principium p accidens: Contrà quod dictum insurgunt difficultates, & primò; Si priuatio est principium per accidens, & de his quæ sunt per accidens non habetur scientia, quomodo igitur Arist. de priuatione tradit scientiã?; Augetur difficultas, quia ea quæ snnt per accidens sunt infinita, vt habetur 2. huius ab Arist. in Cap. de causis, de infinitis autem nõ est scientia, quia infinitum vt infinitum est ignotum supra tex. 35. dictum fuit ab Arist.,

quo-

quomodo igitur tradit Arist. de priuatione scientiam? ; Insuper si priuatio connumeratur inter principia, quia est principium per accidens, cum etiam multa alia sint principia per accidens, vt potentia materiæ, eius quantitas, & alia quæ materiæ, ac ipsi genito accidunt, ergò etiam ista inter principia erunt reponenda, cũ nõ maior sit ratio de vno, quàm de alio; Auerroes hanc vidit difficultatem, cui connatur satisfacere, præmissa ista distinctione, Id quod per accidens est duplex, vel n. est per accidẽs necessarium, vel est per accidens non necessarium, tunc inquit: Auerroes, quòd priuatio est principium per accidens, sed necessarium, ideõ iurè inter principia ab Arist. reponitur; Quæ Auerrois solutio videtur dubia, cum contrà eam occurrant instãtiæ ab ipso met Auerroe desumptæ; Prima est accepta ab ipso Auerroe Primo Post. Com. 35. quo in loco dicebat Auerroes contrà Alpharabium, non dari aliquod per accidens, quod sit necessarium, quia omne necesarium, est per se, qua stante sententia, tunc Auerroes sibi contradicere videtur; Alia summitur instantia ab Auerroe 8. huius Comm. 36. vbi inquit Auerroes, quòd id quod est per accidens contingit nõ esse, si sic est, ergõ id quod est per accidens

Sol. Auerrois.

Confuta.

non

non potest esse necessarium, quare Auerrois solutio in hoc loco videtur satis dubia; Simplicius facilius respondet huic difficultati, & satis rectè, qui notat priuationem ad duo posse referri, vel ad rem genitam, sic est principium per accidens, quia priuatio non est pars rei genitæ; Si verò priuatio referratur ad ipsam generationem, quoniã priuatio est terminus generationis, ponitur q; in eius diffinitione, tunc priuatio est principium per se generationis: Quòd autem priuatio sit de diffinitione generationis, patet ex 5. Phys. vbi Arist. diffiniens generationẽ, dicit, quòd generatio est transmutatio de non esse ad esse, cum igitur non esse ponatur in diffinitione generationis, & non esse sit priuatio, ergò priuatio ponetur in diffinitione generationis sicq; erit illius principium per se. Et ideò Arist. ibidem enumerans ea, quæ sunt transmutationi, generationiq;, ac motui necessaria, dixit, terminos ad generationem esse necessarios, quocircà priuatio censenda erit esse principium per accidens in ordine ad rem genitam, quià priuatio non est rei genitæ pars; erit verò principim per se in ordine ad ipsam generationem: At licet solutionem ab Auerroe datam confutauerim, si volumus tamen ipsum saluare, possumus dupliciter

Solutio Simplic.

pliciter: Et primò possumus dicere, quòd quando Auerroes dixit priuationem esse principium per accidens, considerabat eam respectu rei genitæ, quæ si consideretur in respectu generationis sic est principium per se, sicquè respectu diuersorum est principium per se, & per accidens, sicquè sententia Auerrois redigitur ad sententiam Simplicij; Vel dicere possumus quòd si Auerroes hoc in loco inquit, dari aliquod per accidens quod sit necessarium, & in Primo Post. hoc neget, quòd hic, & ibi alio, & alio modo loquitur de necessario, ibi enim loquitur de necessario, quod consideratur in prædicationibus necessarijs, & per se; ibi etiam Auerroes per necessarium intelligebat illud, quod omni ex parte est necessarium, & nihil accidentale includit, sicq; valdè propriè, ac strictè (vt ità dixerim) accipiebat necessarium, hic verò accipit necessarium magis latè; Et ex his difficultatibus propositis fit satis; Prima cessat, quià erit dicendum, quòd ea, quæ sunt per accidens, adeò quòd nullam includant necessitatem, à scientijs fore reijciẽda, at illa quæ mõ aliquo sũt necessaria, modoq; aliquo sũt p se illa inq̃ in scientijs cõsiderãtur, sũt quoq; finita: Tertia

Soluatur Auer. solut. dupliciter.

Tertia quoq; tollitur, licet enim sint multa alia, quæ ad generationem cõcurrunt per accidens, quæ tamen non connumerantur inter principia, cuius causa est, quia talia nullam includunt necessitatem, nec vllo modo sunt per se, sicuti sunt colores, quantitas, humiditas, & alia huiusmodi, quæ licet concurrant ad generationẽ hominis, vel alterius animalis, quia tamen non sũt per se, nec aliquo modo necessaria, ideò inter principia nõ reponuntur; Vel huiusmodi talia reijciuntur à principijs, licet concurrant ad rei generationem, eo quia talia ad tria prima principia ab Arist. posita reducuntur, potentia enim materiæ, similiter quantitas ad causam redigũtur materialem, sicq; non sunt connumeranda vt principia distincta à tribus ab Arist. declaratis, at priuatio concurrit ad rei generationem, vt principium distinctum, cum sit terminus à quo incipit ipsa rei generatio.

An priuatio sit absentia formæ.

Controuer. 1. super tex. 68.

IN fine istius textus inquit Arist. priuationem dici absentiam formæ, at superius tex. 66. dixit, priuationem esse accidens. Accidit q; Aueroes infrà Com. 75. & 79. dicet q; priuatio non est substantia, immò nec accidens; Quare ex his videtur nè dum Arist. si-

bi

bi contradicere, sed etiam Auerroi, & Auerroes ipsi Arist. Soluendo difficultatem, dico omnia esse vera, nec Arist, sibi cõtradicit, nec ipsi Auerroi, nec Auerroes ipsi Arist. Priuatio.n. est non ens, est quoq; ens, priuatio ex se, & ratione propria est non ens, nam priuatio remouet, sic quoq; priuatio ex se, & ratione propria est recessus, formæ q; absentia, Quãdo verò Arist. dicit, priuationẽ esse accidens, dicit Simpl. q; priuatio non est accidẽs, quẽadmodum sunt accidentia, quæ ponuntur in nouem prædicamentis, in nullo enim prædicamento est priuatio, sic q; nõ est aliquod accidens positiuum, sed priuatio dicitur accidens, sicut cum dicimus, mihi accidit non esse in foro, quod quidem accidens non est accidens positiuum, sed est quædam absentia, sic pariter se habet, de priuatione: Sed q̃uis hæc Simplicij sententia sit vera, adhuc tamẽ non patet, quomodo priuatio sit non ens: Et ideò erit notandum, maximam esse differentiam inter priuationem, & negationẽ, quia negatio solum remouet, nihil q; ponit, sicut etiam suprà in solut. controuer. j. super tex. 44. fuit dictum, declaro exemplo, si dixerimus, (lapis non videt,) hæc est negatio, quæ solùm remouet, nihil q; ponit, at priuatio nõ sic se habet, quamuis enim priuatio ex se, & ratione

Quo priuatio sit ens, & nõ ens.

Priuatio an sit accidens, & quo.

ratione propria remoueat, attamen secundariò, seu consequutiuè aliquid ponit, nã ponit aptitudinem in subiecto, vt si dixerimus, (homo est cæcus,) iste terminus (cæcus) est terminus priuatiuus, qui remouet visionem, tamen ponit subiectum esse aptum natum recipere visionem; pariter se habet de priuatione materiæ, quæ ex se, & ratione propria est non ens, & est ens per accidẽs, cum priuatio supponat subiectum esse aptum natum, sic q̃; consequutiuè connotat subiectum aptum natum, ratione q̃; sui connotati est ens.

Controuer. 2. super eodem tex. 58.

VErba Arist. sunt hæc; (Sufficiens.n. est alterum cõtrariorum absentia, & præsentia facere mutationem;) Quæ verba ab omnibus interprætibus exponũtur dè forma, quæ sui præsentia est causa generationis, sui verò absentia est causa corruptionis; Opponitur, quià hoc idem (dicet ille) poterimus de priuatione affirmare, nempè quòd priuatio per sui præsentiam est causa corruptionis, per sui absentiam est causa generationis; Respõdeo quòd talis sententia non potest, nec debet intelligi de priuatione, sed est intelligenda de forma, & ratio est, quià datur absentia formæ, at absentia priuationis nullo modo datur, quia absentiæ non datur absẽtia;

An forma p sui præsenti-ã sit causam generationis, p sui verò absentiam corruptionis

nec

nec priuationis priuatio, idcirco non poterit dici, quòd priuatio per sui absentiam sit causa generationis, cum priuatio sit ipsamet absentia; Sed si de forma intelligantur illa verba, quomodo erunt vera, cum ab vna, & eadem causa non proueniat nisi vnus effectus, & forma sit vna causa, igitur tantùm vnum producet effectum; Dicendum est, quòd ab vna, & eadem causa eodem modo se habente, non prouenit nisi vnus effectus, quæ causa si diuersis se habeat modis, sic potest effectus plures producere, sicq; est in præsenti de forma; At cum principium & causa conuertantur, teste Aristot. in principio Quarti Lib. Meth. omnia igitur principia quodammodo ad aliquam redigi debent causam, ad quam ergò causam priuatio redigetur? Nonnulli voluere, priuationem reduci ad ipsam materiam, eo quia ab Aristotele sæpius est dictum, materiã, & priuationem esse idem numero; Quæ sententia nullo modo est approbanda, cum priuatio loco materiæ minimè concurrere possit, quia si sic esset, priuatio inter principia nequaquàm connumeraretur, quia sat esset materiam connumerare; Ideò dico priuationem ad formam

Ab vna & eadé causa nõ prouenit nisi vnus effectus quomodo verificetur.

Priuatio ad q̃ genus causę reducat.

Opinio quorũdã.

Confut.

Opin. pria.

mam reduci, & hoc, propter verba Arist. iam dicta, dum enim dicit formam per sui præsẽtiam esse causam generationis, per sui verò absentiám esse causam corruptionis, ostendit quomodo priuatio ad formã redigatur, priuatio enim est formæ absentia, sicut clarè habetur hic ab Arist. sed clarius hoc ostenditur ex Arist. verbis in 2. huius tex. 15. quo in loco scriptum reliquit Arist. quod priuatio est quodam modo natura, eo quia est quodam modo forma, Quam eamdem sentẽtiam quinto lib. Met. voluit; Accedit, quòd Arist. in hoc primo tex. 32. impugnans Platonem dicebat, quòd cæteri antiqui accipiebant contrarietatem loco formæ, quam contrarietatem solus Plato materiæ ascribebat, cõcors q; erat Arist. cum cæteris antiquis, priuatio igitur ex mẽte Arist. reducetur ad formam; Rationi autem quam illi adduxerunt respondetur, & dico quòd materia, & priuatio sunt vnum numero, ideſt subiecto, quemadmodum albedo, & dulcedo in lacte sunt vnum numero, ideſt sũt vnum subiecto, idcirco non valet cõsequentia, materia, & priuatio sunt vnum numero, ideſt subiecto ergo priuatio redigitur ad materiam, nõ valet, immò priuatio reducitur ad ipsam formam,

Controuer. 1. super tex. 69.

INquit Arist. (subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam;) Oppositum huius videtur dicere 7. lib. Met. tex. 8. ac x. eiusdem tex. 24. quibus in locis docet materiam cognosci per abnegationē formarum; Accedit, q; Arist. infrà tex. 81. dicet, quòd materia est primum subiectum ex quo fit aliqd cum insit, & in quod omnia resoluūtur; Et in 2. huius tex. 26. dicet materiam esse ad aliqd, eo quia alterius formæ est alia materia, quibus in locis nō videtur explicare materiam per analogiam, ergo & c. In primis est sciendum, materiam ab Arist. hic vocari subiectam naturam, & non naturam simpliciter, quia vt ipse docebit in 2. huius, ac. 7. Met. Materia non est simpliciter natura, sed natura subiecta, quæ ideò sic vocatur, quia ex se est apta suscipere omnes formas; Quæ materia cognitu est obscurissima meritò sui, & hoc, quia quædā sunt cognitu difficilia ex parte sui, quædam verò sunt cognitu difficilia ex parte intellectus nostri, sicuti est Deus, qui cū sit actus purissimus superat vires intellectus nostri, at materia prima difficilis est cognitionis meritò sui, quæ cum pura sit potentia, omni q; careat actu non valet mouere sensum, & consequenter nec intellectū,

An materia sit scibilis tātū per analogiam; Et hic habētur modi quibus cognoscitur materia prima

Materia quare ab Arist. vocetur subiecta natura, & non natura simpliciter.

Cognitu difficilia sūt in duplici differentia.

idcircò obscurissimæ est cognitionis, sed cognoscitur per analogiam, seù proportionem .s. ad materiam rerum artificialium, sicuti .n. se habet materia artificialis ad compositum artificiale, vt æs ad statuam, lignum ad lectum, lapides ad domum, sic pariter materia rerum naturalium se habet ad compositũ naturale vult dicere, immò dicit Arist. in hoc textu; Insuper est notãdum, ꝙ licet sint plures modi, quibus cognoscitur materia prima, duo tamen sunt modi principales cognoscẽdi eam, Quos duos modos antè Arist. Plato cognouit, alter est per analogiam, alter per abstractionem, seù per abnegationem formarum, primus est naturalis Phylosophi, alter verò est ipsius Metaphysici, de primo modo cognoscendi materiam primam, qui est per analogiam, hic meminit Arist. qui modus à Platone vocatur syllogismus spurius, ac cognitio adulterina, id est non legitima, nec distincta, seù germana cognitio; Sed quæ est ista cognitio adulterina qua cognoscitur materia? Hæc cognitio adulterina est multiplex prima & præcipua, & quæ proposito inseruit, est ista, ꝙ materia rerum naturalium ita se habet ad naturale compositum, sicut se habet materia artificialis ad composita artificialia, vt æs ad statuam, lignum ad lectum, ex qua deindè

Quot modis materia prima cognoscat̃ ſm̃ Arist. & Plat.

Materia prima qũo à naturali philosopho, & qũo à Metaphysico cognoscat̃.

Materia prima pluribus modis explicatur à Plat. per analogiã, seù adulterina cognitione.

deindè cognitione valemus cognoscere, & colligere quamdam diffinitionem materiæ primæ in analogia existentem, dicendo exẽpli gratia, Materia est quodam subiectum ita se habens ad composita naturalia, vt materia artificialis se habet ad composita artificialia. Qua analogia ea quæ sunt cognitu difficilia tantum modo cognoscuntur, ideò cum Deus sit difficilis cognitionis respectu nostri, sic quoq; per analogiam sæpius explicatur, dicimusq; ita se habet Deus ad sua opera, sicut se habet Sol ad suos radios; pariter dicimus, Deus ita se habet ad mundum, vt se habet cẽtrum ad peripheriam; Hãc cognitionem materiæ primæ per analogiam sumpsit Aristot. à Platone in Thimeo, qui dixit, materiam per analogiam cognosci, quæ secundum Platonẽ est multiplex, Plato primò vsus est hac analogia, qua vtitur Arist. in præsenti textu, & dixit, ꝙ sicut se habet aurum ad vasa, sic se habet materia rerum naturalium ad composita naturalia; Vtitur secundò alia analogia Plato, & inquit, sicut se habet locus ad locatum, sic se habet materia rerum naturaliũ ad naturalia, & ad formas, sicq; materia dicitur locus formarum, qua etiam analogia vsus est Arist. in 3. Lib. de Anima tex. 6. vbi vocauit intellectũ nostrũ esse locũ spetierũ,

Sola cognitu difficilia per analogiã explicãt.

Tertio, vsus est Plato alia analogia, & dixit, q̃ materia perindè se habet ac mater, quæ sicut se habet ad prolem, ita materia se habet ad cõpositum naturale; Quæ materia etiam à Platone vocatur fœmina, ac nutrix, quæ sunt metaphoricæ loquutiones, quæ tamen ad analogiam reducuntur, quemadmodum Arist. in 2. Lib. Retho. manifestat, quo in loco dicit, q̃ metaphora ad analogiam reducitur, Nec alicui mirum esse debet si Arist. vsus sit metaphoris in rebus ipsis explicandis, sicut in præsenti dum explicat materiam primam, sicut pariter in 3. Lib. de Ani. dum docet naturam intellectus nostri, eò quia in explicatione rerum difficilimæ cognitionis illis vti est conueniens, & eo maximè cum talis cognitio per metaphoras, seù per analogiam nõ transcendat terminos proprios artis, sicq; se habet cognitio materiæ primæ, ac intellectus nostri, quæ quidem & si sint per metaphoras seù per analogiam explicata, tales tamen declarationes non excedũt terminos physicos; Dixi duos esse modos cognoscendi materiã primam, vnus erat per analogiam, qui iam est explicatus; Alius erat per abstractionẽ, seù per abnegationem formarum, quo etiam modo ea quæ sunt valdè obscura manifestantur, facilius .n. est cognoscere q̃d nõ sit res difficilis

Metaphoricæ loquutiones ad analogiã reducũt.

Metaphoris quare Arist. aliq̃ vtat.

Metaphorica cognitio q̃n sit conueniens.

Res difficiles quot modis cognoscãt.

Res difficiles faciliùs cognoscũt.

cilis

cilis, q̃ quid sit, sicut rectè dixit Thymeus à Socrate interrogatus quid esset Deus, quid non sit scio, quid autem sit ignoro; Et hæc cognitio p negationem ipsis extremis præcipuè conuenit .s. Deo, ac materiæ primæ, quæ duo affirmatiuè à nobis nequeunt cognosci, sed tantum illa per negationem cognoscimus; Per negationem sic Deũ cognoscimus, dicentes, Deus nec est natura, nec est anima, sed est quid suprà naturam, ac animã; pariter Deus nec bos, nec leo, nec quid aliud tale, sed est quid suprà hæc; Sic quoq; materia cum sit aliud extremum negatiuè cognoscitur, vt docet Arist. 7. Met. text. 8. ac 10. eiusdem tex. 24. quibus in locis dicit, q̃ materia non est quid, nec quantum, nec quale, &c. scilicet actu, sed est quid infrà hæc; Et hic est attendendum, q̃ iste modus declarãdi per negationem, dicit perfectionem, dicit etiã imperfectionem, cuius ratio est, quia loquẽtes de Deo, & dicentes, Deum non esse angelũ, sed quid suprà angelum, ac suprà omnes res creatas, semper addimus aliquid suprà; at loquẽtes de materia prima, addimus aliqd infrà dũ .n. dicimus q̃ nõ est qd, nec q̃tũ, nec quale .s. actu, facimus q̃ sit aliqd infrà hæc, sicq; inter entia maximè vilẽ eã reddimus; Qui modus explicandi res per negationẽ ipsi Meta-

gnoscunt per negationé, q̃ per affirmationẽ.

Cognitio per negationẽ soli Deo, ac materiæ primæ cõuenit.

phy sico est proprius, quem etiam modũ cognoscendi materiam primã per negationem sumpsit Arist. à Platone in Thimeo dicente, quòd materia sine analogia accepta cognoscitur, veluti si quispiã clausis occulis colores cognosceret: sic dicẽs, denotat quòd materia per negationem aliquando cognoscitur à quo Platone pariter sũpsit Diuus August. in lib. 2. Cõfess. dum dixit, quòd mens nostra ignorat materiã cognoscendo, & eã cognoscit ignorando; Causã autẽ si quis petat, cur materia his cognoscatur modis; Dicat cum Auerroe, hic esse hãc, qa materia prima nullã habet formã actu; Ex quo Auerrois dicto erit colligẽdũ quòd intelligibilitas nõ est passio entis quatenus ens, sed ẽtis actu, & ideò materia prima cũ nullũ habeat actum, nil debet esse mirũ, si minimè omniũ potest intelligi, adeò quòd vt Simplicius hic rectè dicit, nũq̃ possumus deuenire ad tã exactã, ac pfectã materiæ primæ cognitionẽ, vt aliquando dicere possimus, Materiã esse hoc; Quo in loco dicit Simpl. vnũ mirabile, Quòd materia hæc prima subingrædienti assimilatur laruato. Et hæc erit causa, cur materia affirmatiuè à nobis minimè possit cognosci, quia (lei sẽpre vã in maschera) quẽadmodũ enim si quis ppetuo tempore laruatus incederet, sciremus de facto

Materia prima quare solũmodo per negationẽ, ac per analogiã cognoscat.

Intelligibilitas nõ est passio cuiusli- bet entis sed entis actu.

vnam

vnam ſubſtantiam ſubiectam eſſe illi laruæ, quid verò eſſet illa ſubſtantia illi laruæ ſubiecta ignoraremus, ſic pariter materia prima cum nunq̃ denudetur à forma, forma ipſi materiæ eſt quaſi quædam larua, quæ ipſam occultat materiam, ideò nil mirũ ſi materia per affirmationem non cognoſcitur, vna .n. forma ſpoliata ipſa materia, aliam formam quaſi laruam quamdam induit materia, qua depoſita, aliam formam ſuſcipit, ſic q; de facie minimè poteſt à nobis materia hæc prima cognoſci; Si quis non ſit his contentus, quæ de cognitione materiæ primæ ſũt hic dicta, legat Plotinum in lib. de Materia, & in lib. vbi inquirit, vtrum incorporea patiantur, vbi præter hæc, plurima habebit alia: Et ex his colligat dictis, quòd hæc cognitio per negationem materiæ primæ eſt ipſi Metapyſico propria, ſicut paulò ſuprà fuit dictum, Cuius ratio eſt, quia cognoſcere an Materia ſit ens, an ſit ſubſtantia, an quantum, an quale &.c. pertinet ad Metaphyſicum, ſic quoq; cognitio negatiua horum prædicatorum erit Metaphyſica, cum oppoſita pertinere dicantur ad eamdem ſcientiam: Sed præter hos duos præcipuos modos cognoſcendi ipſam materiam primam, Addo quod materia prima etiam à naturali phy-

loſopho

losopho cognoscitur per respectum, seu per relationem ad formam, sicuti ab ipso dicitur Arist. in 2. huius tex 26. quòd materia est ad aliquid, ad aliam .n. formã alia est materia; Insuper, cognoscitur mã etiam prima à naturali phylosopho per quandam compositionem, ac resolutionem, & ideò infrà tex. 81. dicet Arist. quòd materia est primum subiectũ exquo omnia fiunt, & in quod omnia vltimò resoluuntur; In qua diffinitione primò compositio est posita, secundò resolutio; Vltimò, materia cognoscitur etiam à naturali phylosopho per transmutationem, quemadmodum Auerroes dixit hic in fine istius primi lib. dum dixit, Transmutatio fecit nos cognoscere materiam, per mutuam .n. rerum interse transmutationem, & generationẽ deducimur in cognitionem ipsius materiæ; Et hæc de modis quibus cognoscitur materia prima à nobis sint dicta.

Controuer. 2: super eod. contex. 69.

An materia sit hoc aliquid.

VNum igitur principium hæc, non sic vnum existẽs, neq; sic ens, vt hoc aliquid sit; In istis verbis apertè videtur negare Arist. materiam esse ens, & hoc aliquid; Cuius oppositum suprà tex. 66. habuit dicens, (Homo enim, & aurũ, & omninò ma-

teria

teria numerabilis, nam hoc aliquid magis;) Brœuiter est dicendum quòd suprà Arist. loquebatur de materia, considerando eã per comparationem, ac respectum ad ipsam priuationem, quòdq; hoc sit verum, verba Arist. illa (nam hoc aliquid magis,) manifestãt, quæ comparationem dicunt; Hic verò negat materiam esse hoc aliquid, loquendo de materia secundum se, ac in sui natura purè considerata.

Controuer. super tex. 70.

An forma sit magis substãtia q̃ materia; Et vbi hoc declarat ab Arist.

INquit Arist. in vltima istius textus particula, (vtrum autem substantia forma, aut subiectum sit, nondum manifestum est;) Vbi igitur hoc manifestabitur; Quid etiam huic difficultati erit respondendum? Quo ad primum, aliqui referunt hanc declarationem ad 2. huius lib. Auerroes eam refert ad 7. Met. Vtraq; responsio est satis ꝓbabilis; Rectiorem tamẽ esse primam crediderim, his ductus rationibus, & primò quòd Arist. dicens (Nondum) indicat se hoc declaraturum fore in hac scientia, & non in alia; Accedit, quòd cum hoc declaretur in 2. huius, ac in 7. Met. sermo q; semper sit intelligendus, ac referendus ad id quod est magis proximum, ergo declaratio huius difficultatis potius erit referenda ad Lib. 2. subsequentem, q̃ ad 7. lib. Met.

Met. At si in 2. huius soluitur hæc difficultas, ac in 7. lib. Met. superfluus igitur videbitur; Erit respondendum, Arist. hanc soluere difficultatem in 2. huius prò vt ad naturalem attinet philosophum, eãdem etiam in 7. lib. Met. soluit, prò vt ad ipsũ spectat Metaphysicum; Secundæ satisfacit Simpl. & videtur dicere, quòd si hæc tria, materia, forma, & compositum considerentur in ratione substantiæ, sic compositum est magis substantia; quæ si considerentur in ratione dependentis, sic forma, & materia sunt magis substantia q̃ compositum, cum compositum ab istis dependeat: Si verò illa tria considerentur in ratione subiecti, sic materia est magis substantia.

Controuer. 1. super tex. 81.

An materia appetat formam, & quo appetitu, an nãli, an animali.

EXistente.n. quodam diuino, bono, & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse, aliud autem quòd natura aptum est appetere, & desiderare ipsũ secundum suam ipsius naturam:) Ex quibus verbis colligitur materiam appetere formam, appetitu q̃ naturali, sicut etiam in Commento dicit Auerroes: Cui obstat

Diuus

Diuus Thomas desumens ab ipso Auicenna his rationibus, & primò, si materia appetit formam, vel appetitu naturali, vel animali, non appetitu naturali potest illam appetere, cum talis appetitus sit inclinatio, quæ inclinatio est à forma, sicuti cũ dicimus graue appetit deorsum esse; nec animali, quia talis est cum cognitione, at materia non cognoscit; Addit secundò, si materia appetit formam, vel hoc est, quia nullam habet, & hoc minimè dici potest, quia materia semper sub aliqua est forma; Vel hoc est, quia fastidit, & odio habet formam, quam habet; quod non est conueniens dictu, quia datur forma perfectissima, sub qua cum erit, tunc nullam amplius appetet; Vel hoc erit, quia simul plures appetit formas; quod adhuc est impossibile affirmare, quia talis appetitus esset ad impossibile, cum sit impossibile eamdem materiam sub pluribus esse formis; Vltimò hoc addo, quia ex Auerroe colligitur quòd appetitus tantùm est duplex; animalis scilicet & naturalis, quod videtur falsum, cum præter hos duos dictos, detur etiam appetitus rationalis; Quibus respondeo per ordinem, ad primum dico, materiam appetere formam appetitu

appetitu naturali, sed notandum est, quòd appetitus naturalis, & si sit cum inclinatione, inclinatio tamen non semper est à forma; Ad secundum, dicendum est per nullam illarum trium causarum materiam appetere formã, sed ad hoc ut acquirat esse perfectius, quod sibi possibile est habere; Ad vltimũ, respõdeo appetitũ rõnalẽ sub appetitu animali contineri; Et si quis obijciat, hoc esse falsũ, quià appetitus animalis est sensitiuus, rationalis verò est intellectiuus; Erit dicendum, quòd licet hoc ità sit, hoc tamen nihil est, eõ quia intellectus eget in suis operibus ipso sensu, sic q; ratione operationis cadit sub sensu.

Controuer. 2. super eod. tex. 81.

An materia appetat formã rõne priuationis.

COlligitur satis clarè ex vltimis verbis textus, Materiam appetere formã ratione priuationis, eo quia appetit eã, quia ea caret, si sic, ergo ratione priuationis; Obijcitur, immò materia appetit formã propter se ipsam, sic q; per se; Insuper, si priuatio esset causa, quòd materia formam appeteret, igitur priuatio esset causa suæ corrũptionis, quod absurdum est dicere, consequentia deducitur, quia adueniente formã, priuatio corrũpitur; Accedit, quòd si materia formam appeteret ratione priuationis, sequeretur, ma-

teriã

teriá appetere formã, quã olim habuit, quod deducitur, cũ enim corrupta forma remaneat eadem priuatio in materia, ergò materia appetet formam corruptam, sic q; formam quam prius habuit; quod tamen dictu est absurdũ; Quo ad primum est attendendum, quòd istæ duæ propositiones insimul stant, materia appetit formam per se, & hæc, materia appetit formam per accidẽs, prima est vera, quia materia appetit formã ex sui natura, quæ est natura potentiæ, quæ formis perficitur, Secũda etiam est vera, quia priuatio est passio ipsius materiæ, ideò sic per accidẽs materia formam appetit; Ex quibus est colligendum, quòd priuatio sola nõ est causa appetitus materiæ, cum hoc etiam proueniat à potentia ipsius; Quo ad secundum, est dicendum solam priuationem non esse causam totalem illius appetitus, quia si sic, argumentum concluderet, sed dicitur causa occasionalis, causa autẽ totalis est duplex, potentia eius, ac priuatio; Ex quibus tollitur tertium, quòd si sola priuatio esset causa, quod infertur esset verum, at cum illius potentia etiam concurrat, argumentum est nullum.

Con-

Controuer. 3 *super eodem tex.* 81.

An materia appetat formã sicut fœmina masculum.

INquit Arist. materiam appetere formam, sicut fœmina masculũ, & sicut turpe pulcrum; Obijcitur, nullus appetitus est ad impossibile, at sicut impossibile est, quòd fœmina appetẽdo marem, illum cõsequatur, similiter de materia erit dicẽdum, quòd eius appetitus est ad impossibile: Si verba textus sic nudè, & purè intelligantur, profectò argumentum concludit, & totũ oppositum est illius, quòd fœmina masculum appetat, cum ècontrà sit, quòd masculus potius desideret fœminam; Sensus igitur illorum verbotũ est, quòd turpe apperit pulcrum, non qua turpe, quia sic sui appereret corruptionem, sed per accidens, ideſt, materia quæ subijcitur formæ turpi, desiderat subijci formæ pulchræ, desiderat q; informari à forma pulchra, pariter fœmina masculum, ideſt, materia quæ stat sub forma ipsius fœminæ desiderat informari à forma masculi, eo quia fœmina secũdũ Arist. comparata viro est animal inperfectum, & mancum, similiter materia appetit formã non per se, sed per accidens; Vbi attendas quòd Arist. hic vtitur figurata loquutione, quia sicut suprà dictum fuit in solut. Controuer. 1. suprà tex. 69. vti metaphoris est conueniens in rebus difficilimæ cognitionis, & præci-

In quibus & qñ liceat vti metaphoris.

puè

puè cum illa figurata loquutio non excedit terminos scientiæ; Vbi etiam attendas dictũ hoc Arist. verificari de materia considerata quo ad appetitum, quia si materia consideretur ratione qua est in potentia, tunc est indifferens ad formam, & priuationem, & ideò 8. Met. tex. 10. ac 9. eiusdem tex. 17. dicebat Arist. (ꝙ materia tam respicit esse, q̃ nõ esse) eo quia materia est pura potentia passiua, & est potentia cõtradictionis, idcircò ita inclinabitur ad priuationem, sicut ad formam, at considerata ratione appetitus, adeò determinatur ad formam, ꝙ priuationem nequaq̃ appetere potest.

Controuer. 1. super tex. 82.

INquit Arist. materiam generari, & corrũpi quatenus id quod est in ea generatur, & corrumpitur, sed quod in ea est, est priuatio, ergo materia erit generabilis, & corruptibilis ratione priuationis, sicꝙ per aliud; Dubitat Simplicius, & primò qui fieri potest ꝙ materia generetur, & corrumpatur ratione priuationis? immò hoc sibi erit attribuendum ratione formæ, & vtrumq; probat, & primò primum tali ratione, Quod non est ens, non potest generari, nec corrumpi, priuatio non est ens, ergo &c. Secundum dictũ

An materia sit generabilis & corruptibilis rõne priuationis.

probat, illud per quod aliquid habet esse, per illud etiam dicitur fieri, materia habet esse per formam, ergò & per formam generabitur, similiterq; etiam corrúpetur; Addit Simplicius, Cur Arist. non magis dixit materiam generari, & corrumpi ratione suæ potentiæ? cum potentia ipsi materiæ sit quid intrinsecum, priuatio verò quid extrinsecum; Quo ad primum, Simpl. videtur dicere, q; propriè loquendo argumentum concludit, at priuatio dicitur generari, & corrumpi secundum denominationem, quatenus ex præsentia formæ priuatio cessat, & abest à materia, ex eiusdem verò absentia, priuatio inest materiæ; Quo ad secundum, notat Simpl. quòd materia nõ potest dici generari, & corrumpi ratione formæ, sed hoc priuationi est attribuẽdum, cuius ratio est, quia forma occultat esse ipsius materiæ, at priuatio esse illius manifestat, esse materiæ est vt sit in potentia, modo ex presentia formæ latet esse materiæ, quia tunc fit q; materia sit in actu, ex præsentia verò priuationis esse materiæ manifestatur, sicut patet, idcircò ratione priuationis rectè ab Arist. est dictum, materiam generari, & corrumpi; Non dixit Arist. materiam generari, nec corrumpi ratione eius potentiæ dicit Simpl. q; potentia est ipsi materiæ essentialis, immò est

eius,

eius essentia; Dicet ille, accipiamus potentiã respectiuam, qua respicit materia hanc, & illam formam, cur non dicitur generari, & corrumpi ratione illius? Est dicendum, ꝙ talis potentia est eadem cum priuatione, cuius ratio est, quia dicere materiam esse in potentia ad hanc, vel illam formam, non est aliud q̃ dicere, materiam esse hac, vel illa forma priuatam.

Controuer. 2. super vod. tex. 82.

An materia prima rectè diffinita ab Arist.

VOlens Arist. probare materiam secundum se esse ingenerabilem, & incorruptibilem, accipit eius diffinitionẽ, dicitq́; (Dico enim materiam primum subiectum vniuscuiusq́; ex quo fit aliquid cũ insit, & non secundum accidens;) addit, (& si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimũ;) Si sic est, materia ergõ erit per se scibilis, eo quia diffinitur materia ab ipso Arist. sine aliquo respectu; Cuius oppositũ suprà tex. 69. dixit; In primis noto diffinitionem materiæ primæ, quam vocat Arist. (primum subiectũ ex quo fit aliquid,) ad differentiam materiæ secundæ, ex qua licet aliquid fiat, non tamẽ est primum subiectum. Addit, (cum insit) ad differentiam priuationis, ex qua & si aliquid fiat, vt suprà tex. 58. & 61. priuatio tamen non inest in re genita, vt ibidem dixit, po-

nens differentiam inter subiectum, & priuationem, subiectum manet, priuatio non: Addit vltimò, (& non secundum accidens,) ad differentiam accidentium, ex quibus si aliqd fiat, hoc non est per se, sed per accidens: Tũc soluitur controuersia, eo ꝙ si non expresse in hac diffinitione materiæ primæ ponatur respectus, implicitè tamen est positus, cum in ea includatur compositum, in quo est forma.

Finis Controuer. super I. Phys.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER SECVNDVM LIB. PHYS. ARIST.

Ioannis Ludouici Chartarij.

Controuer. j. super tex. j.



EIVS *illuminatio mea sit.* Conueniunt omnes interpretes Aristot. agere in hac prima parte istius secũdi de ipsa forma; Quod si ita est, videbitur alicui Arist. esse inordinatum, cum secundus iste liber ipsi primo esset præmittendus, cuius dicti ratio est, quia forma de qua hic agit, est prior materia, de qua in primo pertractauit; Addit Simpl. quòd adhuc Arist. videtur inordinatus, cum enim eius intentio sit in his libris agere de causis rerum naturaliũ generabilium, & corruptibilium, quæ sunt quatuor, vt infrà dicet Arist. in hoc 2. Lib. inter quas finis obtinet primum locum, cum sit causa causarum, sit etiã illa quæ imponit necessitatẽ agenti, & agens demum inducit formã in materia, igitur prius de fine, demum de

An Arist. intẽtio sit in hac prima parte istius secũdi Lib. agere de forma.

efficienti debebat Arist. pertractare, deinde de forma, vltimo de materia, cuius oppositū ab Arist. est obseruatum, qui prius auspicatus est à materia, secundo agit de forma. Simplicius satis rectè saluat Arist. notatq; q̄ compositum habet esse ex principijs intrinsecis, à quibus etiam trahit sui cognitionem, idcircō prius hæc principia sunt pertractanda, sicq; prius de materia, & forma egit Arist. q̄ de efficiente, & fine; Sed cur prius de materia, quàm de forma egit? cum forma sit prior; Negat formam esse materia priorem, benè dicit esse nobiliorem, ac perfectiorem, & prius de materia, quàm de forma tractat; quia materia est subiectum, ac formæ fundamentum, formæ enim materia substernitur, indè sequitur, quōd prioritate naturæ prius de materia q̄ de forma agere Arist. debuit; Sed concedendo hæc omnia, Dubitabit ille, quare Aristot. tractaturus hic de forma, aggrediatur naturam, & transeat ad ipsam formam; Ioannes Gram. dixit huius hanc fuisse causam, quia forma rei est natura rei; Sed ego à pari possum vertere propositionem, & dicere, natura rei est forma, ergo prius de forma erat agēdū, quare igitur mutat formam in naturam? Simplic. qui forsitan hanc videbat difficultatē, dicit, q̄ cum forma, vt infrà in hoc 2. Lib. apparebit

Quare Arist. in 2. hoc lib. tractaturus de forma, prius agit de natura.
Respons. Ioan.
Impugn.
Respons. Simpl.

parebit non solum sit principium elementale, sed etiam efficiens, forma enim in naturalibus est pars elementaris, ac effectiua, cū igitur forma sit principium efficiens, parirer ēt natura sit principium efficiens, idcircò auspicatur Arist. à natura; Accedit ꝙ multi antiquorum dixere rerum naturam esse materiā q̄ plures alij hoc formæ attribuerunt, quos melius sensisse dicet infrà Arist. vt ergo distingueret formam à materia, necesse habuit Arist. primum de natura pertractare; Insuper dicit, ꝙ quia materia tàm in naturalibus, q̄ artificialibus eodem substat modo, in nullo .n. est discrimine materia siuè subsłet rei naturali siuè artificiali, sed in vtrisq; eodem se habet modo, quod ipsi formæ non conuenit, cū forma artis, & naturæ non sic se habeant, formæ enim rerum artificialium habent causam extrinsecam, at formæ rerum naturalium intrinsecam, vt igitur Aristo. seiungeret formas artificiales à formis naturalibus, fuit ipsi necessarium de natura agere: Addit Simpl. aliā rationem, quæ est, ꝙ cum principia naturalia sint tria, materia, forma, & priuatio, quæ sunt tàm rebus arte factis, quàm natura communia nam domus habet materiam, lapides, cementum, habet priuationem, quia fit ex nō domo, nec ex qualibet non domo, sed ex tali non

domo, habet posteà formam, illam .s. structuram, & machinam, vt igitur reperiret Aristot. principia propria rei naturalis necessaria, opus fuit ei agere de natura, vt per eã distingueret naturalia ab arte factis; In summa inquit Simpl. naturalis agit de natura, & de eo quod est secundum naturam, ac de eo quod est à natura, de ijs omnibus naturalis considerat, vt habetur ab Arist. in principio istius Secundi, cognitio autem naturæ præcedit & id quod est secundum naturam, & id quod ẽ à natura, ergo prius Aristo. fuit necessarium agere de natura; Sed nulla istarum rationum mihi probatur, quia nullam illius necessitatẽ dicunt, aut quõd eas nõ intelligo, immõ dico quõd illi qui in phylosophando sunt admodum prolixi per ratõ veritatem assequũtur, cum veritas ipsa in paucis consistat, facilèq; poreſt probari si quis eam teneat; Quare ego alio modo satisfacio quæsito, dicoq; quõd Arist. transiuit à forma ad naturam, vt seruaret suam methodum propositam, quæ est à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia esse incedendum, cum autem natura sit quid vniuersalius q̃ forma, eo quia natura dicitur de materia, & de forma, cum etiã ipsi Arist. fuerit intentio adinuenire materiã primam, quã iam adinuenit, nunc modo agit de

Respõsio propria.

natura,

natura, quæ cómunis est ipsi materiæ; ac formæ nó cognoscẽti, vt igitur Arist. suá seruaret methodũ, quæ ẽ ab vniuersalibus ad singularia, idcircò prius egit de natura, q̃ de forma, qa natura est qd cómunius, sic ego respõderẽ, Sed adhuc obijciet ille, pbãdo Arist. esse inordinatũ tali róne, duo sũt quæsita, quæ de vnaquaq; re simplici inqrũtur, si est, & qd est, inter quæ ẽ ordo, ꝙ si est præcedit cur igitur Arist. tractaturus de natura hũc nó seruat ordinem, immò prius docet quid sit natura, & omittit primum quæsitum: Est dicendum illud quæsitum Arist. omisisse tamquá notum, & ideò ipse dicet infrà tex. 6. ꝙ tentare naturam esse demonstrare, est ridiculum.

Controuer. 2. super eod. tex. 1.

INquit Arist. quòd omnia quæ natura cõstant, habent in se ipsis principium motus, & status; Qua sententia stante, sic arguo, Motus est in numero illorum, quæ natura cõstant, ergò motus habebit in se ipso principiũ motus, ꝙ tñ dictu est absurdũ; Assũptũ ẽ Arist. Primo Cœli tex. 1. vbi enumerãs ea, circà quæ scientia nãlis versatur, dicit (Scientia de natura ferè plurima versatur circà corpora, & magnitudines, & horũ passiones, & motus, ad huc aũt circà p̃ncipia, quæ talis (substãtiæ sũt) q̃ cõclusionẽ ibidẽ sic ꝓbabat, oĩa quæ natura constant,

constant, aut sunt corpora, & magnitudines, aut habentia corpus, & magnitudinem, aut principia horum, scientia naturalis versatur circà ea, quæ natura constant, ergò, &c. Est dicendum quòd Arist. per ea, quæ natura constant duo consueuit intelligere, quandoq; intelligit ipsa corpora composita tantùm, sicq; in hoc primo textu, aliquandò consueuit etiã audire, & principia ipsorum corporum, sicq; ibi Primo Cœli, adeò quòd ibi latius hic verò strictius accepit ea, quæ natura constant; Vbi etiam attendas, quòd hic enumerans ea, quæ natura sunt, dicit, vt animalia, & partes ipsorum, & plantæ, addas tu, & partes plantarum, quas tacet, gratia bræuitatis, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aer, & aqua, attendas inquàm, quòd enumerat tantùm quatuor corpora simplicia, & omittit quintum corpus .s. corpus cœleste, de quo ibidem in principio Primi lib. de Cœlo; quia hic tantùm de corporibus simplicibus, quæ generabilia, & corruptibilia sunt, loquitur, ideò nec hic diminutus, nec ibi erit superfluus.

Controuer. super tex. 3.

IN primis verbis istius textus colligit Aristot. diffinitionem naturæ; (Natura est principium quodam, & causa mouendi, & quiescendi ei, in quo est, primum, per se, &

non

non secundum accidens;) Contrà quam diffinitionem insurgunt quam plurimæ difficultates, ideò vt hæc diffinitio naturæ cõspicua reddatur, eas in medium propono, illisq; quõ sit occurrendum declaro; Sed vtq; ordinatè procedam in primis dubito contrà vnamq̃q; particulam positam in diffinitione naturæ, demum contrà totam diffinitionem; Primò 1° Arist. sibi hic aduersari videtur, & his, quæ docet in 7. Met. ibi dixit, substantiam nõ diffiniri per accidentia, sed è contrà, accidentia diffiniuntur per ipsam substãtiam, cuius oppositum hic facit Arist. qui diffinit naturam, quæ est substantia, per accidentia, per motũ, & quietem, ergò, &c. Insuper ex Sexto Top. habetur, nullum absolutum diffiniri per respectum, eò quia nullum prius diffinitur per ipsum posterius, at natura est ens absolutum, est enim substantia, quæ tamen per respectũ diffinitur, per principium quod refertur ad principiatum, per causam, quæ pariter ad effectum habet relationem, ergò, &c. Insuper 3° Arist. sibi videtur contrarius hic, & in principio secundæ Sectionis Libri Perhyermenias, vbi scriptum reliquit, nullũ signum posse addi ipsi prædicato, cuius oppositum hic, cum dicit, natura est principium quodã; Præterea, Primo huius Com. Primo, & Primo Cœli 4°

Com.

Com. 1. dixit Auerroes, nomina synonima non sunt vsurpanda in scientia demonstratiua, cuius oppositum hic Arist. cum principium, & causa sint synonima, ergò malè; Addit (Motus, & quietis,) Contrà sunt multa naturalia, quæ non mouentur, vt patet de tota terra, quæ tamen est corpus naturale; Sunt etiã multa alia, quæ non quiescunt, sicut est Cœlum, quòd perpetuo mouetur, & tamen est corpus naturale; Accedit, quòd si sic esset, idem esset causa contrariorum, seu oppositorum, quòd tantùm potentiæ rationali conuenit, ex dictis ab Arist. 9. Met. potentia enim rationalis potest esse causa eundi in forum, & non eundi, at natura cum maximè diuersa sit à potentia rationali, immò sit irrationalis minimè oppositorum poterit esse causa, ideò non poterit esse causa motus, & quietis: Addit (ei cui inest:) Opponitur, quia elementa, & mista animata mouẽtur, nõ tñ natura est principium motus existentis in illis, cũ elementa moueantur à generante ipsa, vel ab illo, qui remouet obstaculum impediens ipsa moueri, ipsa quoq; animalia moueantur ab obiecto appetibili, vt dicit Arist. 8. huius tex. 20. Ergò natura non erit principium motus ei cui inest; Accedit, quòd si sic est, Ars erit natura, cum ars sit principium motus eius in quo

est, vt

est, vt patet de arte saltandi: Adde quòd gra x^o
uitati, & leuitati hæc diffinitio conueniet, cũ
grauitas, & leuitas sint principium motus in
elementis, ascendunt enim, & descendunt ab
eorum grauitate, vel leuitate, primo, ac perse
sicq; grauitas erit idem cũ natura, similiter, &
leuitas, quod est absurdum dicere, qa natura
tunc esset accidens, cum sit substantia, Addit xi^o
(primum, per se) Contrà committit Arist. hic
nugationem, cum omne primum sit per se, nõ
tamen ècõtrà, omne per se est primũ, nugatio
autem est, cũ posterius additur inferiori; Cõ-
trà totã diffinitionem est argumentum Ioan:
Gram. qui dicit, hanc diffinitionem declara- xii
re tãtũmodo effectus naturæ, at eius quiddi-
tatem, nequaq; quã naturæ quidditatẽ si vult
Arist. explicare, debet dicere, Natura est vir
tus quædam formalis diffusa per totum cor-
pus, effectrix motus, & quietis, ei in quo est,
primo, per se, & non secundum accidens: Vt
de facili ab vnoquoq; hæc dilluantur argu-
menta, & consimilia, quæ possent adduci,
hæc fnndamenta sunt adnotanda, Et primõ Notabile 1^m
est attendendũ, quòd Arist. diffiniens natu-
rã, nõ diffinit omnẽ, & quãlibet naturã, natu-
ra .n. dicitur multipliciter, sicut habetur hic
ab Arist. ac in Quinto Met. sed diffinit naturã
quæ est forma, ideò in tex. 4. dicet Arist. q

entia

entia, quæ habent naturam, præcipuè sunt illa, quæ habent formam; tum quia, forma ẽ illa, qæ est hoc primum principium effectiuum motus, non autem materia, nec quid aliud; Sed forma est duplex, alia materialis, quæ est extensa ad extensionem materiæ, alia est immaterialis, quæret ille, an forma hic ab Arist. diffinita sub nomine naturæ, omnem, & quãlibet contineat formam; Erit dicendũ, Arist. tantummodo hic diffinire formam materialẽ, cuius dicti ratio est hæc, quia Arist. diffinit naturam, quæ est forma corporis generabilis, ac corruptibilis; quare non erit adherendũ hic ipsi Auerroi, nec etiam ipsi Simplic. pace illorum dixerim; Secundò est notandum, quòd si Arist. diffinit naturã prò forma corporis corruptibilis, quòd eã non diffinit absolutè, sed respectiuè; eo quia sic à nãli Philosopho consideratur, & ideò satis laudo D. Thomam, monentem nos, quòd illi, qui volunt diffinitioni naturæ illa super addere, quæ dubitando sunt adducta, sunt quàm maximè deridendi, quia si rectè attendissent, quòd natura dicit respectum, non dixissent naturam absolutè diffiniri oportere, de eadem enim re Metaphysicus, & naturalis Philosophus considerat, sed diuerso modo considerandi, sicut in proposito, de natura diui-

nus

nus speculatur Phyloſophus, ſed abſolutè, de qua etiam contemplatur naturalis, ſed in ordine ad motum, p opera enim naturali Phyloſopho ſubſtantia rei innoteſcit, concludo igitur, quòd hic ab Ariſt. declaratur natura, quò ad eſſentiam reſpectiuam, non autẽ abſoluram; Tertiò eſt notandum, quòd hæc natura non eſt quodlibet principiũ motus, ſed tantummodo eſt principium principale, minimè eſt priocipium inſtrumentale, ſicut eſt grauitas, & leuitas in ipſis elementis; Quartò addatur, quòd natura eſt principiũ principale .ſ. effectiuum motus, vel eiuſdem continuatiuum, ſicut de elementis fiet notũ, ſoluendo argumentum ab ipſis deſumptum; Addatur quintò, quòd natura eſt principiũ principale, effectiuum, vel continuatiuũ motus .ſ. per ſe, ad differentiam eorum, quæ cõcurrunt per accidens; Sexto eſt notandum, naturam non eſſe principium cuiuſcũq; motus ſed tantummodo motus ſimplicis, & hoc ad differentiam motus ſub hac, & illa conditione facti, cuius principium erit ars ſaltãdi, vt dicetur ſoluendo argumentum illud, nec ſimiliter eſt principium cuiuſcumq; quietis, ſed tantummodo quietis naturalis, & hoc ad differentiam quietis violentæ, quæ motui eſt oppoſita; Addatur etiam, quòd (per motũ) intel-

Nota 3m

Nota 4m

Nota 5m

Nota 6m

intelligit quemcumq; motum, & localem, & auctionis, & diminutionis, ac alterationis, principaliter tũ motum localem audit; Attendatur septimò, quòd (per principium, & causam) idem intelligit, quare illud (&) stabit expositiuè prò ideſt, & quod hoc ſit verum, colligitur ex eius verbis, qui paulò infrà dicit, (Similiter autem, & aliorum, quæ fiunt vnumquodq; nullum enim illorum habet in ſe ipſo factionis principium;) non addidit, & (cauſam;) Vltimò notentur illi duo termini (primum, & per ſe,) dicaturq; quòd per (primum) intelligit cauſam principalem, & immediatam, per (per ſe) intelligit idem quòd ex ſui natura; Ideò Auerroes hic nõ erit audiendus, qui voluit in plus eſſe per ſe, quàm primum, cum omne primum ſit per ſe, ſed nõ è contrà; Si verò addit illud, (& non ſecundum accidens) illud addit, vt explicatiuum illius p ſe, quemadmodum, & in Primo Poſt. in principio Cap. 2. dicebat, (Scire ſimpliciter, & non ſophyſtico modo, quod eſt ſecũdũ accidẽs,) illæ tres particulæ ità ſe habebant, quòd vna erat alterius explicatiua, illa enim particula, & non ſophyſtico modo, eſt explicatiua illius ſimpliciter, illa verò & non ſecundum accidens eſt explicatiua illius non ſophyſtico modo, ſic quoq; in præſenti, Ex

Nota 7.

Nota 8.

quibus

quibus fundamentis sic adnotatis, omnia argumenta adducta, & consimilia quæ possūt adduci cessant; Et quòd ita sit, declaro, singulis faciendo satis; Prima duo cessant, cum iam sit dictum, naturam non cōsiderari à naturali Phylosopho conceptu absoluto, sed respectiuo, & ideò substantia, vt substantia, sicq; absolutè accepta non poterit diffiniri per accidentia, at si summatur respectiuè, ac limitatè, sic per accidens poterit diffiniri; sicq; est de natura in præsenti, quæ non cōsideratur ab Arist. absolutè, vt substātia, sed prò vt dicit respectum ad motum, & ideò p terminos concernentes respectum est explicanda; tales autem termini sunt principium, & causa; Pariter nec ens absolutum absolutè acceptum erit diffiniendum per respectum, sicut nec pater, quatenus homo est, potest diffiniri per respectum, licet autem natura prò eo, ꝙ supponit, ac cōnotat sit substatia, sitq; ens absolutū, sicut tñ dixit D. Thom. ac Albertus, & rectè, nō sic accipitur, sed p eo ꝙ significat, hoc aūt nomē natura significat respectū ad motū, & ad qtē naturalē, quorū ipsa natura ē p̄ncipiū, natura. n. dicitur à nascēdo, eo ꝙ nasci aliqd faciat, & ideò D. Tho. rectè impugnat Marchū Tull. nasci aūt dicit respectū, ergò & natura respectiuè erit diffiniēda à nāli

Philosopho, qui omnia quæ considerat, ea vt concernunt motum speculatur; Si autem apponit illud signum particulare (quodam) illi prædicato (principium) & nullum signũ sit addendum ipsis prædicatis, verũ est hoc, de illis signis, quæ veritatem propositionis impediunt, at si illam manifestent, sunt addẽda, & sic est in præsenti; Et licet vtatur synonimis, ob hoc non est Arist. damnandus, q illis vti licet ad exponendum, dixit Auerroes Quarto huius Com. 45. Quæ solutio si alicui non arrideat, negabit Arist. vti synonimis, cum principium sit referẽdum ad motum, causa verò ad quietem, quietis .n. causa est ipsa natura, quia causa propriè dicitur de fine, & quies est finis motus, at principium dicitur propriè loquendo de efficiẽti, quod efficiens respicit motum, & ità efficientia nõ est in quiete, licet aliqualis efficientia sit cõcedenda in quiete, cum ex 2. Cœli Com. 102. quies non tàm à causa sit, quàm à grauitate; Vel dicatur adhuc cum Alberto, quòd principium, & causa licet sint idem re, secundum habitudinem tamen diuersificantur, cũ causa dicat ordinem ad effectum, principium verò illud dicatur, quo non est prius, sicq; nõ sunt idem formaliter, vt Quinto Met. Cap. de Principio; Ad illud de terra, quæ est corpus natu-

rale,

rale, & tamen non mouetur; Dico q, terra & si secundum totum non moueatur, per partes tamen mouetur; Alij sub alijs dicunt verbis quòd terra in quantum centrum non mouetur, sed benè in quantum est elementum, cuius motus natura est principium; Vel erit dicendum, quòd terra immò omnia elementa habent principium motus nõ in suo proprio loco, quia in illo quiescunt, sed in loco exterio; Ad illud de corpore cœlesti, Græci multa dicunt, & Latini etiam, Ioannes Gram. dixit cœlum quiescere, eo quia semper est in principio, ac semper in fine, sicq; non mutat locum; Quam solutionem rectè confutat Simplic. qui dicit Arist. loqui de quiete, quæ est finis motus, & quæ motum consequitur, non autem de ipsa immobilitate secundum totum quia talis non requiritur ad motum, nec est eius perfectio: Dedit aliam solutionem Ioãnes, & dixit cœlum quiescere ratione polorũ, ac ratione axis; Quæ solutio adhuc est falsa, cum illud dicatur quiescere ex Quinto Phys. quod est aptum moueri, sed illa, quorum ratione dixit cœlum quiescere, non sunt apta moueri, ergò &c. Simplicius ex sentẽtia Porphyrij, quem multi Latinorum sequuntur dixit illud (&) non esse accipiendum copulatiuè, ita quòd inter diuersa cadat, sed disiunctiuè

ctiuè, prò vel, vt sensus sit, (motus &) ideſt, vel quietis; Quæ ſolutio non placet, primò quia extorquet verba Ariſt. qui ſemp loquutus eſt copulatiuè; Secundò, quia ſi illud (&) ſtaret prò vel, ergò eſſet aliqua natura, quæ tantum eſſet principiũ quietis, & aliqua quæ eſſet tantum principium motus; Themiſtius dixit, & ſatis rectè, quòd illa particula (quietis) non debet intelligi de omnibus corporibus, quia non de cœleſtibus, ſed tantum de illis, quæ ſunt apta quieſcere, in numero quorum non ſunt corpora cœleſtia, cum non ſint apta quieſcere, & hoc eſt quod à nobis fuit dictum, licet ſub alijs verbis, dum adnotauimus Ariſt. per naturam intelligere formã rei generabilis, & corruptibilis, & non æternam; Sed præter has ſolutiones datas argumẽto de terra, & de corpore cœleſti, addo aliam ſolutionem, ex verbis textus deſumptã illis, (in quo eſt,) ex quibus verbis eſt colligendum, naturam eſſe principium motus, qui ineſt ſubiecto quod mouetur, pariter, & illius quietis, quæ ineſt tali corpori, at cum quies nõ inſit ipſi cœlo, pariter nec motus ipſi terræ, ad quid ergo de his dubitare, quomodo natura ſit in illis principium motus, & quietis? ſi inquam hæc illis non inſunt, referrendo ſemper ſingula ſingulis; & ideò dicet Ariſtot.

8. huius

8. huius, quòd cum sint qnædam res perpetuò mouentes, quædam perpetuò quiescentes, quædam aliquandò mouentes, aliquandò quiescentes, ideò dicemus naturam esse principinm motus, in his quæ habent motũ, principiumq; quietis in his, quæ habent quietem, principium vero motus, & quietis, in his quæ habent motum, & quietem, at cum cœlum careat quiete, cum per Arist. non sit timendum cœlum quiescere, ad quid dubitare, an natura sit principium quietis in cœlo, & pariter motus in tota terra, cum ipsa sit immobilis secundum se totam; Cum verò dicebatur, sequi naturam esse causam cõtrariorum, cessat hoc argumentum ex fundamento sexto, in quo fuit dictum, quòd motus, & quies, quæ in hac ponuntur diffinitione ad inuicem non contrariari, eo quia docebit Aristot. in Quinto huius, quòd duplex est quies, vna in termino à quo, quæ motui contrariatur, cum sit violenta, nec sit à natura, vt cum gleba terræ sursum quiescit; alia est quies, quæ est perfectio motus, & est in eius termino ad quem, quæ motui minimè contrariatur, cuius quietis natura est principium, cũ talis quies sit naturalis; Et nè videar subterfugere argumentum illud commune, ab vno in q̃tũ vnũ, nõ ꝓuenit nisi vnũ;

Ad 1.

obiectio

Dicam cum Auerr. 2. Cœli com. 2. quòd potentia naturalis eodem se habens modo, non producit nisi vnum, quæ si non eodem se habeat modo, tunc plurium, immò diuersorum erit causa, & ita erit de natura, quæ erit causa motus elementi, cum illud nõ erit in proprio loco, erit verò causa quietis illius .s. in proprio loco existentis, quemadmodum etiã dicitur de nauta, qui est causa salutis nauis per sui præsentiã, ac prudentiã, at ècontrà per sui absentiam, vel imprudentiam est eiusdẽ causa submersionis; Ad illud de elementis, & de mistis inanimatis; Est respondendum elementa moueri à generante, vel à remouente prohibens, tamquàm à principio extrinseco inchoatiuo, cum generans sit principium inchoatiuum motus illorum, pariter & agens, quod remouet obstaculum impediens quòd ipsa, dũ sunt genita, vt moueantur, sunt principia extrinseca; At si loquamur de elementis genitis, principium intrinsecum effectiuũ, pariter, & continuatiuum motus illorum, est ipsa natura, si enim ignis genitus sursum fertur, eius natura propria est principium intrinsecum effectiuũ illius motus sursum, ac eiusdem continuatiuũ; Similiter si animalia mouentur ab obiecto appetibili, mouens illud est extrinsecum, at mouẽs intrinsecum est eo-

rum

rum natura; Vel quòd talis motus est metaphoricus; De alio, in quo dicebatur, quòd Ars erit natura; Argumentum illud nullũ est cum iam sit dictum, naturam esse principium motus simplicis, & non huius, vel illius sub hac, vel illa conditione facti, sicut est natura, & si sit aliqua ars, quæ sit principium motus inexistentis subiecto, iam dictum est ab Aristot. hoc esse per accidens, sicut ipse exemplificauit de arte medica; Ad illud de elementis quæ mouentur à sui leuitate, vel grauitate; Hoc argumentum nil aliud concludit, nisi quòd grauitas, & leuitas sunt principium motus in elementis .s. instrumentale, at natura est principium principale; Cum dicebatur Arist. commitere nugationem, Hoc est falsum, cum primum, & per se diuersa significent, nam primum significat immediatũ per se verò sit idem quòd ex sui natura, sicq; negatur superius addi inferiori, do exemplũ superficies est primò alba, ideſt immediatè, non tamen per se est alba, pariter homo, est p se sensitiuus, non tamen primò est sensitiuus, quia animal est primò sensitiuum, sicq; primum, & per se ad diuersa comparantur, sicq; nec superiori inferius, nec superius inferiori additur; Vltimum argumentum quod erat Ioannis Gram. nihil concludit, quia iam

Al 9m

Al 10m

Al 11m

Al 12m

est dictum, naturam alio modo diffiniri à Metaphysico, & alio modo à naturali Philosopho, qui eam non diffinit absolutè, sed p respectum ad motum.

Controuer. super tex. 4.

An verũ sit naturã esse in subiecto.

DIfficultas est hic, quõ Arist. dicat naturam esse in subiecto, cum per naturã intelligat formam, quæ forma est substantia, & substantiã non esse in subiecto defendat ipse Arist. in Prædic. Cap. de Substãtia, vbi scriptum reliquit, propriũ esse substantiæ, in subiecto non esse, quocircà sibi cõtradicere videtur; Dat Simpl. duas solutiones, primam ex mente Alex. qui dixit, Arist. in Prædica. esse loquutum de substantia cõposita, illa enim est quæ non est in subiecto; at hic loquitur de substantia simplici, sicq; dicit hic formam esse in subiecto, sic quoq; dicunt isti, qualitates primas esse in subiecto, quas etiam esse elementorum formas substantiales affirmant secundum Alexan. Quæ opinio an sit Alexãdri, ignoro, quia mihi videtur error puerilis tale dictum, qui n. fieri potest, q; accidens sit pars intrinseca substãtiæ, cum vbiq; dicat Arist. partes substantiæ esse substantias? Nisi velimus dicere illas qualitates esse elementorum formas substantiales, id est nobis illas circunscribere; Ego

tamen

tamen dicerem cum Ioanne Gram. elementa dupliciter considerari, vel vt substantiæ sũt. quomodo est impossibile, qualitates esse illorum formas substantiales. vel vt elementa, ac miscibilia, quomodo ipsa habent qualitates primas prò eorum formis substantialibus; Quicquid tamen sit, dat aliam solutionem Simplic. & veriorem quòd cum Arist. hic dicit formam esse in subiecto, alio modo accipit esse in subiecto, ab eo quo accidentia sũt in subiecto, nam accidentia & si sint in subiecto, non sunt tamen partes rei, in qua sunt, at forma licet sit in subiecto, est ẽt pars rei, perficitq; essentiã subiecti, immò est in subiecto potẽtia, at accidẽs cũ nõ sit pars rei, dicitur esse in subiecto, tãq; in ente actu, & perfecto.

Controuer. super tex. 5.

An sit ridiculum, velle naturam esse probare.

AIt Aristot. esse ridiculum, velle probare naturam esse, Cuius oppositum sentit Auicenna Primo suæ sufficientiæ Cap. 4. vbi dixit naturalem Phylosophum, nedum Metaphysicum posse demõstrare naturã esse, & hoc p̃cipuè ex motu, q̃ est ipsa natura notior, q̃ aũt motus sit ipsa natura notior, hoc patet, cum in diffinitione illius ponatur; Insup Arist. videtur sibi contrarius hic, & in Primo huius, vbi pbauit materiam primam, ac formam esse, omnis autem

1°

2°

autem natura aut est materia prima, aut forma substantialis, igitur probauit naturam esse, cuius oppositum hic asserit; in Primo huius per viam transmutationis probauit formã esse, nam dixit, si generatio substantialis est, ergõ est eius terminus, & talis est forma, ergõ forma est: Insuper, generatio prærequirit subiectum in quo fiat, & tale subiectum est materia, igitur materia est, sicq; probauit naturã esse; Insuper potissimum medium ad demõstrandum ipsum si est, ex 2. Post. est diffinitio, vt si dicamus, animal rationale est, ergo homo est, pariter sic possumus nunc dicere, est principium motus, & quietis primõ, & per se, ergo natura est, ergo &c. Insuper, in via Auerrois, principia subiecti possunt probari, pluries est ab eo dictum, at natura est principium subiecti naturalis Phylosophi, quod patet, natura enim dicitur de materia, & forma, quæ sunt principia ipsius corporis naturalis, quod est subiectum in naturali scientia, igitur naturam esse poterit probari; Profectõ hæc argumenta non adduxissem, si solutiones quæ ab istis dantur essẽt veræ, sed qa sunt fallæ, ideõ ea adduxi, quas solutiones nunc non affero, quia nimis essem q̃ sit cõueniens prolixus, sed quomodo illis sit occurrendum, bræuiter declaro; Et in primis hoc

præmitto

præmitto fundamentum, quod semper in p-
posito præ oculis est habendum, quòd ea
quæ sunt sensu manifesta, nulla egent proba
tione, cuius ratio est hæc, quòd ea quæ sensu
apprænduntur perfectiori cognoscuntur
cognitione, quàm sit ea cognitio, quæ per di
scursũ habetur, indè est qnòd principia quæ
à nobis nullo discursu percipiuntur, magis
efficaciter cognoscuntur, quàm conclusiones
quæ per rationes cognoscuntur, pariter, &
quæ sunt sensata, magis efficaciter appræhẽ-
duntur, quàm ea, quæ per rationes cognoscũ-
tur, idcircò hic Arist. rectè dicit, quòd natu-
ram esse, est per se notum, manifesta enim est
ex sola terminorum notitia, notum namq; est,
corpus naturale esse, notum est etiam ipsum
moueri à principio intrinseco, quod est natu-
ra, ergo manifestum est naturam esse; Cũ er- Ad 1m
go dicitur, motum esse est notius natura, cõ-
cedo, ergo natura poterit demõstrari ex mo-
tu, nego argumentum, eo quia naturam esse,
est per se manifestum, & quæ sunt manifesta,
minimè possunt probari; Cum dicitur, pro- Ad 2m
bauit materiam, & formam esse, verum est, &
hæc sunt natura, admitto, ergò probat naturã
esse, hanc nego illationem, & negationis cau-
sa est, quia Arist. illa non probauit esse, qua-
tenus natura sunt, quia sub tali ratione, hæc

sunt

sunt per se nota, sed probauit materiam esse, quatenus est subiectum transmutationis, formam verò, vt eiusdem est terminus; De tertio, potissimum medium ad demonstrandum diffinitum esse, est eius diffinitio, vera est propositio, si diffinitum non sit notum esse, at in proposito, naturam esse, est per se manifestum, igitur eius diffinitio non poterit ipsã demonstrare, cum inq̃ sit per se notum ipsam esse, benè talis ratio declarabit veritatem cõsequentis, non autem ipsum consequen^s esse, do exemplum, si quis sciuerit Lunã eclipsari, & ei demonstret aliquis eius causam, talis demonstratio erit propter quid, sed non declarabit Lunam eclipsari, sed eius veritatem ostendit, sic, & in proposito; Ad vltimum, cum dicitur, principia subiecti probantur, sed natura est principium subiecti, quod probatur, quia natura dicitur de materia, & forma, quæ materia, & forma sunt principia corporis compositi ex materia, & forma constituti; Hoc argumentum ex fundamento dicto iam est solutum, quia non omnia principia subiecti probantur, si nota sint, quæ si contingat latere, tunc possunt probari, sicq; materia & forma, & si sint principia corporis naturalis, possunt probari; Si tamen fuerint nota, dico quòd, nec quatenus principia, nec

quate-

quatenus non principia, non possunt probari, & ideò dictũ fuit ab Arist. in entibus reperiri principiũ motus, & qetis, ꝙ sensu cõpræhenditur, igitur in ijs notum est naturã esse, qa natura est principiũ motus, & quietis, igitur cum hoc sit notum, non egebit aliqua declaratione: Si alicui tñ non arrideat solutio dicta, poterit dicere, quòd natura, & principia naturalia sunt hic subiectũ, ideò nõ possunt ꝓbari, sed primã magis ꝓbo, ꝙ naturam esse est per se notũ, idcircò nõ potest ꝓbari.

Controuer. super tex. 11.

An ratio Arist. qua ꝓbat formam esse rei naturam, sit recta.

PRobat Arist. formã esse naturã rei, argumento sumpto ab arte, ꝙ est tale, Sicut se habet ars ad artificialia, sic natura ad ipsa naturalia, & artificiale id dicitur, quòd habet formam artis, sic naturale id dicetur, ꝙ habet formã, quæ est natura, &c. Quod argumẽtum nullũ esse videtur, eo quia nõ est eadem ratio de natura, quæ est de arte, natura .n. est in corporibus naturalibus, & ars non est in rebus arte factis, sed est in artifice, cum Ars sit habitus intellectus recta ratione factiuus, vt habetur ab ipso Arist. 6. Eth. Respõdeo cũ Simpl. & dico argumẽtũ cũcludere verũ, sed Arist. obutitur noĩe artis, qa p artẽ nedũ intelligit Arist. artẽ quæ ẽ in artifice, sed ẽt intelligit effectũ pueniẽtẽ ab ipsa arte, sicꝙ vtitur noĩe Artis nõ ꝓ prin-

principio actiuo, sed prò forma producta ab arte, sensusq; erit talis, sicut eorum, quæ sunt à natura, natura est eorum principium, ità & eorum quæ ab arte sunt, ars ideſt forma producta ab arte erit eorum principium.

Controuer. super tex. 12.

An forma naturales sint à materia separabiles secundū intellectum.

INquit Arist. Quòd forma naturalis non est separabilis .s. à materia, nisi secundum rationem, ideſt secundum intellectum, sequitur igitur, quòd absolutè non est separabilis; Sed primum dictum videtur repugnare ipsi Arist. infrà tex. 21. & 26. vbi dicet, quòd formæ naturales nequeunt separari per intellectum à materia; Quod etiam si nō dicat Arist. potest probari ex his, quæ habet 6. Met. tex. 2. vbi dicit quòd tres sunt scientiæ reales, quæ sunt distinctæ penes diuersos diffiniendi modos, cum igitur vna, & eadē quātitas à Phylosopho, & à Mathematico consideretur, non alia certè ratione illam considerabit Math. nisi quatenus potest per intellectū separari à materia, licet habeat esse in materia, modò si forma, quæ natura est, in materia habet esse, & potest ab ea per intellectum separari, omnis ergò forma naturalis erit considerationis Mathematicæ, cū Mathematicus consideret formam, quæ in materia est, vt tamen potest per intellectum ab illa separari,

ità

ità quòd sic arguatur, omnis illa forma est cō siderationis Mathematicæ, quæ habet esse in materia, potest tamen ab ea per intellectū separari, sed oīs forma naturalis habet esse in materia, & potest ab ea (vt hic inquit Arist.) per intellectum separari, ergò omnis forma naturalis erit considerationis Mathematicæ, & ità non solum quantitas, sed & albedo, sapor, & odor considerabuntur à Mathematico; Vndè Zimara solitus est dicere, q̄ naturalis sepè vtitur abstractione Mathematica, quæ est, intelligere hoc, non intellecto illo, nam quantitas habet esse in materia, intelligit quātitatē, non intellecta materia, considerat què eā, non considerata materia, in qua est; Confirmo dubitationem ex his, quæ habet Arist. Primo de Ani. tex. 16. vbi dicit, quòd diffinitio naturalis formam simul cum materia coniungit, ergò non videtur, quòd forma naturalis possit à materia secundum diffinitionem separari; Præter ea, quæ suprà in Primo huius in sol. controuer. super tex. 65. dixi; Nunc dico primò, quòd forma naturalis nequit distinctè intelligi, non intellecta materia propria; Dico secundò, dictum Arist. hic dicentis, formam nō posse separari à materia, nisi secundum rationē, ideſt per intellectum, esse verissimum; Declaro oīa, sciunt

omnes,

omnes, quòd relatiua dicunt habitudinem ad aliquid, pater enim non intelligitur non intellecto filio, nec è contrà filius non intellecto patre. Esto tamen quòd in cõceptu patris sit filius, per intellectũ tamen possim separare filium à patre, & dicere hoc non est illud. magni enim refert dicere intelligo hoc non intellecto illo, & dicere separo, hoc non est illud. nam licet patrem non possim intelligere non intellecto filio, per intellectum tamen possum separare, & dicere hoc non est illud, sicq; est in præsenti, cum dicit Arist. formam esse separabilem per intellectum à materia, est intelligendum, id est distinguitur nam licet materia nõ possit separari à forma, per intellectum tamen possum separare, & dicere, materia non est forma, quia magni refert dicere, hoc non potest stare sine illo, & dicere, hoc non est hoc; Et quamuis Arist. dicat in Primo de Ani. tex. 16. quòd naturalis non potest diffinire sine materia, ipse autem diffiniens iram, quæ est forma naturalis, eam diffinit sine materia; Dico primò, quòd nulla forma naturalis sub conceptu proprio, & adæquato potest distinctè intelligi, nisi ēt materia compræhendatur in diffinitione; Dico etiam, & secundò, quòd forma naturalis, si intelligatur conceptu communi, sine

materia

materia potest intelligi, & diffiniri; Vnde illa diffinitio, quæ dicit, domus est cooperimentum, defendens nos ab imbribus, & caumatibus, est diffinitio communis, conuenit namq; tentorijs, speluncis, nauibus, ideò forma illa potest intelligi sine materia, quia cõmunior est, si tamen domum in conceptu proprio debet quis intelligere, semper necesse est, quòd appareat materia; Sed qũo Dialecticus de re mathematica differens, differat à mathematico, vnum dicam verbum; Si enim verum est, quòd forma naturalis differt à forma mathematica penes hoc, quòd forma naturalis non potest sub conceptu proprio (sicut iam fuit dictum) intelligi, nisi intelligatur materia, mathematicus autem in proprio conceptu formam intelligit sine materia, qũo igitur differẽt Mathematicus, & Dialecticus? quantitas enim quæ diffinitur à Dialectico eadem met diffinitur à Mathematico, & vterq; diffinit per formam, quæ igitur inter Mathematicum, & Dialecticum erit differentia? Est notandum, quòd Arist. 2. de Gen. Anim. Cap. 3. diffinitionem dialecticam vocat illã, quæ tradita est per communia, inquit enim ibi; (Voco diffinitionem logicam, diffinitionem cõmunem,) ideſt remotã à pprijs principijs; Si enim dialecticus diffiniat circulum, dicet,

Circulus est figura vna linea contenta, quem eundem si diffiniat Mathematicus, dicet, Circulus est figura, à cuius centro ad circunferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales, sicq; illa diffinitio logica non erit propria, sed communis, at mathematica diffinitio erit tradita per propria; Sed dicet quis, cur quãtitas cum maximè sit materiæ immersa potest à materia separari, cætera autem, quæ minus sunt immersa materiæ, non possunt separari à materia? Causa est, quia quãtitas est maximè imperfecta, nullius .n. actiuitatis est, & quia nullius est actiuitatis, nullam sibi limitauit materiam, & ideò potest intelligi sine materia, at alia quia sunt actiuitatis alicuius, egẽt subiecto limitato, vndè terra, quia exiccat, idcircò eget subiecto duro, & per consequẽs debet intelligi cum propria materia.

Controuer. super tex. 15.

An priuatio sit quodãmodo eadẽ cũ forma.

INquit Arist. priuationem esse quodammodo formam; Dubitat Simplicius, quomodo hoc dictum possit esse verum, cum priuatio omninò formæ opponatur, priuatio enim est non ens, forma verò est ens, quomodo ergò priuatio erit modo quodam forma? Respondet Simpl. & primò dicit, quòd priuatio est quodammodo forma, eò quia est accidens, quod denominat materiam, sicut forma ipsam

ma ipsam denominat; Secundò dicit, quòd priuatio potest dici forma negatiuè, quia priuatio ē formæ negatio; Tertio dicit, & ità etiã Ioannes Gram. quòd mutatio perfectioris ad imperfectiorem dicitur priuatio, eò quia forma perfectior semper est, vt habitus, imperfectior verò est, vt priuatio, quemadmodum enim ex albo fit nigrũ, talis mutatio dicitur corruptio, quia in tali mutatione forma perfecta mutatur in imperfectã, cum verò ècõtrà ex nigro fiat album, talis mutatio dicitur generatio, quia est mutatio formæ imperfectioris in formam perfectiorem, semper autẽ forma perfectior est vt habitus, forma verò imperfectior est vt priuatio, sicq; hic Arist. dicit, quòd priuatio est quodammodo forma, quia est via ad formam imperfectiorem; At prima expositio magis placet, & etiam secũda, quòd priuatio sit quodammodo forma, quatenus denominat subiectum, vel quòd sit quodammodo forma, scilicet negatiuè, eò qa sermo Aristot. est vniuersalis, & de qualibet forma est intelligendus, Sed vna imminet difficultas, quam à Græcis prætermissam fuisse miror, quæ est, quòd si priuatio est quodã modo forma modis dictis, erit igitur quodã modo natura, & per consequens priuatio erit quodammodo principium motus, & quietis;

Sed quo modo priuatio est principium motus,& quietis? hoc erat etiam ab ipsis declarandum,& præcipuè à Io:Gram. de quo maximè miror, qui sicut saluat quomodo materia sit principiũ motus, & pariter quo modo forma, debuisset etiam hoc de priuatione adnotasse; Dicerẽ, quòd eo modo, quo priuatio est principium rerum, quòd etiam eodẽ modo est natura, & principium motus; Dictũ fuit ab Arist. Primo huius tria esse rerũ naturalium principia, duo per se, materia, & forma, tertium per accidens, priuatio. ſ. Sicut autem forma, quæ in materia reperitur, est principiũ motus, quià dat impetũ ipsi materiæ, vt exempli gratia, forma leuis dat impetum materiæ ignis, vt ascendat, forma grauis facit, quòd terra procumbat, & deorsum feratur, ità priuatio cum sit materiæ accidens erit principium motus hoc modo, propter enim eius turpitudinẽ dat impetum ipsi materiæ, vt spolietur illa turpitudine, & induat formã speciosam, materia .n. mouetur, habetq; propensionem, vt expolietur ab illa turpitudine, & formã pulcrã induat; Ex quo patet, ꝙ formæ artis sunt extrinsecæ, eò quia in materia illarum non est illa aptitudo, seũ propensio ad recipiendam formam qua caret, quẽadmodum in materia naturali; Priuatio igi-

tur

tur cum sit quodãmodo forma, ità erit quodammodo natura, ac etiam quodammodo principium motus, quatenus priuatio dat materiæ propensionem illam, vt inclinetur ad recipiendam formam, & turpitudinem abijciendam.

Controuer. super tex. 16.

An sermo Arist. in text. 16. sit cõtinuus cũ præcedẽtibus, & quo.

IN principio istius textus ponit Arist. cõtinuationem, simul cum intentione dicẽdorum, & inquit, (Quoniam declãratum est quot modis dicitur natura, pòsthoc speculandum est quomodo differt Mathematicus à Physico;) Qui sermo valdè incontinuus videtur esse, nullumq; habere ordinem, & ità sit, patet, licet enim suprà sit declaratum, quid sit natura, & quot modis dicatur, quo modo valet, nunc est dicendum, quæ sit differentia inter Mathematicum, & Physicum? profectò hæc verba nullam habent cõtinuationem; Inter expositores solus Ioannes Gram. connatur soluere hanc difficultatem, qui dicit, tria fuisse secundum Arist. naturæ significata, natura enim dicebatur de materia, de forma, de generatione, quæ generatio dicebatur natura, quia erat via ad formam, quæ forma principaliter dicta est natura ab Aristotele; at quia omnis scientia est circà formam, vna què ab alia distinguitur

penes formam, ideò ob hoc nunc proponit docere differentiam inter Phyloſophum naturalem, & Mathematicũ, ſubintelligendum eſt, & Metaphyſicum, dicetq; , quòd diſtinguuntur ſic, quia naturalis conſiderat formas materiæ immerſas, Meraphyſicus verò conſiderat formas, vt ſunt ſeparatæ à materia re, & cognitione, at Mathematicus conſiderat formas à materia ſeparatas cognitione tantùm, at non re; Et licet hic nihil de formis ad Metaphyſicum attinentibus dicat, infrà tamen tex. 71. dicet, quòd Metaphyſicus conſiderat formas ſecundum rem ſeparatas, ideò, & de ipſo dixi etiam eſſe ſubintelligendũ; Sed dicet ille, ponere hanc inter iſtas ſciẽtias differentiam pertinet ad Metaphyſicum, ideò in 6. Met. eam ponit; Dico, quòd Naturalis, & Metaphyſicus eam ponunt, ſed alio, & alio modo; Naturalis eam ponit, ad hoc vt diſtinguat ſuam ſcientiam ab alijs, at Metaphyſicus abſolutè.

An Aſtrologia cõſideret accidentia corporis cœleſtis, vt ab eo ſunt ſeparata.

Controuer. j. ſuper tex. 18.

INquit Ariſt. quòd Aſtrologia conſiderat accidentia corporum cœleſtium, vt ſunt ſeparata à corpore cœleſti; Cuius oppoſitum videtur dixiſſe 12. Met. tex. 44. vbi dixit, Aſtrologiam per ſe facere Theoriã de ſubſtantia cœleſti, quomodo ergò Aſtrologia

gia separat accidentia à substantia cœlesti? Respondet Alexander, ex Posidonio Græco vt refert Simplicius, quòd Astrologia contẽplatur substantiam cœlestem, idest magnitudinem, Astrologus enim considerat profunditatem, & dimensionem corporis cœlestis, sicq; per substantiam interprætatur magnitudinem, sicq; etiam Lincon. Primo Post. Cap. 10. exposuit.

Controuer. 2. super tex. 18.

An abstrahẽtiũ sit mendacium.

AIt Arist. (Neq; fit mendatium abstrahentium;) Cui sententiæ videntur obstare, verba Arist. in principio 2. Met. dicentis, vnumquodq; sicut se habet ad esse, ità se habet ad cognosci, at quantitas considerata à Mathematico habet esse in materia, igitur & per materiam debet eam cognoscere, quam si abstrahat Mathematicus à materia eam cognoscet aliter quàm est, ergò erit mẽdatium; Quod confirmatur, quia cognoscere rem aliter quàm est, est mendatium, sed intelligere quantitatem non intellecta materia, est cognoscere quantitatem aliter quàm est, ergò est mendatium; Quod etiam adhuc cõfirmatur, Illa intellectio, cui nihil ex parte rei correspondet, est futilis, & vana, sed tali intellectioni mathematicæ nihil ex parte rei correspondet, ergò, &c. Accedit, quòd verũ

vero non contradicit, teste Arist. Primo Eth. at naturalis Phylosophus dicit dari minimam quantitatem, quæ potest subsistere, Mathematicus verò dicit non dari, immò quòd potest in infinitum augeri, altera igitur istarum est falsa, cum contradicant non naturalis, quia est perfecta, ergò Mathematica, ergò abstrahentium erit mendatium; Vt hæc ab vnoquoq; de facili tollãtur, sunt hæc adnotanda; Et Primò, quid sit abstractio, quæ ex vi vocabuli, nil aliud est, quàm separario vnius rei ab alia, quæ res prius erant coniunctæ; Secundò notetur, quòd hæc abstractio est duplex, alia realis, alia intentionalis; Abstractio realis, est cum separamus lapidem à lapide, succum à planta; Abstractio secundum intellectum notetur, quòd est duplex, vna fit ab intellectu agente, alia est facta ab intellectu possibili; Abstractio, quæ competit intellectui agenti, nil aliud est, q̃ concursus intellectus agentis cum phantasmatibus ad repræsentandam, & causandam cognitionem vniuersalem in intellectu possibili absq; materia, & absq; conditionibus materialibus, de qua Arist. hic non loquitur; Abstractio quæ conuenit intellectui possibili, sicut dicit Boetius in principio primæ editionis super Porphytium est duplex, alia

Quid sit abstractio

Quotupl. sit abstractio.

est

est compositiua, idest cum compositione, vel diuisione, eò quia fit per secundam intellectus posibilis operationẽ, ideò in hac consistit veritas, vel falsitas, & per hanc componimus, & separamus propriam passionem à subiecto, vt cum dicimus, homo est risibilis, vel homo non est risibilis, quarum prima est vera, secunda est falsa; de qua adhuc non est Arist. hic intelligendus; Alia est præcissiua, & hæc est cum vnã rem intelligimus nõ intelligẽdo aliam rem sibi annexam, quæ talis abstractio fit per primam intellectus operationem, quæ est simplicium apræhensio, in qua non est veritas, nec falsitas, & per hanc intelligimus verè subiectum, non intellecta eius propria passione; & de hac Arist. hic loquitur, dum dicit Abstrahentium non esse mendatium; Sed quæret aliquis an hæc separatio conueniat tantùm intellectui, an alteri etiam potentiæ ab intellectu; Dico quòd si sequamur Auerroem 2. de Anima, conuenit etiam virtuti cogitatiuæ, quæ cõmuniter vocatur imaginatiua, hæc enim expoliat, & separat accidentia communia, & propria ab indiuiduo; Adhuc dicet ille, non mihi videtur, quod hæc abstractio conueniat Mathematico, sed benè ipsi Metaphys. & ratio est, quia Metaphysicus est ille, qui

An abstractio fit solius intellectus operatio.

Abstractio an cõueniat Metaph. vel ipsi Mathe.

consi-

considerat res omninò sine motu, ac sine materia sẽsibili, quo modo ergò dicis tu, huiusmodi abstractionem conuenire ipsi Mathematico; Dico, quòd alio modo conuenit Metaphysico, & alio modo ipsi Mathematico, conuenit Metaphysico priuatiuè, quia ipse contemplatur res, quò ad prædicata communia; dico communia substantiæ, & accidenti, rebusq; æternis, ac corruptibilibus, speculatur namq; ens, vt est commune substantiæ, & accidenti, considetat substãtiam, vt communis est substantiæ æterne, & corruptibili, sicq; talis abstractio est quodam modo priuatiua, quia has res considerat, quò ad prædicata communia; at positiuè ipsi Mathematico competit talis abstractio, qui considerat ipsã quantitatem non considerata materia quo ad sui prædicata; Ex quibus tunc respondetur obiectionibus; Et dico, quòd sicut res se habet ad esse essentiale, & substantiale, sic se habet & ad intelligere, cum dicitur quantitas habet esse in materia, dico, quòd non habet esse essentiale in materia, eo quià potest diffiniri sinè materia, sicq; potest intelligi pfectè non intellecta materia, cum talis intellectio sit per primam intellectus operationẽ quæ est simplicium appræhensio terminorũ, minimè per secundam; Sic quoq; ad primam

con-

confirmationem; Dico, quòd qui cognoscit rem aliter, quàm est, scilicet per secundam intellectus operationem, quæ est compositio, & diuisio, ille mentitur, at Mathematicus nõ ità abstrahit quantitatem à materia, sed benè per primam intellectus operationem, in qua non est falsitas, nec veritas, do exemplum, in lacte reperitur albedo, & dulcedo, possumus intelligere albedinem, nõ intellecta dulcedine, in qua intellectione non erit falsitas; Pariter respondetur, & alteri confirmationi, falsum enim est dicere, quód intellectio, cui nihil correspondet ex parte rei quo ad primam intellectus operationem, sit falsa, quæ quidem intellectio si fiat per secundam intellectus operationem erit falsa, cũ in hac cadat falsitas, quæ in prima non reperitur; Possumus etiam dicere, quód illi intellectioni correspondet aliquid ex parte rei, correspõdet enim illa quantitas, Cum dicis, illa quantitas est in materia, concedo, Mathematicus tñ illam considerat vt quantitas tantùm, ac sinè materia; Ad vltimam, verum vero non contradicit, hoc est verũ, at si Mathematicus dicit, quantitatem augeri in infinitum, & naturalis dicat, quód non, immó affirmet dari minimam quantitatem, neutra tamen est falsa, immó vtraq; est vera, eò quia tales considerationes

rationes non sunt contradictoriæ, quia contradictoria debent esse ad idem, ac respectu eiusdē, sed istæ non sunt respectu eiusdem, cum Mathematicus consideret quantitatem, vt abstractā à materia, quā eamdē cōsiderat Naturalis vt materiæ immersam, sicq; ambæ illæ considerationes sunt veræ, cū sint penes diuersos considerandi modos distinctè.

An Mathematicus possit diffinire quantitatem sine materia.

Sed contrà hanc determinationem dubitabit ille, quomodo Mathematicus possit diffinire quantitatem non posita materia in eius diffinitione? quià si sic est, sequetur, ergò eò quòd Mathematica erit scientia rationalis, eò quia quantitas sinè materia considerata, quæ est eius proprium subiectum, non habet esse nisi per opus intellectus, quod dicere, repugnat, Arist. 6. Met. ad principium, vbi asserit scientias reales esse tres, inter quas cōnumerat ipsam Mathematicam, quam vocat realem, sicut & Metaphysicam, & Philosophiam naturalem; Amplius sicut Metaphysicus non potest diffinire accidens sine substantia, nec abstrahere accidens à proprio subiecto, ergò Metaphysicus tantò minus poterit diffinire quantitatem sine materia, valet consequētia, qà Metaphysicus est magis fortis in abstrahendo, quàm Mathematicus, Metaphysicus enim considerat abstracta secundum

dum esse, & secundum rationem, at Mathematicus speculatur tantummodò abstracta secúdum rationem; Antecedēs istius rationis est ipsius Arist. 7. Met. tex. 7. dicentis, Substātiā esse priorem accidēte, cognitione, diffinitione, natura, & tempore, immò omni prioritate; Accedit, quòd quantitas dependet in esse à materia, non enim potest inueniri quantitas sinè materia, ergò nec sinè materia poterit diffiniri, probo illationem, quià res diffinitur sicut habet esse, & ideò Primo de Anim. tex. 14. dicebat, quòd passiones animæ, qa sunt cum materia, idcircò & per materiam debent diffiniri; Adde quòd si sic est, sequetur ergò, quòd Phylosophia naturalis subalternabitur ipsi Mathematicæ, cũ Mathematicus consideret quantitatem, vt quantitas est, naturalis verò Phylosophus eamdem speculetur vt materiæ immersam, hic namq; adsunt conditiones duæ requisitæ subalternationi, subiectum enim est sub subiecto, vt patet, Phylosophusq; naturalis addit conditionem accidentalem subiecto Mathematicæ, quemadmodum est de Musica respectu Arithmeticæ, Arithmetica considerat numerum, Musica verò numerũ sonorũ, Quo modo ergò phylosophia nãlis erit scientia principalis?

His

His omnibus satisfacio per ordinem; Primum argumentum concluderet veritatem, si subiectum Mathematices primum esset quantitas, ratione qua seiuncta est à materia, quod est falsum, cum eius primum subiectum sit quãtitas, vt quantitas, & ideò quantitas quatenus quantitas potest diffiniri sine materia; Quo ad secundum, Dico, quòd Metaphysicus est fortior in abstrahendo, quàm Mathematicus, quatenus considerat res abstractas, & secũdũ esse, & secundum rationem; Mathematicus tamen est fortior Metaphysico in abstrahendo, quatenus diffinit quantitatem sinè materia, & sine subiecto, quòd Metaphysicus facere nequit; Vlterius dico, quòd si quantitas debet perfectè intelligi, & diffiniri, necesse est, quòd per materiam diffiniatur, & ideò naturalis Phylosophus perfectius diffiniet ipsam quantitatem, quàm Mathematicus, eò quia Naturalis Phylosophus eam diffinit per principia à quibus dependet in esse, sicut autem res se habet ad esse, sic se habet quo ad perfectè cognosci, cum hoc tamen stat etiam quòd Mathematicus in genere suo perfectè diffinit quantitatem, diffiniendo eam per formam; Sed non possum omittere solutionem datam à D. Thoma, & ab Egidio huic argumento; qui dixere, quantitatem re

vera

vera non posse diffiniri absq; materia; Sed D. Thomas tunc notat, quòd duplex est materia, alia intelligibilis, alia sensibilis; Materiam intelligibilem dicit esse substantiã cõpositã nullis qualitatibus affectã, quæ erit sẽsibilis, si qualitatibus sit subiecta, Soluendo argumentum dicit, quòd Mathematicus diffinit quantitatem cũ materia intelligibili, nõ autem cum materia sensibili, cuius ratio est, quia illa materia intelligibilis, vt nullis qualitatibus est affecta est causa quantitatis, & ideò quantitas per illam diffinitur, non autẽ per materiam sensibilem, quia talis materia sensibilis est posterior ipsa quantitate, est .n. sensibilis per ipsas qualitates; at quantitas præcedit qualitatem, & quodcumq; aliud accidens, & propter hoc Arist. in Præd. post Substantiam posuit quantitatem, cum ergò quantitas sit qualitate prior, erit quoq; & prior materia sensibili, cum rõne illius sit sensibilis, idcircò quantitas non poterit per illam materiam sensibilem diffiniri, quæ tamen diffinietur per materiam intelligibilem, cũ hæc materia intelligibilis simpliciter ipsa quantitate sit prior; Hanc solutionem coactus fui adnotare, eò quia eam non approbo. Si enim discurramus totum Euclidem, nunquàm reperiemus, ipsum in suis diffinitionibus talẽ

materiam

materiam ponere; Insuper si Mathematicus per talem materiam diffinit, sequetur, quòd ipse Mathematicus considerabit causam materialem, cuius oppositum dicunt omnes, immò ipse D. Tho. dicet infrà, quòd Mathematicus solam considerat causam formalem; Accedit, quòd ipse D. Tho. abutitur materia intelligibili, dum vocat illam esse substantiam compositam omnibus qualitatibus destitutam, quià Arist. 7. & 8. Met. dicit, quòd materia intelligibilis in Mathematicis, est sicut continuum respectu partium, partes respectu totius, numq̃ dixit Arist. materiam intelligibilem esse substantiam compositã nullis qualitatibus affectam, quare argumentum primò adductum staret in robore suo, cui tamen iam fuit satisfactum; Ad vltimũ Auerroes 3. Cœli Com. 6. admittit, quòd quò ad illa dicta, Mathematica erit superior ipsi Philosophiæ naturali, quod & nos etiam concedere possumus, quod simpliciter loquendo, non erit admittendũ; Sed adhuc quæret aliquis causam, ob quam reliqua accidentia non faciunt duas scientias, sicut ipsa quantitas; Erit respondendum cum Auerroe 7. Met. Com. 32. qui videtur dicere, huius causam esse hanc, quià quantitas habet subiectum commune, .s. materiam, at alia accidentia habent subiectum

ctum proprium, vt qualitates primæ habent ipsa elementa, qualitates secundæ habēt primas, cum ab illis inuicem proportionatis oriantur, idcircō quantitas duas facit scientias, quod alijs non conuenit accidentibus.

Controuer. super tex. 19.

AFfirmat Arist. formas naturales proprie non posse diffiniri sine materia, vt caro, os, & homo, diffiniuntur sicut naris sima, sed non sicut curuum; Obijcitur, materia secundum se est ignota, non enim est quid, nec quale, nec quantum, sicut ipse scriptum reliquit 7. Met. igitur formæ naturales non diffinientur per materiam, cognitio enim est ex ente actu, non autem ex ente in potentia, sicuti est materia; Quælibet etiam pars diffinitionis debet esse notior ipso diffinito, vt colligitur ex 6. Top. Insuper materia nō est pars quidditatis, vt docet Arist. 7. Met. tex. 34. & 35. igitur non est ponenda in diffinitione rerum naturalium; Sed quid est quidditas dicet ille? Prō intellectione argumenti hoc explico, & dico, quōd quidditas est id, quōd primō exprimitur diffinitione; Sed diffinitione quid primō exprimitur? Dico, id, quod primō exprimitur nomine diffiniti, diffinitio enim, & diffinitū sunt idem, differunt tantūm sicut explicitum

An materia sit ponenda in diffinitione rerum naturalium.

 im-

& implicitum, cum igitur diffinitum, vt homo, primò significet formam apud Aristot. Forma igitur erit tota rei quidditas, minimè materia, igitur in diffinitione non erit ponēda, Vltimò adde, quòd si materia ponatur in diffinitione substantiæ naturalis, tunc sequetur, quòd substantiæ naturalis diffinitio erit per additum, quod damnatur ab Arist. 7. Met; probo consequentiam, cum enim diffinitio substantiæ naturalis includat materiam sensibilem affectam qualitatibus sensibilibus, includit ergò aliqd extrà genus ipsius substantiæ, igitur erit per additum; Dico, quòd formæ naturales non possunt perfectè diffiniri absq; materia sensibili, si enim in sui esse eam includunt, & per illam etiam debēt diffiniri; Et argumentis satisfacio, Quo ad primum, noto, quòd materia dupliciter consideratur, vno modo absolutè, ac vt denudata ab ipsis qualitatibus, quo modo est ignota quo ad nos; Alio modo sumitur materia, vt est formis, id est qualitatibus affecta, quæ dicitur materia sensibilis, quæ est nota nobis, & hæc est, quæ ponitur in diffinitione substantiæ naturalis; Quæ nō ponitur, vt pars quidditatis ipsius substantiæ naturalis, sed vt pars essentiæ illius, immò vt Auerroes inquit, vt vehiculum deferens ipsam formam, & ex his

soluitur secundum argumentū; Quo ad tertium, dico, quòd diffinitio substantiæ simpliciter acceptæ non potest dari per additū, at in præsenti non diffinitur substantia simpliciter, sed substantia naturalis, quæ includit materiam sensibilem, & motum, idcircò p illam debet diffiniri.

Controuer. super tex. 21.

An natura dicat tantúmodo tripliciter.

VIdetur Arist. in principio istius textus contrariari his, quæ suprà in tex. 14. & 15. dixit; ibi dicebat, quòd erant tres naturæ, materia. s. forma, & generatio, quæ dicebatur forma, quia erat via ad formā in tex. subsequenti 15. addidit, quòd priuatio erat etiam natura, quia erat quodam modo forma, sicq; natura erat quadruplex: hic modò dicit, quòd duæ sunt naturæ; Breuiter dico, quòd duæ sunt naturæ. s. principales, si nūc omittit generationem, est quia reducitur ad formam, via enim motus non differt à termino motus, nisi vt perfectum, & imperfectum, quo autem modo priuatio sit forma fuit suprà in solutione Cōtrouer. super tex. 15. declaratum.

Cou-

An Philosophi antiqui de forma egerint.

IN antiquos quidem respicienti, &c.) Reddens rationem difficultatis paulò superius ꝓpositæ, qua quærebatur, An de vtraq; natura scilicet materia, & forma, an de vna tãtùm sit consideratio Phylosophi naturalis, dicit, quòd si respiciamus antiquos, potius de altera scilicet de materia Physici est cõsiderare, quia antiqui tãtùm fecerunt mentionem de ea, de forma autem si mentionem faciebant, eam tamen parùm attingebant, sicut Democritus, & Empedocles; Simplicius hic dubitat ex Alexandro, cur Aristot. dimisit Anaxagoram? sicut .n. Democr. & Emped. possuerunt principia formalia omnium rerũ naturalium, similiter Anaxag. possuit formã abstractam, vt principium formæ sicut suprà Primo huius tex. 39. & Tertio de Ani. tex. 4. dixit Anax. Necesse est, intellectum esse inmixtum, vt imperet; Respondet Alex. & dicit, Arist. omisisse Anaxagoram, eo quia ipse non vtebatur illa forma in generatione rerũ naturalium; Sed Simpl. qui semper aduersatur Alex. arguit cõtrà ipsũ ex verbis Anax. qui dicebat, quòd generatio erat rei segregatio facta ab illa forma, ergò, &c. Dicit itaq; Simpl. quòd Arist. tacuit Anax. qa Arist. ipse hic loquitur de formis naturalibus, non

autem

autem de abstractis, sicut erat forma illa ab Anax. posita; Sed dubitabit aliquis quomodo Empedocles posuerit litem, & amicitiam principia formalia, sicut ei nunc Arist. videtur imponere, cum per ipsum Empedo. lis, & amicitia sint principia efficientia; Dicendū erit cum Io. Gram. quòd lis, & amicitia possunt comparari ad generabilia, & corruptibilia, respectu quorum sunt principia efficientia; possunt etiam cōparari quo ad mundum, sicq; habent rationem formæ, Mundus autem secundum Emped. erat duplex, vnus intelligibilis, qui ab ipso vocatur sphera, cuius forma erat amicitia, alius erat mundus sēsibilis, vt mundus iste, cuius mundi formam dicebat Emped. esse ipsam litem, eo quia mediante lite segregabantur entia, & constituebatur mundus iste.

Controuer. 2. super eod. tex. 22.

SI autem ars imitatur naturam, &c.) Incipit probare, munus Phylosophi naturalis esse de vtraq; natura, scilicet de materia, & forma considerare, & argumentū est hoc vt dicit Simpl. Ars imitatur naturam, sicut ergò est in arte sic est in natura, sed ars considerat materiam & formam, sicut probat exemplo sumpto ab arte medica, & ædificatoria, ergò &c. Obijcitur, quia si valet hæc

An rectè Arist. probet ad naturalē pertinere de mā, & forma agere

Arist. ratio ergò etiam valebit dicere, Ars nõ considerat materiam primam, igitur nec Philosophus naturalis eam considerabit; Est respondendum cũ Auerroe, qui hanc difficultatem remouet, negando similitudinem, & ratio negationis est, quia omnis ars est particularis, & ideò habet considerare tantùm materiam, ac formam particularem, immò si daretur Ars vniuersalis, munus suum esset illa in vniuersali considerare, at philosophia naturalis est scientia vniuersalis, ideò contemplari debet materiam in communi.

Controu. super tex. 26.

An materia sit ad aliquid.

VT probet Arist. materiam relatiuè dici ad formam, assumit, quòd alterius formæ altera est materia; Contrà, materia est vna, & communis, & tamen non est altera forma illius materiæ, ergò non est verũ, quòd alterius formæ sit altera materia, Dico cũ Simplic. quòd materia prima est illa, quæ est vna & communis, & illa habet relationem ad formam communem, at cum dicimus materiam aliam, aliam habere formam, intelligimus materiam determinatam, quæ habet formam determinatam, non autem loquimur de materia communi, sed de materia particulari, forma enim particularis materiam particularẽ exigit; Sed adhuc ille instabit, Res naturales sũt

absolutæ

absolutæ, ergò earum principia etiam debent esse absoluta, cuius oppositum dicit Aristot. quòd materia dicitur relatiuè, Dicam quòd relatiua sunt in duplici differentia, alia sunt relatiua secundum esse, alia sunt secundū dici; Relatiua secundum esse non sunt principia rerum absolutarum, at materia est relatiua secundum dici, absoluta tamen secundum esse; Sed hic vnum est notandum, quòd licet dicamus, materiam relatiuè dici ad formā & formam relatiuè dici ad materiam, tamen hoc interest, quòd minus dicimus, materiam habere habitudinem ad formam, quàm dicamus, formam habere habitudinem ad materiam; Ratio est hæc, quia Arist. 8. Met. tex. 13. dicit, quòd actus absolutè præcedit potentiam, & quòd potētia relatiuè dicitur ad actum, non autem actus dicitur relatiuè ad potentiam, quià imperfectum debet ordinari ad perfectum, sed non ècontrà.

Controuer. super tex. 27.

An Arist. sit hic superfluus tractās de causis.

INcipit Arist. tractare de causis; Aliquis ipsum redarguet de superfluitate, cum de eisdem causis egerit Arist. in 2. & 5. Lib. Met; Adhuc, de eisdem causis tractauerit in 2. Post. ergò superfluus cum de eisdem hic ēt consideret; Insuper inordinatus videtur, cū non seruet ordinem doctrinæ, quem semper

solitus est seruare, qui ordo doctrinæ est simi lis ordini naturæ, in quo ordine causa finalis est prima, cum ipsa agenti imponat necessitatem, & agens necessitet ipsam materiam, ergò à fine erat incipiendum; Dicendum est, quòd Metaphysicus, Logicus, & Physosophus naturalis agunt de causis, sed ad alium, & ad alium finem; Metaphysicus eas considerat, vt sunt causæ entis; Logicus, vt media in demonstratione, Physosophus naturalis de eisdem tractat, vt per eas in cognitionem effectuum naturalium perducamus; Licet aũt finis sit prima causarum simpliciter, & via perfectionis, origine tamen materia est prior cæteris; Ideò dixit Simpl. Arist. procedere ab inferiori ad superius, seũ ab imperfecto ad perfectum, cum autẽ materia inter causas sit imperfectior, ideò ab ea est exorsus; Tum qà antiqui effectus omnes reducebãt ad causam materialem, sicq; permutauit ordinem naturæ ob faciliorem doctrinam; Dixit etiá Simplic. in principio istius 2. Arist. incepisse à materia, quià cum aliquid cognoscibile nobis offertur, excitatur statim animus ad cognoscendas eius causas intrinsecas, quæ sit illius forma, quæuè sit illius materia, ex qua res illa constat, Post excitatur animus ad cognoscendum, quis illius fuerit author, & reliqua

liqua, at quia animus magis excitatur ad cognoscendas causas intrinsecas, quàm extrinsecas, ideò prius egit de causis intrinsecis; Sed cur tractando de causis intrinsecis potius à materia est auspicatus, quàm à forma? qa materia ipsi formæ substernitur, ideò prius de materia.

Controuer. super tex. 28.

DEclarans Arist. materiam, dicit esse illam, ex qua fit aliquid cum insit; Per quam vltimam particulam separat materiam à priuatione, sicut diximus in fine Primi huius, ex qua etiam similiter aliquid fit, sed non ineſt, recedit enim, at materia remanet, & est rei pars; Sed contrà dicet ille, non nè etiam res fit ex forma, quæ etiam est rei pars; Dicendum est cum Simpl. quòd res non fit ex forma, sed fit secundum formam; Et hoc quod Simpl. dicit hic, idem dicit Themist. 2. de Ani. tex. 3. ubi inquit, Res habet à materia quòd fiat, à forma verò q̃ sit, nam non dicimus, ex forma aliquid fit, cum enim dicimus aliquid ex aliquo fieri, intelligimus alter vtrò istorum modorum, aut ex priuatione, aut ex materia, at priuatio nõ manet, sed recedit, at materia licet maneat, aliter tamen se habet, cum trãsmutetur, at forma nõ aliter transmutatur, ideò res nõ fit ex forma, sed

An causa mãlis rectè ab Aristo. describatur.

sed secundum formam; Plura poteris videre in solut. Controuer. super 2. Post.

Controuer. 2. super tex. 28.

An forma possit dici (exẽplar,) & quõ.

DIcit Arist. quòd causa formalis dicitur species, exẽplar, & quod quid erat esse rei; Dubitat Alex. quomodo Arist. possit vocare formam nomine isto exemplar, & ratio dubitandi est, quia exemplar nõ cõuenit nisi agenti cum cognitione, & electione, vt exempli gratia, ipsi artifici, qui artifex agit secundum exemplar, quod habet in mẽte sua, quod nõ conuenit ipsi formæ, cum sit causata à materia, & sit natura, quæ agit sine electione, & cognitione; Insuper Arist. videtur consentire opinioni Platonis, qui vocabat causam formalem, causam exemplarem; Respondet Simpl. de mente Alex. & dicit, quòd re vera ità est, quòd exemplar nõ conuenit ipsi formæ, Arist. tamen eam sic vocauit similitudine quadam, & duplici de causa. Prima est, quòd sicut in causa agente secũdũ cognitionem tale agens operatur ex appetitu formæ, sic propter hoc vocauit formam exẽplar; Secunda causa est hæc, quòd sicut agẽs per cognitionem agit ad finem per determinata media ordine suo, ità agens naturale appetitu formæ, & finis agit ordine suo per determinata media ad finem, datq; exemplum

Alex.

Alex. hoc, granum frumenti generat primō herbam, secundō stipulā, tertiō aristā, quartō spicam, quintō frumentum, sic agens naturale agit per determinata media ordine suo, & sic hac similitudine forma dicitur exemplar; Aduersatur tamen Simpl. ipsi Alex. in tribus, Primō, quia Alex. non soluit, dicit. n. quōd exemplar non conuenit agēti sine cognitione, sed competit agenti naturali per similitudinem, pariter ergō dicendum est de forma non vt agens est, sed vt est principium rei intrinsecum, sicq; Arist. debet vti nomine (exemplar) in causa effectiua; Secundō dicit Simpl. errat Alex. dicens agens naturale agere per determinata media, vt granum generat herbam, herba stipulam, stipula spicā, spica granum, dicit Simpl. hoc non esse verū, quia semper, id quod est prius est imperfectius, ergō imperfectius esset causa perfectioris; Tum quia, omnis effectus non debet habere nisi vnam causam, hic autem essent multæ causæ, ac eiusdem ordinis; Tertiō dicit Alex. quōd natura operatur absq; cognitione, malè dicit, quià videmus, quōd natura non operatur nisi per determinatum mediū, sicq; hoc non conuenit agenti præter rationem, sed agenti cum ratione; Quod confirmatur ex Arist. qui in 2. Lib. de Gen. dixit

contrà

cootrà Emped. naturam agere per rationem; Idcircō Simpl. respondet ex mente propria, & parum differt iuditio meo ab Alex. dicit q; Arist. vocare formam exemplar ad similitudinem Artis quæ ars, sicut ex appetitu formæ, & mediāte cognitione ipsius formæ operatur, ideō exemplar dicitur in arte, ità natura mediante appetitu formæ operatur, sicq; in propriè Arist. vocat formam exemplar, & ob similitudinem dictam.

Controuer. 3. super eod. tex. 28.

An oēs partes diffinitionis sint formæ.

INquit Arist. quòd omnes partes diffinitionis sunt formæ; Cuius oppositum habetur à Porphy. in Cap. de Differentia dicente, genus habere rationem materiæ, differentiam verò formæ; Cuius etiam oppositum ab ipso Arist. colligitur ex primo de An. tex. 16. ac ex 2. huius, suprà tex. 19. dicente, materiam poni in diffinitione; Præter ea, quæ dixi in Solut. Controuer. super Primū Post. in Solut. Controuer. 4. super tex. 30. Bræuiter dico, Arist. nec sibi, nec Porphyrio aduersari, quià forma est duplex, alia declarans tātùm, sicq; si materia ponitur in diffinitione, est forma declarans, quod non repugnat authoritatibus præcitatis, non tamen erit forma perficiens, sicq; quælibet pars diffinitionis erit forma declarans essentiam, ac rei quiditatem,

tatem, non tamen perficiens.

Controuer. 1. supertex. 29.

DIffinit efficiens, quod sit primũ principium mutationis, aut quietis; Obstabit ille, quia datur efficiens sine motu, quid ergò dicit Arist. Insuper, Auerroes inscribatur. 2. Cap. de Substantia orbis dixit, in æternis dari efficiens conseruans, quod efficiens nõ agit per motum, conseruat enim Deus intelligentias absq; motu; Communiter dicitur, efficiens esse duplex naturale, & metaphysicum, Efficiens naturale est cum motu, efficiẽs metaphysicum sine; Quæ responsio reijcitur quia Arist. 5. Metaphy. diffiniens potentiam actiuam dixit, quòd potentia actiua est principium transmutandi alterum, vt alterũ est, ergò omne efficiens & naturale, & Metaphysicum est cum motu: quò circà erit negandum dari efficiens sine motu: Ad Auerroem, Dico, illud efficiens conseruans reduci ad causam formalem, & finalem, & non esse genus causæ distinctum, si enim Cœlum dependet ab intelligentia, vt à causa efficiẽte conseruante, dico, quòd est, vt à fine, vel à forma, eò quia causa conseruans non est nisi dependentia vel in genere finis, vel formæ. An causa efficiẽs recte ab Aristo. de-

Con-

Controuer. 2. super eod. tex. 29.

An finis inter causas sit reponendus

DIffiniens Arist. causam finalem, dicit, est cuius causa aliquid fit; Difficultas est, quo modo finis possit inter quatuor causas connumerari, cum ipsi non conueniãt conditiones causarum, quarum prima est, q causa sit ens, at de ratione finis est, quòd non sit ens, finis enim mouet efficiens ad operãdum, at si debet mouere, oportet vt non sit, quià habito fine cessat operatio agentis, dixit Arist. Primo de Gen. tex. 55. ergò &c. Secunda causæ conditio est, quòd causa sit prior natura causato, at finis est posterior eo, cuius est finis, vt sanitas est posterior deambulatione, quæ est causa eius, ergò, &c. Tertia conditio est, quòd ex causa dependeat causatũ, & ideò causatum non potest esse sine causa, at sine fine potest esse res, homo .n. potest esse sine beatitudine, seũ fœlicitate, quæ est finis hominis, ex 10. Ethic. ergò &c. Nec sibi conuenit quarta causæ cõditio, quæ est, quòd causa simul sit cum suo causato, at deambulatio, quæ efficit sanitatẽ est sine sanitate, habita enim sanitate cessat deambulatio; Nec etiam obtinet quintam conditionẽ, quæ est, quòd causa sit nobilior causato, sed finis rei cũ sit ipsa opatio, vt finis grauitatis est descensus, qui est operatio, operatio autẽ

est

est accidens, nullum autem accidens est nobilius suo subiecto, quo modo ergò finis poterit inter causas connumerari; Vt hæc soluantur argumenta, est notandum, quòd finis dupliciter potest considerari, vel quo ad esse intentum, vel quo ad esse actuale existentiæ, qui si primo cõsideretur modo habet esse, minimè secundo modo, & ideò cum dicitur in primo argumento, quòd finis non habet esse, verum est, quòd non habet esse in actuali existentia, benè habet esse intentum, ac desideratum, vt sanitas, quæ appetitur ab agente, ratione cuius agens operatur, esi, habetq; esse in appetitu rationali, vel naturali, qua habita, cessat operatio medici; Qui finis similiter in esse intento est prior, vt sanitas in esse intẽto est prior ipsa deambulatione, qui finis demum si consideretur, quo ad actualẽ existentiam, tunc non habet rationem finis, sed effectus, sicq; est posterior, vt sanitas quo ad actualẽ existẽtiã est posterior ipsa deãbulatione, cũ sic cõsiderata nõ sit finis, sed effectus, sicq; nõ est incõueniens, q; vnũ, & idẽ sit prius, & posterius diuersimodè cõsideratũ, vt sanitas sub rõne finis est prior agẽte, vt aũt eius effectus, sic est posterior, sicq; vna causa alteri causæ cõparata, stat q; sit causa, & effectus, prior, ac posterior; Ex qbus tollitur tertiũ

argumentum

mentum, in quo dicebatur, de ratione causæ est, quód effectus ab ipsa dependeat essentialiter Dico quód verum est, vel in esse, vel in fieri, dico in fieri, propter agens, quod agens est causa effectus in fieri, at non in esse, & cũ dicitur, quód homo potest esse sine felicitate ipsa, hoc est falsum, quia iam fuit dictum, q̃ finis potest dupliciter considerari, vel quo ad esse actualis existentiæ, quomodo propriè, non est finis, sed potius est effectus, potest etiam finis considerari quo ad esse intẽtum, sicq; res essentialiter ab eo depẽdet, nec sine eo res potest esse, vt homo qua homo nõ potest esse sine fine, quilibet enim homo fertur in ipsam fœliciratem, seũ beatitudinem, immó dico, quód homo non est homo nisi sit capax beatitudinis, sicq; homo nõ potest esse sine fine in esse intento; Sic pariter est dicendum, quo ad quartum argumentum, quód causa, & causatum sunt simul, & finis, & id cuius finis sũt simul, accipiendo finem in esse intento, ac desiderato, simul est cum sua operatione, vndè quàm primùm est finis, est etiam operatio agentis, & quàm primùm finis est acquisitus, cessat talis operatio; Cum vltimó dicebatur, quod finis est præstantissima causarum, sed operatio est finis rei, & est accidens, nullum autem accidens est nobilius suo

us suo subiecto; Est notandum, quòd operatio potest considerari sub ratione finis, potest etiam considerari sub ratione, qua est accidens, sub ratione finis, semper est nobilior ordinatis ad finem, vt verò est accidens, est ignobilior; Sed quià dictum est, quòd finis in esse intento habet rationem finis, minimè in esse existentiæ; Ideò contrà hanc determinationem quis instabit, dicetq; hoc nõ esse verum, quia Auerroes 12. Met. Com. 36. dicit, quòd balneum in mẽte, ideſt in esse intento habet rationem efficientis, vt verò in re extrà est, habet rationem finis, ergò balneum in esse existentiæ habet rationem finis; Adde, quòd de ratione finis est, quòd eo habito cesset operatio, sed præconcepta sanitate in mente medici non cessat operatio, sed incipit, ergò finis in esse intento non est finis; Insuper de ratione finis est quòd sit nobilior ordinatis ad finem, at ex iam dictis, cũ finis esse habeat solùm in esse intento, sequitur, quòd habeat esse imperfectum, cum tale esse sit imperfectum, ordinata verò ad finem habent esse perfectum, q̃ est esse existentiæ, quomodo igitur finis erit nobilior ordinatis ad finem; Est respondendum, quemadmodũ dicunt Theologi, dicentes, quòd Deus voluit ab æterno me lecturum, sed non æternè,

An finis habeat suum esse in actuali existẽtia, vel in intentione.

sed prò instanti, in quo nunc lego, sic quoq; & in proposito dico, quòd finis quatenus finis habet esse imperfectum, at non est finis sub illo esse imperfecto, vt exempli gratia, sanitas concepta in mente est finis, sed nõ est finis prò illo esse, sed est finis prò actuali esse, præconcepta enim sanitate non cessat medici operatio, sicq; cessant omnes difficultates; Et prima quidem, quià balneum in esse intento habet rationem agentis, & est finis, sed nõ prò isto esse intento, sed prò esse actualis existentiæ, aliud enim est dicere, quòd res sub esse intento sit finis, & aliud, q; prò illo esse sit finis, cõcedo, quòd res in esse intento sit finis, sed quòd prò illo esse sit finis, hoc nego, Sicq; soluitur aliud argumẽtũ, quòd habito fine cessat operatio, verum est de fine in esse perfecto, sicq; habito fine in esse intento, non cessat operatio, quià nõ sumitur finis prò illo esse, sed prò esse actualis existentiæ, quo habito cessat operatio; sub quo etiã esse erit nobilior ordinatis ad finem; Ex quibus patet, quòd finis est difficilis cognitionis; Et ideò D. Thomas dixit, & rectè, quòd minus videtur, quòd finis sit causa, quàm aliæ causæ, cum finis sit postremus, & causa ex ratione sui debeat esse prior, & ideò non est mirandum si Arist. specialiter

er probauerit finem esse causam, quod non probauit de alijs causis.

Controuer. super tex. 30.

An causę sint sibi adinuicē causæ.

AFfirmat Arist. causas esse sibi inuicem causas; Quod dictum si est verum, videtur sequi dari demonstrationem circularē, quæ ab ipso Primo Post. fuit reprobata; Videtur adhuc sequi, idem esse prius, & posterius secūdum naturā, notius, ac ignotius respectu eiusdem, efficiens enim vt est causa ipsius finis, est eo prius, ac notius natura, cum omnis causa sit prior, & notior natura causato, vt verò finis demonstrat efficiēs, sic efficiens est posterius, & ignotius natura, cum sit tamq̄ effectus, & omnis effectus est posterior, & ignotior sua causa; Seqtur adhuc, quòd idem sit causa sui ipsius, si .n. efficiens est causa ipsius finis, & finis est causa ipsius efficientis, ergò finis sui ipsius erit causa, quicquid est causa causæ, est causa etiam ipsius causati; Quæ omnia sunt ab ipso Arist. Primo Post. damnata; Bræuiter his omnibus nunc satisfacio, cum satis abundè hæc in Solut. Controuer. super Lib. Post. fuerint examinata, & in primis concedo dari demōstrationem circularem, in diuerso tamen genere demonstrationis; addo, quòd si erit in eodē genere demonstrationis talis demonstratio

dabitur in diuerso genere causæ; Quæ adhuc si erit in eodem genere causæ, ac demonstrationis, erit respectu diuersorum indiuiduorũ sicut docet Arist. in 2. Post. qui demonstrat ex vapore nubem, ex nube aquam, ex aqua vaporem, sicq; per circulum, & tamq̃ ex materia, sed respectu diuersorum indiuiduorũ; Concedo etiam idem esse prius, & posteriũs, notius, & ignotius, in diuerso tamen genere causæ; Cũ verò dicitur, idem esset causa sui met, hoc negatur, Quod probabatur, quia qcquid est causa causæ &c. dico, quòd talis propositio est vera in eodem genere causæ, ac demonstrationis, quæ sit respectu eiusdem indiuidui.

Controuer. 1. super tex. 31.

An præmissæ sint conclusionis materia.

AFfirmat Arist. præmissas esse materiã conclusionis; Dubitat Simplic. qũo hoc possit esse verum, cum materia sit illa ex qua fit aliquid cum insit, at præmissæ non sunt in conclusione, ergò præmissæ non erunt materia conclusionis, benè erũt materia syllogismi, cum præmissæ sint in syllogismo, ex illisq̃; pariter syllogismus constituatur; Huic difficultati quid sit respondendũ habetur in Solut. Controuer. super Lib. Post; Ideò videas ibi; Bræuiter tamen nunc dico, quòd præmissæ sunt materia conclusionis,

quatenus

quatenus aliqua pars earum est in conclusione, dico (aliqua pars) quia præmissæ constituuntur ex medio termino, & vtrisq; extremitatibus, qui medius terminus nõ ingreditur conclusionem, Sed ambæ extremitates in illa sunt, sicq; aliqua pars præmissarum ponitur in cõclusione: Sed dicet illæ, notitia præmissarum parit nè notitiam conclusionis? Si dixeris quód sic, eo quià notitia præmissarum facit, vt conclusiones innotescant, tunc sequitur adhuc, quód præmissæ non possint esse materia conclusionis, eó quià efficiens numq̃ est materia rei, cuius est efficiens, cum teste Arist. in isto 2. tex. 71. materia, & efficiens numq̃ coincidant: Indubitanter dico, quòd notitia conclusionis paritur ab intellectu habente præmissas, ideſt ab intellectu informato per præmissas, ità quód causa agens est intellectus informatus per notitiam præmissarum, qui parit notitiam conclusionis, sicq; idem non est efficiens, & materia, qa causa materialis est maior, & minor extremitas, quæ sunt in præmisſis, causa verò efficiens est intellectus informatus notitia præmissarum.

Contro-

Controuer. 2. super eod. tex. 31.

An efficiens recte ab Arist. describatur

DIffiniens Arist. efficiens, videtur sibi contrarius hic, & suprà tex. 29. Hic dicit, quòd efficiens est principium mutationis, aut status, aut motus, & non apponit illam particulam (Primum) quàm suprà tex. 29. apposuit, ergò vel ibi superfluus, vel hic diminutus est; Quorum nullum est asserendum, quià suprà diffiniuit efficiens propriùs, hic verò voluit explicare omnia significata efficientis, ideò omisit suprà dictam particulam, quæ significata explicans, nõ est mirandum si dedit multa exempla, (Semen aũt, & medicus, & consultor, & omninõ ipsũ faciens;) per quæ exempla declarat quatuor modos efficientis, prò quibus explicãdis est notandum, quòd efficiens vel attingit operationem, seù effectum principalem virtute tantùm, vel actu, si primo modo sic est consultor, qui consulendo non attingit effectum nisi virtualiter, cũ sit causa vt attingatur actu ex illo enim consilio princeps imperat, vt exequatur talis effectus, Si verò efficiẽs attingat effectum actu, hoc est dupliciter, vel cum sui mutatione, vel absq; sui mutatione, cum sui mutatione, quemadmodum est semẽ respectu fœtus, semen enim mutatur vt attingat effectum; Si autem efficiẽs attingat effectum

ctum absq; sui mutatione, hoc adhuc est dupliciter, vel vt efficiens instrumentale, vel vt efficiens principale, efficiens instrumentale est quemadmodum medicus, principale verò sicut est ipsa natura; Ideò Galenus 3. Artis Medicinalis dixit, (Sola natura est operatrix, medicus verò est minister;) natura .n. est primum efficiens sanitatis, quod expellit morbum, Medicus verò est naturæ minister; Notanda etiam sunt illa verba (Murationis, aut motus,) quòd per mutationem intelligit generationem, & corruptionem, per motum verò intelligit motum proprie, qui est in tribus prædicamentis, in quantitate est auctio, & diminutio, in qualitate est alteratio, in prædicamento vbi est motus localis, sed quo differat motus à mutatione, ab Arist. in Quinto huius manifestabitur.

Controuer. 3: super eod. tex. 31.

IN vltima istius text. particula explicat causam finalem, dicitq; quód finis habet rationem boni, immó optimi, addit demũ (Differat autem nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonum,) In quibus verbis videtur cõtrarietas, in primis enim dicit, quòd finis habet rationem boni, immô optimi, demùm dicit, nihil differat idem dicere bonum verum, vel apparens bonum; Si erit bonũ

An finis habeat rationẽ boni.

apparens quomodo erit optimum; Est ani-
maduertendum, quód finis habet rationem
boni, immò optimi, quià natura huius appe-
titu agit quicquid agit, & ideó in principio
Primi Ethic. dixit Arist; (Omnis ars, omnis
q; doctrina, similiter autem & actus electio
bonum quoddam appetere videtur, bonum
enim est quod omnia appetunt;) duplex au-
tem est bonum, aliud verum, aliud apparens,
quia agentia sunt duplicia, quædam quæ cũ
cognitione agunt, quædam quæ sinè cogni-
tione, si erunt agentia sine cognitione eorum
finis semper est bonus, lapis enim semper su-
um assequitur finem, nisi impediatur, causa
est, quia naturaliter mouetur, & natura diri-
gitur ab intelligentia nõ errante, vndè Auer
roes 12. Met. Com. 18. dicebat, quód natura
licet cognitionem non habeat, dirigitur tamẽ
ab habente cognitionem, quæ cognitio falli
numq; potest; Si autem fuerint agentia cum
cognitione eorum finis non erit semper bo-
nus, vel si erit bonus, erit talis apparenter, eó
quià eorum cognitio falli potest; Vndè si ho
mines non deciperentur, semper eorum finis
esset bonus, at interdum est malus, quià eorũ
cognitio decipitur, eorum enim cognitio di-
rigitur ab intellectu nostro, qui multoties
propter sensum potest errare; Et ideó vos
adolescen-

adolescentes, qui bonum putatis scorrari, per noctare, decipimini specie recti, quia illud non est bonum verum, est bonum apparens, ideó cauete; Vt igitur Arist. comprehenderet vtraq; agentia, dixit, Nihil differat idem dicere bonum, vel apparens bonum; cum agentia, quæ agunt instinctu naturæ habeant semper finem bonum absolutè, non dico absolutè respecte Dei, sed dico absolutè respectu animalis, quod errare potest. Dixit Auerroes hic, quód finis est duplex, alius in actionibus humanis, alius in rebus naturalibus, in humanis dicit, quód finis non semper est bonus, sed aliquandó habet rationem boni apparentis, at in naturalibus semper finis est bonus simpliciter propter rationem dictam, sicq; sub alijs verbis sententiam prius dictá Auerroes significauit, & immó Arist. vt comprehenderet vtrumq; finem, & in naturalibus, & in humanis dixit, Nihil differat idem dicere bonum, vel apparens bonum; Sed contrà hanc determinationem quis insurget, & dicet, si verum est, quód finis in rebus naturalibus semper sit bonus, qa appetitus naturalis semper dirigitur ab intelligentia non errante, sequatur igitur, quód appetitus rónalis erit optimus, cũ eric

conse-

consonus appetitui naturali, qui si non erit appetitui naturali consonus, non erit bonus, quod tamen nō videtur esse verum, quià appetitus, quo motus fuit Abrahā ad interficiendum filium erat rationalis, & bonus, qui tamen non erat consonus appetitui naturali, quià nullus appetitus naturalis quærit interficere filium, Arist. profectò cōcederet, quòd appetitus rationalis consonus appetitui naturali bonus est, qui si ei fuerit dissonus, non erit bonus; Melius tamen cū Theologis (quorum determinationi semper me submitto, & stare intendo) est respondendum, quòd appetitus rationalis rectus est, si erit consonus appetitui naturali, ac nisi voluntas diuina aliter disponat, quæ est superior ipsi naturæ quæ si in oppositum voluerit, etiam si fuerit appetitui naturali dissonus, ob hoc etiā erit bonus, sicq; appetitus Abrahā fuit bonus, ēt si consonus appetitui naturali non fuerit, qà voluntas diuina in oppositum voluit.

Controuer. super text. 37.

An causa in potentia referatur ad effectus in póa.

POnens differentiam inter causam in actu, & causā in potētia, dicit, quòd causæ in actu simul sunt cum effectu in actu, sicq; correlatiua sunt, cum posito vno, alterum ponatur, & ecōuersō, at in causis potentia non est ità, cum causæ in potentia non

refe-

referantur ad suos effectus; Sibi sic dicens videtur aduersari, qà in Prædic. Cap. de his quæ sunt ad aliquid dixit, quòd scientia in actu refertur ad scitum in actu, scientia in potentia ad scitum in potentia, & hæc est communis sententia omnium expositorum, dicẽtium, causam in potentia referri ad effectum in potentia, & esse simul; Quod etiam confirmatur, sicut enim causa potest causare, ità effectus potest effici, quare si causa in potentia poterit causare effectum, ità effectus poterit effici, sicq; erunt correlatiua, & ideò in tex. subsequenti dicet, quòd debemus assignare proprias causas proprijs effectibus, vt causæ actu, effectibus actu, causæ in potẽtia, effectibus in potentia; Dicendum est cũ Simplic. qui vidit hanc difficultatem, quòd actus, & potentia possunt summi dupliciter; Vno modo secundum cõmunem vsum, quatenus potentia significat id quod non est, sed potest esse, quo modo non assumuntur ab Arist. quià sic effectus potẽtia est qui potest fieri, at causa potentia ad talem effectum refertur, simulq; sunt, & sunt correlatiua, vt argumenta demonstrant; Alio modo summitur effectus potentia, non prò eo, quod nõ potest fieri, sed prò eo, quod cessat ab opere seù est extrà agentis operationem, vt ædificator

cator cum amplius non ædificat, ideſt cũ ceſſat ab opere eſt cauſa in potentia, ſicq; domus facta dicitur effectus in potentia, quia cauſa ceſſat ab actu ædificandi, domuſq; extrà agentis eſt operationem, & ſic poteſt eſſe domus potentia corrupto ædificatore, vt Ariſt. demonſtrat, nec ſunt correlariua.

An de caſu, & fortuna poſſit haberi ſciẽtia.

Controuer. ſuper tex. 39.

INcipit Ariſt. tractare de caſu, & fortuna; Videtur reprehendendus cum non ſeruet ſua præcepta traddita Primo Poſt. ac 6. Met. quibus in locis ſcriptum reliquit, de ente per accidens non haberi ſcientiam, ſed caſus, & fortuna ſunt entia per accidens, ſunt enim cauſæ per accidens, vt ipſe hic docet, ergõ de his non poterit ſcientia haberi ergõ &c. Ex eiſdem etiam præcitatis locis habetur ab ipſo, caſualium non haberi ſcientiam, quià ſunt infinita, ergõ nec de fortuna, & caſu habebitur ſcientia cum ſint ipſis caſualibus correlariua; Inſuper, laudat Ariſt. in tex. 53. Antiquos dicentes fortunam eſſe intellectui humano ignotam, ſi ſic, ergõ de ea minimè ſciẽtia haberi poterit, pariter nec de caſu, cum hæc ſint immaniſeſta; Quare nec de his erit munus naturalis phyloſophi pertractare; Totum tamen oppoſitum eſt ſuſtinendum, nempè de his ſcientiam haberi,

munuſq;

munusq; etiam naturalis phyloſophi eſſe de illis agere, Quò circà argumentis eſt reſpõdendum, & cum primò dicitur, de ente per accidens non haberi ſcientiam, vera eſt talis propoſitio, vt tale eſt ens per accidens, ſicq; de fortuna, & caſu, vt entia ſunt per accidẽs, nequaq; ſcientia poteſt traddi, quæ demum ſi conſiderentur, quatenus annectuntur cauſis per ſe, ſcilicet ipſi Cœlo, & alijs cauſis particularibus, quæ agunt mediante motu, vel lumine, & ex illis producunt aliquid præter intentum, vt monſtrum, ſic de illis habetur ſcientia; Pariter nec effectuum caſualium, vt infinita ſunt habetur ſcientia, nec de fortuna & caſu, cum illis ſint correlatiua, quæ demũ ſi conſiderabuntur vt coniunguntur cauſis per ſe, vt ſcilicet fortuna anectitur intellectui humano, cum fortuna propriè reperiatur in homine, caſus verò vt in homine, & cæteris, quæ ſine intellectu aguat, ſic de illis habetur ſcientia; Si verò Ariſt. laudat antiquos dicentes fortunam, & caſum eſſe nobis ignota, hoc eſt, quatenus ſunt cauſæ per accidens, at quatenus cauſis per ſe applicantur, ſunt nota, de illiſq; habetur ſcientia, ac naturalis,

Controuer. super tex. 48.

An æqualiter contingentiú fortuna sit causa, & quare de jis nó fecit Aristot. mentionem.

VVlt Arist. fortunam esse causam eorũ, quæ extrà semper, & frequenter, & hæc dicit esse illa, quæ fiũt rarò; Dubitat Ioannes Gram. ac Simpl. & hæc dubitatio etiam visa fuit ab Auerroe; Ratio Arist. videtur procedere ab insufficienti enumeratione partium, cum in sua disiunctiua nõ destruat omnes partes, nam inquit, ea quæ fiunt extrà semper, & frequenter, fiunt rarò, & cõcludit, quòd casus, & fortuna sunt in his, quæ fiunt rarò, ratio peccat, cum ea, quæ fiũt extrà semper, & frequenter sint duplicis naturæ, aliqua sunt contingentia rarò, aliqua sunt contingentia æqualiter, concludit tantùm ea quæ fiunt rarò esse à casu, vel fortuna, & nihil de ijs, quæ æqualiter cõtinguntur, ergò diminutus; Simplicius dixit, Arist. sumpsisse ea, quæ æqualiter contingũt sub ijs, quæ rarò fiunt, quià si comparetur æqualiter cõtingens illi, quòd semper fit, vel vt plurimum, dicitur rarò fieri; Ioannes Gram. aliter respondet, & dicit, quòd contingentia æqualiter continentur sub his, quæ raró, ideó illa dimisit, quià est manifestũ, quód quæ æqualiter contingunt sunt à casu, vel fortuna, eo quià sunt ab arbitrio nostro, & quæ sunt ab arbitrio nostro, sunt à casu; Qui sic dicentes

Resp̃sio Simpl.

Solut. Io. Gram.

nediv

videntur errare, ratione ista, Nulla causa actiua habet effectum ad vtrumlibet, sed fortuna & casus sunt causæ actiuæ, ergó non respiciunt effectum contingentem ad vtrumlibet; maior ꝓpositio declaratur ab Auerroe, qà si sic esset, ꝙ causa actiua respiceret effectũ ad vtrũlibet, vel vtrũq; simul ꝓduceret, vel vnã partẽ, si dicas, vnã partẽ, ergó causa actiua tantùm respicit illam partem. Nec vtrumq; poterit producere, eo quià tales effectus sunt contrarij, contraria autem non possunt simul prouenire ab eadem causa, ergó à causa actiua non proueniet effectus ad vtrumlibet; In alio decipitur Ioan. Gram. cum dicat, cõtingentia ad vtrũlibet fieri ab arbitrio nostro, & huiusmodi talia esse à fortuna, hoc est falsum, quià ea, quæ à nobis fiunt, minimè sunt à casu, vel fortuna, quia talia à nobis intẽdũtur; Themistius dixit, quód æqualiter contingentia possunt ad duo comparari, vt ambulatio est effectus æqualiter contingens, ad duo potest comparari, ad potentiam motiuã, sicq; talis effectus est à casu, vel potest comparari ad ipsam voluntatem, meritò cuius talis effectus prouenit, sic talis effectus non est à casu, eó quià vt plurimum euenit, posita .n. voluntate eundi cum potentia motiua, semp vadit, sicq; æqualiter contingentia à casu dicuntur

Confutatio vtriusq; solutionis.

Solutio Themist

cuntur fieri respectu potētiæ motiuæ, & hāc responsionem notat Auerros hic in digressione sua, quam facit in com. 48. Quam responsionem Auerroes ibidem confutat, quia si sic esset, sequetur quōd idem effectus esset æqualiter, ac vt plurimum contingens, cuius oppositum hic, & Primo Priorum colligitur ab Arist. qui distinguit ista contingentia ad inuicem; Auerroes notat quōd Auicēna dixit non esse inconueniens, quōd idem effectus sit æqualiter contingens, ac vt plurimū, immō sicut idem effectus potest esse necessarius, & contingens rarō, pariter immō à fortiori idem effectus potest esse æqualiter contingens, ac vt plurimùm, quia plus distat necessarium à contingenti rarō, quàm contingens plurimùm à cōtingēti æqualiter; Quōd autem idem effectus possit esse necessarius, & contingens ratō declarat exemplo isto, sextus digitus in manu rarō fit, & à casu respectu agentis particularis, vt tamen est multa materia cum semine admista, agens vniuersale, quod est Cœlum necessariō agit in illam materiam, producitq; illum sextum digitū, sicq; talis effectus meritō agentis vniuersalis dicitur necessarius, necessitate tamen conditionali scilicet posita multa materia, at respectu agētis particularis dicitur à casu, & rarō fieri;

Reijcitur prædicta solutio.

Responsio Auic.

Sed

Sed Auerroes adhuc huic obijcit reſponſioni, Et primò, ſi idem effectus ſit contingens æqualiter, & vt plurimùm, ſimiliter ſi idem effectus ſi neceſſariò, & contingenter rarò, ſio. Sequitur igitur, quòd neceſſarium, & cõtingens vt plurimum, ac rarò, & æqualiter non differunt, ſicq; non reperietur aliquid, quod ſit neceſſarium ſimpliciter, ac contingẽs ſimpliciter, Sed quo modo hoc ſequatur nõ declarat Auerroes poteſt tamen ſic declarari, Quod eſt ſimpliciter tale, reſpectu cuiuſcũq; extrinſeci neceſſariò ſemper eſt tale, ſi ergò effectus ex ſui natura eſt neceſſarius, comparatus cuilibet cauſæ, ſemper erit neceſſarius, nec poterit eſſe contingẽs reſpectu alicuius; Et quià Auicẽna concedit æqualiter contingentia eſſe à caſu, vel fortuna, ideò Auerroes adhuc cõtrà ipſum ſic arguit, Nulla cauſa actiua, vt actiua reſpicit effectũ æqualiter contingentem, ſed caſus, & fortuna, ſunt cauſæ actiuæ, ergò non poterunt reſpicere effectum æqualiter contingentem, Illatio eſt manifeſta, maior probanda eſt; Si enim cauſa actiua poſſet effectum æqualiter contingentem producere, ergò talis cauſa ex ſe erit indifferens, poteritq; alterum illorum effectuum producere, quod tamen eſt impoſsibile, quia ſi talis cauſa ex ſe reſpicit effectum

Confuta tio.

æqualiter contingentem, ea ratione, qua potest vnum ꝓducere, poterit etiam producere oppositum, cum indeterminatè se habeat ad vtrumq; , ergò vtrumq; producet, illi autem effectus sunt oppositi, & eadem causa nõ potest insimul opposita producere; vt potentia ambulandi non potest insimul ꝓducere ambulationem, & quietem, ergò neutrum illorũ simul producet; Si autem quis dicat, quòd illa causa non potest effectum producere, nisi determinetur ab aliqua alia causa, Quærit Auerroes, an illa causa, quæ primam determinat sit æqualiter contingens, an vt rarò, an vt in pluribus; Si dicas quòd sit æqualiter cõtingens, sequitur igitur quòd illa causa sit indeterminata, sicq; arguam vt prius, quòd illa causa ratione qua producit vnum, debet etiã producere alterum, quod est impossibile, qã illi effectus sunt oppositi, quare neutrũ illorum producet; Si autẽ dicas, quòd talis causa determinans sit vt in pluribus, vel vt rarò; Sequitur id, quod prius est dictum, quod nulla causa actiua respicit effectum ad vtrumq; quare cõcludit Auerroes, q, effectus æqualiter contingens in natura nõ est respectu potentiæ actiuæ, sed passiuæ, quia Socrates potest recipere ambulationem, & non suscipere, sicq; inquit, quòd casus, & fortuna non re-

periuntur

periuntur in his, quæ æqualiter fiunt, sed in his, quæ rarò, Soluitq; argumentum Auicennæ implicitè, in quo dicebatur, quòd si Aristot. ponat casum & fortunam in his, quæ rarò fiunt, imperfectus esset eius syllogismus, nego inquit Auerroes, quià verum est, quòd id, quod est extrà semper, & frequenter est æqualiter contingens, & rarò contingens, at quatenus hoc extrà semper, & frequenter cõparatur potentiæ actiuæ solùm continet rarò contingens, eo quià vt dictum est, potentia actiua nõ habet æqualiter contingẽs, & ideõ Arist. non destruxit illud membrum de his, quæ æqualiter contingunt, quià talia nõ habent causam actiuam, sed passiuam, fortuna autem, & casus continentur sub causa actiua; Et si quis dicat, dicit Auerroes si effectus æqualiter contingens est à causa passiua, ob hoc tamen debet habere causam actiuam, eõ quià cuilibet potentiæ passiuæ correspõdet potentia actiua; Respondet Auerroes, quòd effectus æqualiter contingens habet causam actiuam, sed quatenus oritur à potentia actiua non habet rationem effectus æqualiter cõtingẽtis, vt verò est effectus naturalis æqualiter contingens oritur à potentia passiua, vt à causa materiali, causa enim materialis est illa, à qua oritur talis contingentia, Sed addit,

quòd hæc causa materialis est duplex, vna quæ est sine cognitione, sicq; causa contingentiæ æqualis est ipsamet materia, quæ per se est indifferens ad duo opposita, Alia est materia, quæ est cum cognitione, & hæc est anima concupiscibilis, & per animam cõcupiscibilem, crediderim nil aliud intelligere, quàm ipsam voluntatem, cum voluntas ipsa sit indifferens ad actum volendi, & nolendi, potest enim velle, & non velle, & hæc contingentia, quæ est in voluntate propriè dicitur libertas, sicq; contingentia æqualis oritur tùm ex materia sine cognitione, tùm ex voluntate; Addit Auerroes, quòd contingentia æqualis reperitur in potentijs passiuis, quarum præparatio est æqualis ad duo opposita, quæ vel sunt contradictoria, vt moueri, & non moueri, vel sunt contraria, vt calefieri, & frigefieri, vel sunt disperata, vt frigidum, & humidum; Et hæc, quæ hic ab Auerroe dicuntur, sunt etiam prò parte dicta ab Arist. quòd enim materia prima sit causa eorum, quæ non fiunt in pluribus, habetur ab Arist 3. Met. vbi scriptum reliquit, materiam esse causam essendi, & non essendi; Quòd verò contingentia æqualis à voluntate oriatur, est etiam Arist. authoritas 9. Met. qui dixit, potentiam rationalem esse ad oppositas,

ad

ad vnum verò determinari ex electione; Quòd autem contingentia æqualis non possit prouenire ex principio actiuo, probat Auerroes, quià si sic esset, tale agẽs esset otiosum, eò quià tale agens nunq̃ posset producere illos effectus contrarios nec etiam in diuerso tempore; Si autem quis obijciat, sicut ex parte agentis non reperitur potentia ad contingens æquale, eó quià, vt dictum est, talis potentia esset otiosa, pariter ex parte materiæ talis contingentia non dabitur, quià similiter esset otiosa illa potentia materiæ, cum enim sit ad duo opposita, nunq̃ reduceiur ad actum, vel si sic, duo opposita simul susciperet, quod est absurdum; Respondet Auerroes, quòd potentia ex parte materiæ non frustratur, sed benè respectu agentis, & ratio huius diuersitatis est hæc, quód talis potentia materiæ reducitur ad actum ab agente in diuersis temporibus, & à diuersis etiam agentibus, at ex parte agentis frustratur, eò quià si agens esset in potentia ad effectus æqualiter contingentes, tunc deberet illos simul producere, vel opus esset, quód frustraretur, cum nõ sit maior ratio de vno, quàm de alio; Si iterum quis obijciat, cuilibet potentiæ passiuæ debet correspondere aliqua potentia

tentia actiua iuxtà Arist. præcepta Primo Cœli, si igitur datur potentia passiua ad duo opposita æqualiter, ergò dabitur etiam potẽtia actiua, quæ duo opposita respiciet; Negat Auerroes similitudinem, quià sat est, quòd potentiæ passiuæ correspondeat actiua, non est autem necesse quòd illa potentia actiua sit vna, sed sunt duæ; Deindè epilogat Auerroes, duoq; principaliter colligit, primum est hoc, quòd iam est manifestum, quòd contingens æquale inuenitur in passione, non autẽ in actione, & ex hoc infert, Arist. non esse diminutum in sua ratione, quià valet, fortuna, & casus non sunt in his, quæ semper fiunt, & frequenter, ergò sunt in his, quæ fiunt rarò; Cum verò dicebatur, ea quæ sunt extrà semper, & frequenter, sunt duplicis naturæ, vel enim sunt æqualiter, vel rarò, cur Arist. non erit loquutus de his, quæ æqualiter cõtingũt; Respondet Auerroes, quòd ei nõ fuit necessarium, quià ipse Arist. comparabat effectum ad suam causam actiuam, at cũ effectus æqualiter contingens careat causa actiua, non fuit ergò Arist. necessarium facere mentionem de his, quæ æqualiter contingunt; Secundum quod colligit est hoc, quòd Aristot. non fecit mentionẽ de opinione, quæ tenebat omnia necessario fieri, quæ fuit Stoicorum, quæ

opinio

opinio aufert casum, & fortunam, quia hæc opinio confutata fuit in Libris Met. ideò nõ fuit necesse eam hic refellere; Et hæc sũt, quæ potui bræuiter colligere ex digressione Auerrois.

Controuer. super tex. 52.

COlligit Arist. diffinitionem casus, & fortunæ, & primò inquit casum, & fortunam esse causas secundum accidens; Oppositum ab ipso colligitur ex his, quæ su prà tex. 32. habita sunt, ibi dixit, causam secundum accidens esse causam; quæ accidit causæ per se, at casus non accidit naturæ, nec fortuna accidit agenti libero, cum fortuna nil sit aliud quàm ipsum met agens liberum respectu effectus producti non intenti, casus verò ipsamet natura, respectu pariter effectus producti, & non intenti, igitur casus, & fortuna non erunt causæ secundum accidens; Dicit secundò, quòd casus, & fortuna sunt in his, quæ alicuius gratia fiunt; Cuius oppositum videtur dicere in fine text. 54. dum dicit, quòd casus est effectus præter intentum, quomodo igitur casus est in his, quæ alicuius gratia fiunt cum sit præter intentum; Vltimò dicit, fortunam esse cum electione, casũ verò sine, quàm electionem inquit esse cum intellectu, & ideó circà idem versari intellectum,

An casus & fortuna sint causæ per accidens.

An casus & fortuna sint in his, quæ alicuius gratia fiunt.

An electio sit operatio intellectus, vel volũtatis.

ctum, & fortunam vult: Falsum assumit, quòd electio sit operatio intellectus, cum sit ipsius voluntatis, voluntas enim est illa, quæ eligit, & vult partem determinatam, non autem intellectus; Quo ad primum est notandum, quòd causa per accidens est duplex, vna est, quæ accidit causæ per se, quomodo fortuna, & casus non sunt causæ per accidens, alia est causa per accidens respectu effectus intenti, cum scilicet ad effectum intentum sequitur alius effectus rarò eueniens, quomodo fortuna, & casus dicuntur ab Arist. causæ per accidens; Quo ad secundum Inquit Simplicius aliquid posse fieri alicuius gratia dupliciter, vel actu, vel potentia, In his quæ fiunt actu alicuius gratia, non est casus, & fortuna, effectuum verò, qui sunt alicuius gratia potentia, ideſt, qui possunt fieri alicuius gratia, eorum est casus, & fortuna; Quod dictum in agente voluntario potest esse verum, at in agente naturali habet difficultatem, lapis n. descendens, cum frangit caput, est à casu, & tamen talis effectus numquàm potest fieri alicuius gratia, quia lapis numquàm potest intendere talem effectum; Similiter monstra fiunt à natura, quæ tamen illa numquàm intēdit, cum sint eius peccata; Quare melius est dicendum, quòd fortuna & casus propriè

non

non sunt in his, quæ fiunt alicuius gratia, sed quatenus consequuntur ea, quæ fiunt alicuius gratia; Quo ad vltimum dico, quod re vera electio est ipsius voluntatis, at secundū Arist. intellectus non differt re à voluntate, sed ratione tantum, intellectus enim sic dicitur quatenus dictat, voluntas verò quatenus eligit.

Controuer. super tex. 70.

An forma, & finis sint idem re.

FOrmam cum fine esse idem re inquit Arist. in fine tex. 70. dicit enim (Ipsum qd est, & id cuius gratia vna est,) Cui dicto obstat ratio, nam finis cuiuslibet rei est ipsa operatio, vt exempli gratia, finis ignis est calefacere, quemadmodum & finis hominis est ipsum intelligere, at operatio cum forma minimè coincidit, igitur nec finis cum forma coincidet; Dicendum est cum Auerroe, ac Diuo Thoma, qui accipientes à Simplicio hic dicunt, quòd duplex est finis, alius rei genitæ, alius generationis, quam distinctionem Arist. significauit 2. Lib. de Anima, sub alijs tamen verbis, finis est duplex, finis cuius, & finis quo, finis cuius, & finis generationis sunt idem, finis verò quo est idem cum fine rei genitæ, argumentum adductum concludit de fine rei genitæ, cum operatio ipsa sit illius finis, at dictum Arist.

habet

habet veritatem de fine cuius, seu de fine generationis, qui est idem cum ipsa forma rei genitæ, & attendendum est, quòd Arist. non dicit, omnem finem esse idem cum forma, sed ait, quòd plerumq; finis & forma sunt idem, quod dictum de fine generationis semper intelligatur.

Controuer. super tex. 71.

An immobilia considerẽtur à Physopho nãli.

HAnc propositionẽ satis famosam scribit Arist. in hoc tex. 71. (Quæcumq; mota mouent Physicæ sunt cõsiderationis, quæcumq; aũt non, non amplius Physicæ sunt.) Ex qua colligitur, immobilia non considerari à physopho naturali; Quod si est verum, sequetur, quòd naturalis physophi de materia speculari non erit munus, cũ ipsa sit ex sui natura immobilis; Pariter nec de forma poterit agere, ob eãdem rationem; Pariter nec de loco, cum similiter sit penitus immobilis; Idem quoq; erit consimili ratione affirmandum de primo motore, at de loco in Quarto huius, de primo verò motore in Octauo huius pertractat; Quæ omnia cessãt, glosando prædictam propositionem, sicut eam glosaui in Lec. xj. super Prohæmio Primi huius, vbi dixi, Immobilia .i. ea, quæ non mouentur, nec motui subijciũtur, nec sunt principia motus, non esse physicæ considerationis,

nis, licet autem materia ex sui natura sit immobilis, subijcitur tamen motui, pariter, & forma cũ sit eius terminus, at locus omnibus rebus naturalibus, quæ mouentur est communis, primus verò motor est motus principiũ.

Controuer. super tex. 78.

An Arist. in tex. 78 rectè probet naturam agere propter finem.

PRobat Arist. naturam agere propter finem, sicq; videtur rationem suam errigere; Vnumquodq; agitur, sicut aptum est agi, sed effectus naturæ agitur alicuius gratia, igitur effectus naturæ aptus est sic agi finem. alicuius gratia, maior, & minor propositio sunt in textu; At in vtraq; videtur Arist. deficere, in maiori quidem, quià lapis sursum fertur à proijciente, qui tamen non est aptus moueri; In minori etiam, quià sic arguendo videtur petere principium, ideſt assumere id quòd ab ipso est probandum; Prima instãtia tollitur, addendo illi propositioni hanc particulam (naturaliter) sicut addit D. Thomas, sicq; lapis non sursum fertur naturaliter; Quo ad secundam, est notandum, Arist. assumere illam minorem, vt concessam ab antiqs, qui dicebant, naturam aliquando agere propter melius.

An Ars sit nobilior ipsa natura, vel ècõtra natura ipsa Arte.

Controu. super tex. 79.

HAbet hæc verba Arist. in principio istius textus, (& omninò ars alia quidem perfi-

perficit, quæ natura non potest efficere, alia verò imitatur .s. naturam;) In quibus verbis videtur aliqualis implicatio, si enim datur Ars, quæ perficit ea, quæ natura non potest efficere, videtur igitur, quòd talis ars sit nobilior natura, cuius oppositum videtur colligi ex alijs verbis, in quibus habet dari artẽ aliam, quæ imitatur naturam, si sic, natura igitur erit nobilior; Controuersia hæc quærit difficultatem istam, an natura sit nobilior arte, vel ècontrà, & cui homo magis teneatur, an ipsi naturæ, vel arti; Prò cuius dilucidatione est notandum, quòd nobilitas naturæ, & artis à duobus potest colligi, quemadmodum natura, & ars dupliciter possunt considerari, vno modo penès finem aquisitum ab vtraq; & à natura, & ab arte, quo modo si natura & ars considerentur, profectò ars est nobilior ipsa natura, homoq; magis arti, quàm naturæ tenetur, & hoc modo. Aristot. est loquutus in 2. Lib. Ethic. dum dixit, quòd ex his, quæ sunt à natura, homo non est laudandus, nec vituperandus, vt exempli gratia, si quis sit diligens â natura, non est laudãdus, quemadmodum nec est vituperandus si sit iners à natura; Alio modo natura, & ars possunt considerari .s. in ratione principij, ac fundamenti, & quià natura est principium, ac

fundamentum vnius cuiusq; cum citrà naturam nihil agere valeamus, hoc modo natura est nobilior arte, homoq; magis naturæ, quàm arti tenetur, & notandum, quòd non loquimur tunc de arte, quæ naturam imitatur, quià vnicuiq; patet, quòd talis ars est ignobilior, sed loquimur de arte, quæ perficit aliquod opus, sicuti est ars domificandi, quæ facit domum, quam natura minimè potest efficere, tunćq; dicimus naturam, vt principium est talis operationis, esse nobiliorem ipsa arte, at respectu finis aquisiti ab arte, & à natura, ars est nobilior ipsa natura; Nec hoc alicui videatur mirum, cum non sit inconueniẽs vnũ, & idem diuersimodè consideratum esse nobilius, & ignobilius, vt exempli gratia, ignis quatenus agit in hominem, sic est eo nobilior, at homo si consideretur, vt est animatus, sic est igne nobilior, cum omne animatum sit nobilius carente anima, quo etiam modo muscha secundum Aristot. nobilior est corpore Cœlesti, secluſa intelligentia ab eo, cum muscha sit anima prædita, qua Cœlum caret, si consideretur, vt ab eo secluſa est intelligentia.

An semẽ sit prius ipso animali, vel animal ipso semine

Controuer. super tex. 83.

IN primis istius tex. verbis scribit Aristot. (Amplius necesse est semen fieri primum,

sed

sed non statim animalia;) Ex quibus colligitur, semen esse prius ipso animali, animal verò posterius; At qui fieri hoc potest, cum semen ab animali decidatur, igitur semen est animali posterius: Controuersia hæc quærit difficultatem istam, an semẽ sit prius animali, vt an ouum sit prius ipsa gallina, vel ècõtrà, an gallina sit prior ouo, & prõ vtraq; parte est ratio satis apparens, cum enim ex semine oriatur animal, vt ex ouo gallina, sic semẽ videtur esse prius, at cum semen decidatur ab animali, vt ouum à gallina, sic animal videtur ipso semine prius: Vt tollatur hæc difficultas, est notandũ, quod duplex est prioritas, alia temporis, alia naturæ, si sermo sit de prioritate temporis, vnum non est prius alio, animal enim non est prius semine, nec è contrà, semen est prius animali, gallinaq; non est prior ouo, nec ouum ipsa gallina, quià secundum Arist. in omni tempore fuit ouum, & gallina, semenq; & animal; at si loquamur de prioritate naturæ, asserendum est, animal esse prius ipso semine, gallinamq; esse priorẽ ipso ouo, ratio est, quià semper id, quod est dignius præcedit, & est prius.

An ligna sint leuissima, & qũo.

Controuer. super text. 87.

IN vltimis istius contex. verbis, asserit Aristot. ligna esse leuissima; Cuius oppositũ

suprà dixisse videtur in vltimis verbis tex. 8. vbi dixit, ligna esse terrea, seù materiam lignorum esse terram, si sic, quomodo igitur vocat ea leuissima? Profectò est asserendum ligna ex sui natura propria esse terrea, cuius signum est satis euidens, quòd ligna, quæ carent porrositatibus in aqua submergi, sicq; loco nunc citato dicendum est, Arist. considerasse ligna, quæ demùm si considerentur ratione porrositatum, quæ in eis sunt, sic stat aerem in ipsis dominari, & ideò ligna, quæ habent huiusmodi porros in aqua supernatant; at si hic ea vocat leuissima, hoc dictũ esse verum erit inrelligendum, considerãdo ligna per comparationem ad lapides, de quibus in textu facit mentionem, dicitquè, antiquos dixisse, domum habere quasdam partes infernas, & quasdam supernas, quià constat ex partibus grauioribus, quæ locum inferiorem petunt, sicuti sunt lapides, constat etiam ex partibus leuioribus, quæ in loco superiori esse appetunt, qualia sunt ligna, sicq; per comparationem ad lapides, patet iptum dicere ligna esse leuissima, at absolutè, seù secundum eorum propriã naturam, minimè.

Controuer. super tex. 92.

IN isto textu, qui est vltimus affirmat Aristot. In diffinitione poni quasdam partes vt materia; Cuius oppositum pluries est ab ipso Arist. dictum; Quomodo huic controuersiæ sit respondendum, satis est declaratum suprà in tex. 19. ideò ibi vide.

Finis Controu. super II. Phys.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM

SVPER TERTIVM LIB. PHYS. ARIST.

Io: Ludovici Chartarii.

Controuer. super tex. j.

IESVS illuminatio mea sit.

Ne motum illum qui naturæ displicet, qui est transire ab vno extremo ad aliud sinè medio, sectaremur, proponit nobis hæc verba Aristot. in tex. (Quoniâ autem natura quidem est principium motus, &c.) Quæ adeò clarè intentionem suam ostendunt, ac pariter continuationem dicendorum, vt nulla egeant continuatione cum præcedentibus, nec cum subsequentibus; Intentio sua est agere de motu, causa est, quia natura est principium motus, & mutationis, scientia autem nobis est de natura, ergó non est ignorandus motus, assignat causam; quia si ignoraretur motus, ignoraretur natura, si quis igitur naturam cognoscere auet, motũ cognoscere sibi necesse est; Et sicut motum cognoscit gratia naturæ, sic

An tertius Lib. Phys. sit præponendus, vel postponendus ipsi secũdo.

quoq; si motum cognoscere voluerit, & aliqua sint quę ita se habeant ad motum, & motus ipse ad naturam se habet, etiam vt illa cognoscat sibi opus erit, ideò quæ sint ea, quæ consequenter se habent ad motum declarat, & dicit, Quòd cum motus sit de genere cõtinuorum, & infinitum primum appareat in continuo sicut patet illis, qui cõtinuum diffiniunt, qui sepè numero in eius diffinitione vtuntur ratione infiniti, cum continuum sit illud quod est diuisibile in infinitum, igitur & de infinito erit considerandum; Hæc est Aristot. sententia in isto tex. primo, quam sic brẹuiter volui in primis proponere, qa multæ in eius dictis occurunt controuersiæ; In primis, circà eius intentionem est difficultas, si enim agendum est de motu in gratiam naturæ, quia motus ponitur in illius diffintiione, ergo de motu prius tractandum erat, cum omnis diffinitio detur per notiora, sicq; tertius iste liber in quo agitur de motu erat prẹmittendus ipsi secundo; Est notandum, quòd duplex est ordo in inuestigandis diffinitionibus, vnus compositiuus, alius resolutiuus, quando vtimur ordine compositiuo in diffiniendo tunc partes diffinitionis sunt primò manifestandæ, posteà tota diffinitio cõstituitur ex omnibus illis partibus simul sumptis,

dub.m

at cum vtimur ordine resolutiuo, prius assignatur tota diffinitio, postea vnaquęquę particula in diffinitione posita declaratur, quo ordine resolutiuo in præsenti vtitur Aristot. ideò prius diffiniuit ipsam naturã in 2. Lib. postea agit de motu in hoc Tertio, tamquàm de parte posita in diffinitione naturæ; at cõsimilem habes controuersiam in Lib. Conciliat. Controuer. super Primum Post. in solut. Controuer. 2. super tex. 9. ideò, &c. Ex quibus inferas, quòd iste Tertius Lib. minimè est inscribendus de Motu, cuius ratio est, quia hic non agit de Motu secundum se, sed in gratiã naturæ, & quatenus ponitur in eius diffinitione; Sed adhuc alicui videbitur Aristot. sibi contrarius hic, & in 2. Phy. tex. 3. vbi dixit, Naturam esse principium motus, & quietis, hic verò dicit, Quoniam natura ẽ principium motus, & mutationis, quam mutationem ibi tacuit, hic verò tacet quietem, de qua ibi; Nisi sit quòd hic omittit quietẽ, quia de ea non intendit pertractare, sed tantummodo de motu, cum eo cognito, cognoscatur etiam quies, per regulam illam, cognito vno oppositorum, cognoscitur & alterũ, & per motum ibi intellexit ipsam mutationem, cum motum ibi, & in subsequentibus, vsq; ad Quintum Lib. acceperit in communi.

An tertius Lib. Phys. sit inscribẽdus de Motu.

Quare Arist. nõ dixerit naturam esse principium quietis, sicuti dixit in 2. huius.

vt idem est quòd mutatio, ibi verò in Quinto loquutus sit de motu propriè, distinguat q; ipsum à mutatione, vt ibi constat; Sed qũo dicit Arist. ignorato motu, ignorari naturã, cum suprà in 2. huius tex. 5. dixerit, esse ridiculum tentare demonstrare naturam; Cum etiam ignorato posteriori, non ignoretur id quod est prius, natura est prior, motus verò posterior, ergo ignorato motu, non ignorabitur natura; Cum etiam ignorato effectu, nõ ignoretur causa, motusq; sit naturæ effectus, natura verò sit illius causa; Omissis varijs solutionibus, brævitèr dico, quòd natura potest considerari dupliciter, vno modo in se, alio modo respectu nostri, primo modo considerata natura scilicet in se, & meritò sui, est clara, ac manifesta sine motu, quia est prior, ac eius causa, quæ si cõsideretur respectu nostri, quia sic includit motum, ideó à nobis nõ potest sciri absq; motu; Vlterius dixit Arist. videtur motus esse continuorum, idest continuus est, quia vt dixit Auerroes Primo de Ani. Com. 19. verbum hoc (videtur) interdum capitur, vt assertiuè dictum, ac vt dicit certitudinem, quia Arist. vtitur talibus verbis loco certitudinis, in quibus certitudo est famosa, at si ita est, quòd motus sit cõtinuus, igitur motus erit in prædicamento quantitatis,

An ignorato motu ignoretur natura.

dub.m

tis, cum quicquid est in spetie, illud itidem sit in genere, omneq; cõtinuum sit quantitas, cuius oppositum in Prædica. ibi enim motũ in aliquo non reposuit prædicamento; Non sit autem absurdum idem diuersimodè considerarum sub diuersis statuere prædicamẽtis, sicut est in præsenti de motu, qui si consideretur vt est in ipso mobili, quod continuũ est, sic collocabitur motus in genere quantitatis, qui si considerabitur vt passio in continuo recepta, tunc erit sub prædicamento passionis, qui adhuc si considerabitur, vt alterius est. si rei motę, sic erit sub prædicamento ad aliquid; qui insuper si cõsiderabitur absolutè, seũ in sui natura, sic sub nullo erit prædicamento, sed ab omnibus erit distinctus, sicq; ipsum considerauit in Prædicamentis Arist. Addidit, (Infinitum autem apparet primum in continuo:) per quæ verba dedit rationem, quare de infinito sit agendũ; Quæ eius ratio si valet, à simili probabo dicet ille, esse agendum etiam de continuo cum motus sit continuus, sicut ipse iam dixit; Profectò hoc non potest negari, at de ipso hic nõ proposuit, quia cognitio continui exposcit opus distinctum, ideò ipsum reseruat ad Sextum Lib. de quo ibi diusè tractabit, Si autem dicit infinitum apparere primum in continuo,

Motus quo sit in pluribus gñibus.

Cur Aristot. non proponat esse agendũ de cõtinuò, sicut proposuit de infinito.

Quare Arist. dixerit, infinitū apparere primū in cōtinuo.

hoc alicui non sit mirum, quia infinitum etiā est in quanto discreto, sed primò, & principaliter in quanto continuo, & in quocumq; reperiatur, semper intelligatur in illis esse in potentia, & non actu; Subiungit Arist. Quapropter & diffinientibus continuū sæpè numero accidit vti ratione infiniti, Nō sit molestum alicui quòd Arist. ita loquatur, & quod vtatur illa particula (sæpè numero) qa vult significare ipsum continuum posse etiam diffiniri absq; infinito, sicuti fecit in Prædicamentis, ac in Quinto Lib. Met. Prò quibus vide Solut. primæ Controuer. super tex. 17. Primi huius.

Cur Aristot. dixérit, Diffinientibus continuū sæpè numero accidit vti ratione infiniti.

Controuer. super tex. 3.

An ista diuisio Entium, quædam sunt potētia, quædam vero actu, & potentia, sit necessaria.

DIuidit Arist. ipsa entia, dicitq; Entium quædam sunt actu tantum, dant exemplum Græci Expositores hoc, vt Deus, & intelligētiæ quædam verò sunt actu, & potentia, exemplificant pariter Græci, vt corpora generabilia, & corruptibilia; Vbi per potentiam attendendum est Arist. intelligere potentiam ad non esse, non autem potentiam, qua dicimus, quòd materia habet potētiam, vt diuersas suscipiat formas, & quòd occulus habet potentiam ad videndum; Sed difficultas est

circà

circà necessitatem istius diuisionis, dicet. n. aliquis, ostende mihi eius necessitatem; Necessitas istius diuisionis secundum Græcos ẽ talis, quòd diuisio est trimembris, nam entia vel actu sunt tantum, aut potẽtia tantum, aut & actu, & potentia, at entia potentia tantum, minimè possunt esse, quia si aliquod esset ens, quòd tantummodo esset potentia, illud esset materia prima, sed illa non reperitur, secluſa forma, ergo non datur ens potẽtia tãtum; remanent igitur alia duo tantum diuisionis membra; Sed dicet tunc quis, qd erit dicendum de corpore cœlesti, sub quo diuisionis membro erit? Ioan. Gra. dixit corpus cœleſte esse compositum ex materia, & forma & quatenus habet materiam, sic est in potentia ad non esse, & ita sub secundo diuisionis membro erit, Simplicius dixit, corpus cœleſte quoquomodo esse sub primo membro, & quoquomodo sub secundo, si enim consideretur tantum substãtia absoluta corporis cœlestis, sic non habet potentiam ad corruptionem, sicq; est sub primo membro, si autẽ cõsideretur operatio, quæ fluit ab eo, ita est sub secundo membro, cum corpus cœleſte corrũpatur ratione motus, vnde 8. huius com. 15. dicebat Auerroes, diuinitus à natura esse factum, quæ iunxit absolutè æterna, & absolu-

Entia & sint potẽtia tantũ non dantur.

Cœlum quo habet potẽtiam ad nõ esse.

tè

tè corruptibilia per instrumentũ partim æternum, & partim nouum, per Cœlum .s. quod secundum substantiam consideratum ẽ æternum, quod si consideretur secundum operationem, mortale est, vndè Cœlum est mediũ quoddam inter absolutè æterna, & absolutè caduca, Indè est quòd ab agente ęterno non prouenit effectus nouus immediatè, sed mediatè, mediante scilicet cœlo quod est instrumentum partim æternum, & partim nouum modo dicto; Colligatur etiam quòd hic textus fauet opinioni Auerrois in Cap. de Spetie super Porphyrium, qui voluit quòd ens diuisum in decem prædicamenta, est ens generabile, & corruptibile, dico inquàm hunc textum fauere opinioni Auerrois, quia Arist, in hoc textu subdiuidit entia in actu, & potentia, quæ sunt entia generabilia, & corruptibilia in decem prædicamenta, sequitur ergõ quòd hoc ens caducum nullam habeat communitatem cum ente diuino, nec ꝙ prædicetur hoc ens de diuinis, nec pariter substantia, quæ de Cœlo, & de Deo prædicatur, sit eiusdem rationis cum substantia quæ caduca est.

Cœlum quo æternũ, & corruptibile dicatur esse.

Ens diuisũ ab Arist. in decem prædicamenta, ẽ ens generabile, & corruptibile.

Contro.

Controuer. 1. super tex. 4.

An motus sit in pluribus prædicamentis.

DIcit Arist. motũ esse in pluribus prædicamentis; At in tex. 3, dixit motum esse in genere relationis, si sic, ergo motus habebit vnum genus, vnumq; prædicamentum, sicq; erit vniuocus; Respondet Alexander, quòd non sufficit, vt aliquid dicatur res vniuoca, vt sit tantum in vno genere, quia exempli gratia, Alexandri in numero plurali vniuocantur in animali, & in homine, qui tamen inter se æquiuocantur; Sed do exemplum clarius, Æquale est in genere quantitatis, & tamen æquale non est vniuocum quantitati continuæ, & quãtitati discretæ, cum aliud sit æquale quod est in quantitate continua ab æquali quod est in quantitate discreta, ergó non repugnat quòd aliqd sit in vno prædicamento, & tamen illud sit æquiuocum, sicq; est motus, cum in quantitate, in qualitate, & in alijs sit, ad aliquid tamen non est genus vniuocum motuum particularium; & hoc manifestat per quædam posita in prædicamentis, ad hoc enim vt aliqua vox sit vniuoca, oportet vt illa vox significet formam, secundum quam illa vox nominatur, nam dicimus Socrates est homo, Plato est homo, & sic de alijs, quia homo animam significat, secundum quam isti inferiores

vni-

vniuocantur, at quia isti motus non significãt vnam formam, secundum quam vniuocẽtur, ideò motus non est vniuocus; Sed adhuc Simpl. facit contra Arist. duo argumẽta, quæ omittit insoluta; Dicit Arist. quòd motus nõ est vniuocus, quia est in pluribus prędicamẽtis, quæ prædicamenta non habent commune genus vniuocum, ergó motus non erit cõmune genus vniuocũ ad motus repertos in prædicamentis; Formo inquit Simpl. eadem ratione argumentum hoc, Relatio in pluribus reperitur prædicamentis, nam est in substantia, in quantitate, & qualitate, & in alijs, & tamen relatio est genus commune vniuocum, ergo similiter videtur quòd motus licet sit in pluribus prædicamẽtis, quòd debeat esse genus vnum distinctum, & vniuocum; Insuper dicit Simpl. non valet dicere, hoc est in aliquo genere, ergò est vniuocum, quia æquale est in genere quantitatis, & tamen æquale q̃ est in quantitate continua, & ęquale quod est in discreta non est vniuocum, ergò non valet dicere, hoc est in aliquo genere, ergo est vniuocũ, quemadmodũ nec valet dicere, hoc est in pluribus generibus, ergò non est genus commune vniuocum; Sicut dixi, Simpl. reliquit hæc argumenta insoluta, Ego autem prò Aristot. respondeꝛẽ, quòd magni refert

dicere

dicere, aliquid esse in pluribus prædicamẽtis, & aliud esse dicere, esse plura prædicamenta; Cum Arist. dixit, quòd motus non est præter res motas, intelligit quòd motus qui est in qualitate, idem est quòd qualitas, motus similiter qui est in quantitate, idem est quód quantitas, & sic de alijs; At cum dicis quòd relatio est in substantia, ob hoc non intelligo relationem esse idem quòd substantia, nec pariter cum dicis relationem esse in qualitate, intelligo relationem esse idẽ quòd qualitas, minimè hoc est inferendum, cum Arist. expresè velit, motum in quantitate, quantitatem esse, non tamen relationem in q̃titate esse quantitatem, benè vult relationem illam fundari in quantitate, si enim relatio quæ est in quantitate idem esset quòd quantitas in qua fundatur, cum relatio in varijs reperiatur generibus, non amplius relatio esset genus commune; Ad secundum in quo dicebatur, aliquid vniuocari in genere communi, vt æquale, tamen illud non esse vniuocum, cum æquale non sit vniuocum ad quantitatem continuam, & discretam; Argumentum hoc petit vnam magnam difficultatem adductã ab Auerroe in Primo Post. Com. 37. & 73. quã eãdem repetit Primo Met. Com. 46. An quãtitas sit vnũ genus cõmune.

Soluendo

An quantitas sit vnum genus commune.

Soluendo dicit, quòd non, quia si quantitas esset vnum commune genus, daretur facultas, & scientia, quę esset superior ad Arithmeticam, & Geometriam, quę Arithmetica cõsiderat quantitatem discretam, Geometria verò continuam, quare si duæ hæ quantitates haberent aliquid superius, ergò dabitur dicit Auerroes scientia, quæ esset ipsi Arithmeticæ, ac ipsi Geometriæ superior, at talis non datur, ergò &c. Et si aliquis dixerit, ꝙ Metaphysica est hęc scientia illis superior; Dico quòd hoc esset verum, si Metaphysica consideraret de Quantitate, vt est abstracta, intelligo abstracta, vt numeri sunt, ita quòd quando dicitur ab Auerroe, daretur vna scientia superior Arithmeticæ, ac Geometriæ, ipse intelligit, quòd daretur vna scientia superior .s. ex Mathematicis, quæ esset cõmunis ipsi Arithmeticæ, ac ipsi Geometriæ, quia quantitas quę esset superior quantitati cõtinuæ, ac discretæ, esset forma, quę haberet esse in materia, consideraretur tamen sine materia quæ tamen nec ab Arithmetica consideratur, nec à Geometria, ergo ab alia superiori scięntia, sicq; dabitur talis scientia superior illis; Sicq; respondendo nunc argumento Simplicij, negarem ipsi quòd qualitas sit vnum genus commune; O in prædiçamentis Aristot.

ipsam

ipsam ponit, Dicam quòd hoc nihil interest, quia eam ponit secundum famositatem, vt dicit Auerroes, multa autẽ ponuntur in prædicamento, quę vera non sunt.

Controu. 2. super tex. 4.

ADhuc dicet ille, mihi videtur falsum dictum Aristot. dicentis, motum esse in pluribus prædicamentis, & idcircò non esse vniuocum, Cum oppositum ab ipsomet ex Lib. Prædica: colligatur; vbi reponit motum sub prædicamento passionis, quare alter horum videtur dicendum, aut quòd prędicamentum passionis non sit prædicamentum, aut quód Arist. sit diminutus; Auerroes fuit author istius difficultatis, qui eam soluendo dicit, quòd Motus dupliciter consideratur, vno modo prò fluxu, seù prò via formę, alio modo prò forma fluente, si consideretur motus prò fluxu formæ, seù prò via quod idem est, dicit quòd motus est positus in prædicamento passionis; Qui demum si consideretur prò forma fluente, sic ponitur sub quatuor prædicamentis, sicq; in eius dictis nulla est difficultas; Sed contrà hãc solutionem dubitant Expositores dubitationibus pulcherimis, vtinam autem benè soluerent, & nituntur probare, quòd motus, & forma realiter distinguuntur, non autem vt

An motus sit vniuocus.

Solutio Auer.

Motus dupliciter consideratur, pro fluxu formę, & prò forma fluente.

dicit

dicit Auerroes secundum magis, & minus, & primo arguunt sic, Motus est, & non fit, forma autem fit, ergo forma non est motus, si .n. motus fieret, tunc non esset, sicq; esset, & nõ esset; Amplius, & secundo, Quotiescũq; sunt duo, quorum vnũ recedit, alterum verò permanet, illa realiter distinguuntur, at motus prò forma fluẽte recedit, forma autem manet, ergo non est idem motus cum forma, maior propositio est nota, quia si essent idem, tunc idem esset, & non esset, minor etiam est nota .f. quòd forma maneat, quia habitibus præsentibus in materia cessat motus; tum quia motus est materia per quam forma aquiritur, at per formam forma nõ aquiritur, motus igitur non est forma; Adde tertio, quòd cũ motus sit via, forma autem sit terminus, si via, & terminus essent idem, cum quis esset in via, esset in termino, & ècontrà, cum esset in termino, esset in via; Insuper & quarto si motus prò forma fluente esset idem quod forma, sequeretur quòd tepiditas esset motus, quia ibi est calor, sed diminutus, qui est in potentia ad vlteriorem caliditatem; Prætereà, motus habet partem post partem, ita quód motus non habet partes simul collectas, quas partes habet forma simul, ergo forma, & motus

tus non erunt idem; quòd motus nõ habeat partes simul collectas, patet, quia vna recedit, alia sequitur, & fit in tempore; Accedit etiam, quòd omnis motus cum sit velox, vel tardus, loquendo de motibus generabilibus, & corruptibilibus, sed adde etiam cœlestibus, quatenus motus sunt, forma autem nõ est velox, nec tarda, ergo motus, & forma nõ erunt idem; Vltimõ, vult Aristot. in Quinto huius quòd ad generationem non sit generatio, nec ad motum sit motus, alioquin esset processus in infinitum, at modo si forma esset motus, motus tunc esset ad motum, cũ motus sit ad formam, & forma per se sit motus, sicq; Aristoteles sua destrueret præcepta; Vt soluantur hæc argumenta, Animaduertendum est primum membrum diuisionis de motu ab Auerroe datæ, quòd fuit, quòd motus accipiatur prõ fluxu formæ, quo modo erat sub prædicamento passionis, dicebat Auerroes, & dico quòd motus sic acceptus prõ via, seu prõ fluxu formæ, duplicíter considerari, vno modo prõ materiali, alio modo pró formali, Et si quis dicat, tibi fingis hanc distinctionem; Dico quód non, immó si volumus sedare contradictionẽ in Auerroe hic, at in 5. huius, hic dicit Auer.

Solutio argumẽtorũ contra Auer.

Motus ꝓ fluxu formæ, dupliciter accipit.

motũ

motum esse in prædicmento passionis, atin Quinto huius Com. 9. dixit, quòd via ad calorem est calor, oportet dicere quód ibi intelligat viam prò materiali, hic verò prò qualitate connotante successionem in tempore, adeò quód vellit, quòd motus pró materiali est qui fluit, motus verò prò formali, sit qualitas connotans successionem, & transmutationem factam in tempore; Et tunc ad argumenta respõdeo, & ad primum, in quo dicebatur, Id quod est non fit, &c. Dico quòd talis propositio fortasse est falsa in successiuis, nam successiua tunc sunt, cum fiunt, cum differentia sit inter res successiuas, & permanentes, quę cum fiunt, non sunt, at successiuæ res tunc sunt, cum fiunt, habentq́, esse in fieri, non autem in facto esse; Sed hoc mitto, & vlterius dico, quòd si accipiatur motus pró transmutatione facta in tempore simul etiam cum forma, realiter distinguitur à termino, non dico ego formaliter, vt quidam dicunt, quia impossibile esset soluere argumentum, dicendo quòd differt formaliter, dico igitur quòd differt realiter; Et si dicat quis, Motus igitur erit aggregatum quoddam ex pluribus; Dico quód si quis viderit Græcos Expositores in Prædicamentis, hoc non erit sibi mirum, cum omnes ibi dicũt, quatuor pri-

ma

ma prædicamenta esse simplicia, reliqua verò sex composita, quid igitur mirum debet esse, si cum dico motum, dico formam cõnotantem successionem factam cum tempore? quare non oportet respicere formam, sed totum simul, vt dixi, Cum verò dicebatur, positis duobus quorum vnum permaneat, &c. Dico quòd differentia est inter nomen, & verbum, Vt inter calefieri, & calorẽ, quę duo in hoc differunt, quòd verbum calefieri dicit qualitatem cum fluxu, & tempore, at nomen calor connotat fluxum tantum, sicq; ratione connotati dico quòd corrumpitur, nõ formaliter, vt aliqui dicunt, sed realiter, benè est aliquid post in motu quod remanet, non autem remanet totum, quia corrumpitur fluxus; Ad tertium, Dico quòd forma diminuta est via per quàm perfecta aquiritur, cum agens numquàm possit formam perfectam introducere, nisi imperfectam prius introduxerit, si namq; agens voluerit exempli gratia introducere octo caliditatis gradus, prius necesse est, quòd tres, vel quatuor introducat, cum igitur in argumento dicitur, motus ẽ via p quã forma introducitur; Dico q̃ hoc ẽ verũ si rectè intelligatur, intelligẽdo q̃ p motũ formã impfectã, cũ p formã diminutã tẽdẽtẽ ad vlteriorẽ pfectionẽ introducatur

perfecta, & ea solum sit via; Ad aliud, Dico quòd terminus, & via si considerentur prò materiali sunt idem, quia via prò materiali est idem quòd terminus realiter, sed differunt vt imperfectum à perfecto, si autem via consideretur prò formali, dico quòd non solum realiter à termino, sed formaliter etiam differt; Ad aliud, cum dico formam diminutã in potentia, intelligo in potentia cum actuali tendentia ad vlteriorem perfectionem, qa si erit in quiete, vt tepiditas, non vocatur motus; Cætera quæ sequuntur argumenta, soluuntur eadem solutione; Tantum respondeo argumento de velocitate, Et quia iam dixi, quòd considerando motum non solum dicere formam, sed formam etiam cum actuali tendẽtia, quæ tempore mensuratur, quòd motus ratione tendentiæ dicitur velox, & tardus, quę velocitas, & tarditas in forma absolutè non reperitur, capiendo igitur motum, vt dicit formam cum tendentia, sic motus est velox, distinguiturq; realiter à forma, si autem motus accipiatur vt via, prò forma, prò materiali, vt sic, est idem realiter cum termino, sed differt, vt perfectum, & imperfectum, sicq; saluarem ipsum Auerroem.

Con;

Controu. super tex. 5.

VErba hæc habet Arist. in vltima parte istius contex. (Quare Motus, & mutationis tot sunt species, quot entis;) Contra quæ instat Simpl. sic, Entia sunt decē, seu ens diuiditur in decem genera, ergo motus erit in decem generibus, quod est falsum, cum Arist. ipsum statuat tantum sub quatuor generibus; Soluit Simpl. ac cum eo Auerroes, qui dicunt, quòd Arist. per ens, intelligit ens motum, & non ens absolutè, sicq; sensus erit, quot sunt species entis .s. moti, tot sunt species motus, sicq; cum prædicamenta sint quatuor in quibus est motus, tantum erūt motus quatuor species; At Simplicius connatur ostendere quòd Arist. loquatur de ente absoluto, adeò quòd vellit tot esse species motus, quot sunt species entis absolutè accepti, & ad hoc ostendendum, assumit diffinitionē motus, quam dat in tex. 6. subsequenti, quæ est, Motus est actus entis in potentia, vt in potentia, cum autem in vnoquoq; prædicamento reperiatur actus, & potentia, in vnoquoq; igitur prædicamento erit motus, patet consequentia, si enim in omnibus prædicamentis reperitur actus entis in potentia, vt in potentia, in omnibus igitur prędicamentis reperietur motus, cum motus nil aliud sit, quàm actus

An tot sint species motus, quot entis.

Solutio.

Argumēta Simpl. contra solutionē.

tus entis in potentia, vt in potentia, Et quòd hoc quod dicitur sit verum, declarat discurrendo præcipuè in relatione, cum enim quis ex sinistro fit dexter, semper est in potentia dexter, donec aquisierit quòd actu sit dexter, dexter autem & sinister sunt in prędicamento relationis, ergò in relatione erit motus, quod Arist. negat; Similiter qui sedet, cum sit aptus recumbere, mutatus est ab altero in alterum, manente ipso in potentia in transmutatione, patet quòd cadit sub diffinitione motus secundum talem mutationem; Volens autem Simpl. magis declarare hoc, reassumit quædam quæ scribuntur ab ipso Arist. in Quinto huius .s. quòd motus reperitur in quatuor prædicamentis, vel verius in tribus, in qualitate .s. quantitate, & vbi, & assignat Simpl. rationem ex sententia Aristot. loco allegato, cur in substantia non sit motus, quæ est, quia motus fit aut inter contraria, aut inter intermedia, quæ habent rationem contrarij, modo cum substanriæ nihil sit contrarium, in substantia igitur non erit motus; Nec in relatione dicit Simpl. erit motus, propter causam quam adducit Arist. ibidem, quæ est hæc, quia potest aliquid moueri de vna relatione in aliam, nulla mutatione in eo facta, dat exemplum, columna .n. illa

Rõnes Aris. quare motus sit tm̃ in trib⁹ prędicamentis; Prò hoc vid. infrà in sol. cõtr. j. suptex. 38. istius Quinti Phy.

quæ

quæ prius mihi erat sinistra, núc facta ẽ dextra, si vertã me aliter per mutationem igitur mei facta est dextra columna illa, & non per mutationẽ factã in columna, & columna est mota per accidens, nõ aũt per se, qa ego sum motus, & nõ illa; Nec etiã in facere, & pati est motus ex causa quã ibidem affert Arist. quæ est, quia motus non est motus, nec mutationis est mutatio, si enim ècõtrà esset daretur processus in infinitũ, qui nullo modo datur, igitur in facere, & pati non erit motus, cum facere, & pati sint motus quidã; Cur verõ in situ, in habitu, & qñ non sit motus, licet Arist. ibi nõ adduxerit rõnem, eam tñ ibidem Simpl. assignat, quã assumit ex dictis ab Arist. si. n. in substantia non est motus, qa in ea nõ ẽ cõtrarietas, pariter nec in situ, nec in habitu, nec in quando erit motus, cũ nec in ijs sit cõtrarietas; Quas rõnes Simpl. conatur infringere, & primõ ostẽdit rõnem assignatam, quòd in substãtia nõ sit motus, esse nullã, quę erat, quia in substantia non est contrarietas, hęc inquàm ratio nulla est, quia esto quòd in substantia non sit contrarietas, in ea tamen est oppositio secundum habitum, & priuationem, quæ est sufficiens ad hoc vt in substantia sit mutatio, est enim mutatio secũdum generationem, & interitum in substãtia;

Rõnes quare in situ, habitu, & qñ non sit motus.

Reijcit Simplic. rationes p̃dicatas.

Insuper in prędicamento ad aliquid est motus, dicit Simpl. (& motus per se dicit,) quia relatio est vna habitudo, quæ est inter duos terminos, quæ non in vno solo fundatur termino, sed in ambobus, quę habitudo ad motum vnius termini mouetur per se, quemadmodum si quis prætens continuum, deprimendo vnam partem, aliam eleuat, sicut etiã cum quis ex sinistro fit dexter; Pariter etiam dicit Simpl. in facere, & pati erit motus, cum in istis quoq; sit contrarietas, vt calefacere, & frigefacere, calefieri, & frigefieri; Nec ob hoc sequetur dicit Simpl. esse processum in infinitum; quia cum transeo ex vna specie in aliam, vt ex caliditate in frigiditatem, nõ fit processus in infinitum; Cum etiã dicit Arist. quòd mutationis non est mutatio, nec generationis generatio, Simpl. inquit, hoc esse falsum, & ratio est, quia mutatio illa nõ fuit perpetua, ergo noua, ergo genita, quę etiam corrumpetur, ergo noua, ergo genita, ergo generationis est generatio; Quòd si dicas, quòd sit processus in infinitum; Dicam (ait Simpl.) quód maius inconueniens est dicere, rem aliquam esse nouam sine generatione; & transire ad esse sinè generatione, quàm dicere, quòd generationis sit generatio, Nititur etiã Simpl. probare, quòd in situ habitu, & quãdo

An generationis generatio sit gñatio.

do sit motus, si enim quis sit pronus, & faciat se supinum, est semper in potentia supinus, donec sit actu supinus, & ita est actus entis in potentia, vt in potentia; Insuper si quis ex inermi fiat armatus, dicetur talis habere contrarietatem, quæ est inter habitum, & priuationem, quæ contrarietas est sufficiens, sicut iam dictum est, vt in substantia sit motus, scil. muratio; Tum quia cum quis de inermi transit ad armatum, est semper in potentia armatus, & paulatim transit ad armatum, donec sit perfectè, seu actu armatus; Etiam in quãdo est motus, vt de hesterno die in hodiernum, de hodierno in esternum, de crastino in perendinum, ac de tempore in tempus, vt de iuuentute in senectutem, quemadmodum & de loco in locum; Et dimittit hæc argumenta insoluta Simpl. contrà Arist. adducta, sed dicit quòd petulans, ac temerarius ille videbitur, qui emittere vocem contrariam voluerit Aristoteli; Quibus argumentis satisfacio, & quo ad primum, accipio authoritatem Themistij grauissimi Phylosophi ibidem in 16. textu, vbi declarat, quòd ad relationem non est motus, & dicit, quòd actus est duplex vnus perfectus, alius imperfectus, & nũquàm (addit) res moueri dicetur, nisi sit sub actu imperfecto, ideſt, quòd sit imperfecta, partim

Probat q̃ in situ habitu, & qñ fit motus.

Soluunt argumẽta Simpl. contra Arist.

facta, partim futura fieri, quòd non contingit in ralatione, cum quis non dici posſit partim dexter, partim nõ dexter, ſed dicitur abſolutè vel dexter, vel non dexter, quemadmodum nec quis dici poteſt partim pater, partim non pater, ſed abſolutè dicitur pater, vel non pater, cum igitur motus ſit actus imperfectus, & in relatione non reperiatur actus iſte imperfectus, ergõ in ea non erit motus; Ad argumentum quo dicitur, eſt in potentia dexter, donec ſit actu dexter; Dico quòd benè motus localis quo aquiritur terminus .ſ. relatio, eſt partim factus, & partim futurus fieri, ſed motus ille localis non eſt relatio, nec eſt dexter, nec ſiniſter, ſed illa relatio eſt terminus motus, ac forma indiuiſibilis, adeò quòd non poteſt dici quòd ſit partim dextra, partim non dextra, quia illa relatio eſt terminus motus, qui eſt indiuiſibilis, nec poteſt fieri partim dexter, partim non dexter, ſicut eſt de ratione motus, Accedit quòd omnes relationes cum ſint termini motuum, nec aquirantur per ſe, ſed gratia aliorũ motuum, ideò Ariſt. negauit motum eſſe in relatione; Ad argumeutum de ſubſtantia, in qua non eſt vera contrarietas, in ea tamen cõceditur motus, cum in ea ſit contrarietas ſecundum habitum, & priuationem, dicebatur

quòd

quòd cum talis oppositio secundum habitũ, & priuationem in omnibus reperiatur prædicamentis, igitur motus quoq; in omnibus reperietur prædicamentis, Argumentũ hoc profectò est adeò difficile, vt nemo possit illud soluere; Et si quis dicat. Atiſt. voluisse in substantiã non esse motũ, quia in ea nõ est vera contrarietas; Ego tunc dicam, ℔ q̃q̃ in substantia non sit motus, est tamen mutatio, ergò & in alijs prædicamẽtis esto quòd motus non sit, deberet tamen esse mutatio, & ita mutationis esset mutatio, quòd est per absurdum, ergò non possumus saluare hoc, immò in alijs prædicamentis neq; motum, neq; mutationem concedimus, esto quòd in illis sit contrarietas secundum habitum, & priuationem, nec cum aliqua res fit, non dicimus ℔ generatio mutetur, nec quòd mutatio mutetur; Huius tamen diuersitatis hanc crediderim esse causam, quòd cum dicimus, substãtia generatur, non accipimus substantiam in cõmuni, nec sic mutatio est in substantia, accipiendo substantiam pró forma substantiali, quia idem iuditium esset de formis accidentalibns: si enim forma substantialis mutaretur, etiam formæ accidentales mutarentur, sed accipimus substantiam pró tali, & tali substantia, cum enim substantia dicatur

Qũo in substãtia sit mutatio, & qũo nó.

dicatur tripliciter, de materia, de forma, ac de composito, sic substantia dicetur generari vel subiectiuè, vel terminatiuè; vel completiuè, materia generatur subiectiuè, forma terminatiuè, ac compositum completiuè, sic. q; propriè loquendo non dicimus esse idem iuditium de relatiuis, quod est de substãtia, quia alteratio quæ præcedit substantiam, intendit formam genitam, quòd nõ est necesse in motu locali respectu dextri, vel siniſtri, dicimus igitur quòd in substantia est mutatio, quia habet subiectum quod mutatur, & illa mutatio determinat subiectum, si autem loquaris de substantia prò forma, non concedimus, nec in substantia, nec in alijs prędicamentis esse mutationem, quia tunc esset processus in infinitum, Hoc magis declaro, quia sæpè propter malam terminorum intelligentiam incurrunt errores, Cum dicimus rem aliquam mutari, intelligimus mutationem rõne alicuius formæ, cum res dicatur aliter se habere, quia habet nunc formam, quàm prius non habebat, sicq; ratione formæ illa res dicitur mutari, quare si mutatio mutaretur, formæ esset forma, cur enim aliquis dicitur mutatus? nisi quia in eo est vna forma, quę prius in eo non erat, ideó dicitur mutatus, sicq; mutatio est forma, quod verò est mutatum, est

ſuppoſitum, ſi igitur mutationis eſſet mutatio, forma tunc eſſet ſubiectum, cum ſubiectum ſit illud quod mutatur, etiã forma mutaretur, quæ forma adhoc vt ſit, eget agente, & paſſo, minimè eget forma per quam habeat eſſe, cum igitur res mutatur, ſicut dictum eſt, mutatur per formam, exempli gratia, per colorem in me nunc exiſtentem, dicor mutatus, mutatio autẽ cum ſit idem realiter quòd forma, quia motus eſt forma partim facta, partim fienda, ſi igitur mutatio quæ eſt forma partim facta, partim fienda mutaretur, p formam mutaretur, ſicq; egeret forma, at forma ſicut iam dictũ eſt, non eget forma, benè eget agente, & paſſo, igitur mutationis nõ eſt mutatio; Ad argumentum de facere, & pati; Dico quòd calefacere, & calefieri ſunt motus in qualitate, prædicamenta enim ſunt pmiſtim tradita, cum quædam ſint abſoluta, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, quædã reſpectiua, licet quædam intrinſeca ſint, quædam verò extrinſeca, quare ſi iam declarauimus ad relationem non eſſe motum, ergò nec ad alia prędicamenta erit motus, cum relatio ſit terminus motus, & quatenus terminus eſt, indiuiſibilis etiam eſt, vndè calefieri quatenus eſt qualitas, eſt motus in qualitate, quẽadmodum & de dextro dictum eſt, quòd

ratione

ratione motus localis, per quẽ dextrũ aquirebatur, erat motus, at calefieri ratione agere, vel pati, quod relationem importat, non est motus, benè est terminus motus, sicq; nõ dicimus quòd res partim agat, partim nõ agat, sed quòd vel agit, vel patitur, quocircà ratione qualitatis contrarium habet, & vt sic motus est, at ratione relationis non habet cõtrarium, nec ad relationẽ est motus, cum relatio dicat terminum, qui terminus habet rationem indiuisibilis, at motus est forma imperfecta, cum sit forma partim facta, partim fienda; & per hæc, omnia alia soluuntur; Ad argumentum illud quo dicebatur, mutatio nũc est facta, prius non erat, ergo genita; Concederem quòd sit facta, sed tamen negarẽ quòd esset facta per generationem; Quare cõcludendum est, quòd dictum Arist. dicentis, tot esse species motus, quot sunt entis, esse intelligendum, de ente moto, & non de ente absolutè; Vbi etiam erit attendendum, Arist. hic non assumere hoc nomen (species) propriè, & prõ vt est quę ponitur sub assignato genere, sed impropriè; Ex quo tolletur alia satis apparens controuersia, quam quis posset asfere super dictis ab Arist. hic, & in tex. 4. si enim hic affirmat motum species habere, species autem ponuntur sub determinato gene-

re,

re, habentq; aliud genus commune, ergò omnium motuum erit genus commune, ac determinatum, cuius tamen oppositum iam suprà tex. 4. dixit; quid sit respondendũ, patet.

Controuer. super tex. 10.

COntrarius sibi videtur Arist. hic, & 4. huius tex. 84. Hic asserit non eãdem esse potentiam ad sanitatẽ, & ad ęgritudinem, sed alteram, at ibi loco allegato, dixit vnam, eamdemq; esse potentiam contrariorum; Deindè si duæ potentiæ dictæ dicuntur contrariæ, quomodo subiectum erit idem? cum contraria in eodem subiecto stare simul nequeãt; Ad primũ dico q; est æquiuocatio de potẽtia, cũ Arist. Quarto huius capiat potẽtiã prò subiecto, prò materia, q; subiectũ cõtrariorũ ẽ vnũ, videmus.n. subiectũ idẽ mõ sub sanitate, modo sub ęgritudine esse, at hic potẽtiã nõ accipit prò subiecto, sed per potẽtiam intelligit priuationem cum aptitudine, ita q; sẽp vna potẽtia fũdatur in actu oppositõ, nã ego exẽpli gratia nũc actu lego, nũc nõ habeo potẽtiã vt legã, qa actu legò, sed habeo potẽtiã vt nõ legã, sicq; hic nõ accipit potentiam; vt in Lib. de Interprætat. accipiebat, dum dicebat, cum quis ambulat, potest ambulare, sed accipit potentiam pro priuatione quæ non stat cũ actu, & prò priuatione

An contrariorũ sit vna, & eadẽ potentia.

cum

cum aptitudine, nam si est exempli gratia vna potentia, est actus oppositus; vel clarius dicam, quòd potentia est duplex, alia proxima, alia remota, potentia proxima, non est pura materia, sed est materia affecta, ac disposita ad aliquam formam, vt ad sanitatem; de qua hic loquitur, & ita est quòd duæ potentiæ oppositæ non simul stant; At in Quarto huius capit potentiam prò subiecto in formi, quæ est potentia remota, quę contrariorũ est vna; Ad secundum, dico vnum, & idem subiectum non posse stare sub contrarijs in eodem tempore, sed in diuersis temporibus, sicut iam dixit Arist. in tex. 8. idem .n. corpus modo sub sanitate, modo sub ęgritudine est; At dicebatur in argumento, quòd illæ potentiæ ex quo sunt contrariæ, simul stare in eodem nequeunt subiecto; Contrà insto, caliditas, & frigiditas inuicem contrariãtur, & tamen simul remanẽt in misto, ex quo elementa remanent in eo, ergo contraria in eodem subiecto simul stabunt; Tum quia dicimus quamlibet partem misti esse mistam, ergo in quacũq; parte misti erit ignis, & aqua, sed ignis est calidus, aqua verò frigida, ergó in eadem parte misti erit & caliditas, & frigiditas, ergò contraria simul stabunt; Dicẽdũ est, quòd formæ illæ consideratæ secundum spe-

An contraria simul stare possint in eodẽ subiecto.

ſpetiem abſolutè ſunt contrariæ, quæ ſi cõſiderentur vt caſtigatę ſunt, non contrariãtur, ſecundum ſe enim contrarietatem habẽt, quia ſumuntur ſecundum eſſentiam, ac perfectionem ſuam, quæ demum ſi applicentur materiæ ſimul ſtant, nec contrariantur, dummodo gradus exceſſum non habeant.

Controuer. ſuper tex. 17.

DVbitat Simpl. circà Ariſt. verba dicẽtis, quòd ſemper affertur ſpecies aliqua, à qua prouenit motus, & dicit q. forſsè hoc eſt verum, cum homo hominem generat, quòd eſt forma hominis per quam generat hominem, hoc tamen dictum non eſt perpetuò verum, quia ſi accipiamus motum localem, motus localis non fit à motu locali, ſed fit à forma ſubſtantiali, à qua prouenit motus, ſed quòd magis eſt, non ſolum motus localis non fit à motu locali, ſed nec à re exiſtente, nam cum anima ſit in animali à qua prouenit motos, anima in loco non eſt, corpora enim ſunt illa quæ ſunt in loco, at cum anima forma ſit, in loco anima minimè erit, quam igitur ſpetiem afferes, cum quis localiter mouetur? benè cum quis hominem generat, potes affere ſpetiem, at cum quis localiter mouetur, ſpetiem affere non pores: Dat

An id q. mouet, ſemp afferat aliquã ſpetiem.

Simpl.

Simpl. duas solutiones, prima est, quòd cum Arist. dicit, quòd semper affertur species aliqua per quam mouet, ob hoc non vult Arist, quòd species quæ affertur sit eiusdem rõnis, cum ea quæ aquiritur, nam quãquàm aquiro motum, non est necesse quòd species localis motus in actu præcedat, sed sufficit quód sit forma aliqua actu, cum igitur dicis, in motu locali non præcesit species, Dico quòd hoc non est necesse, sed sufficit vt sit aliqua forma substantialis, quæ in actu sit, & ita species huius motus localis erit forma substantialis à qua prouenit motus; Est secunda eiusdem Simpl. responsio, in qua semper dicit necesse esse vt afferatur aliqua species, quia motus qui producitur ab anima, producitur propter imaginationem loci, animalia enim cum mouentur, habent imaginationem loci, gratia cuius mouentur, domus quoq; constituta fuit à domo simili existente in mente artificis, sic etiam dicere possumus, quòd affertur species loci ad quem fit motus; Sed quid erit dicendum de his, quæ cognitionem non habent, vt sunt elementa, quæ mouẽtur motu locali; Credo quód Simpl. diceret, sat esse q illa à quibus diriguntur habeant imaginationem, & si non secundum individuum, saltem secundum speciem, primam tamen solutionem magis laudarem.

Con-

Controu. super tex. 18.

DVbitat Simpl. quomodo Arist. dicat, Actionem esse in passo, & rationē dubitandi assumit ab ipsis sensibus, quia dicimus visus videt, gustus gustat, & sic de reliquis sensibus, at videre est agere, ergo visio erit in agente; Addit quòd res, quæ est mota, est in potētia primò, antequàm moueatur, cum verò transit ad actum, dicitur mota, pariter mouens antequàm moueat, prius est in potentia, cum trāsit ad actum, dicitur mouere, cur igitur mutatio quam facit mouens de potentia ad actum, non facit vt mouens denominetur motum, sicut mutatio quam facit motiuum de potentia ad actum, facit vt motiuum denominetur motum? ita q̄ in transitione mouentis de potentia ad actum, motor est actus, actio illius motus, in trāsitione verò motiui de potentia quam facit ad actum, motiuum est passio illius motus; Respondet Simpl. quòd quàmquàm illi termini videre, audire, tangere, videantur importare actionem, tamen in passo consistunt, ita quòd falsum est, quòd videre sit agere, immò consistit in pati; Ad secundū, Dicit Simpl. q̄ trāsitus de nō agere ad agere, nil aliud est quàm actio, quam facit agens in passum, ideò non

An actio sit in passo.

est actio distincta, nam transire agens de potentia ad actum, est facere actionem illam in ipsum passum.

Controuer. super tex. 19.

An duo actus diuersi possint tendere ad vnum finem.

Vel an vnius rei sint duo actus diuersi.

HAbet Arist. pro inconuenienti q; duo actus diuersi tendant ad vnum finem, seu q; vnius rei sint duo actus contrarij, quia si sic, idem esset doctrina, & disciplina, idemq; esset docere, & addiscere, & p nũ finẽ; consequens docens, & addiscens essent idẽ, quod tamen non est verum, qa aut bene ageretur cum discipulis, qui essent magistri, aut male cum magistris, qui adhuc essent discipuli; Instat Ioannes Gram. dupliciter, cõtrà id quod Arist. indicat esse inconueniens, & primò inquit, sit vnus terminus in aliquo circulo, possum ire ad illum terminum, & per lineam circularem, & per lineam rectã, vnus igitur effectus prouenit à duabus rebus distinctis; Secundò dicit Ioannes Gram. Capiatur partiuncula aeris, quæ sit in parte inferiori, illa aeris portio ascẽdet quousq; peruenerit ad regionem suam aeris; Eadem accipiatur, vt in igne mouetur, certũ est, quòd descendet, quia ille non est locus proprius illius, ergò eiusdem erit a scensus, & descẽsus; Quo ad primũ respondet, quòd sermo Arist. est de agentibus naturalibus, & ideò si formica

mica exempli gratia potest ire ad eundē terminum, & per lineam rectam, & per lineam circularem, hoc non est contrà nos; Vel inqt, possumus dicere, quòd quando formica tendit ad illum terminum per viam rectā, & circularem, quòd ille est vnus, & idem motus, sed vnus est via longiori, alius verò via brauiori, ita quòd non sunt diuersæ res tendentes ad vnum finem, sed vna, & eadem est res quæ per alium motum, & per alium longiorem mouetur; Sed Ioannes Gram. sic respōdens, dicit vnū quod est mirabile, quòd inconueniens est, quòd duæ res moueantur ad vnum terminum naturalem; Et sic etiam respondet ad secundum argumētum, quòd aer non est terminus nec grauis, nec leuis, qa res grauis habet terminum inferiorem, scilicet locum, res verò leuis superiorem, quare aer nō est terminus, sed medium est. Ego autem melius (vt arbitror) dicerem, quòd ista non est causa diuersa, sed vna, & eadem, quia per quā naturam, aer cum erat in loco inferiori, faciebat se sursum, per eamdem met naturam, cum est in loco ignis, facit se deorsum, sicq; argumentum non est de diuersis naturis, de qbus diuersis naturis est Aristotelis ratio.

Contro. j. supertex. 21.

An actio & passio distinguãtur inter se sola ratione.

VVlt Arist. Actionem cum passione esse eamdem re, sola ratione inter se differe; Quod dictum si est verum, erit igitur falsum id, quod ipse scriptum reliquit tn Primo Lib. Post. quòd propositio negatiua immediata sit, quando vnum prędicamẽtum negatur ab alio, sed actio, & passio sunt duo prædicamenta, si igitur quis dixerit, Actionem non esse passionem, cõstituet propositionem negatiuam immediatam, si sic, ergó nullo modo erunt eadem actio, & passio Dicendum est, Prædicamenta aliqua esse inter se re, & rõne distincta, & hæc sũt tria prima, substantia scilicet qualitas, & quantitas; Aliqua verò sunt inter se sola ratione distincta, non autem re, & sic sunt ea, quæ sunt ad aliquid, cæteraq; prædicamenta, quæ à tribus primis, & inter se sola distinguuntur ratione, cũ igitur actio, & passio distincta sint inter se sola ratione, ergò si vnum negabitur ab alio erit propositio immediata; At dicet ille, igitur idem poterit negari à seipso; Dicimus quòd idem re, differens ratione à seipso potest negari, at idem re, & ratione, minimè à seipso potest negari.

Controu. 2 super eodem tex. 21.

INquit Arist. At verò neq; si doctrina, & disciplina sunt idem, & discere, & docere erunt idem; Ellicitur quód ab abstractis ad concreta non valet argumentum; Cuius oppositum ab ipso Arist. habetur in Tertio, ac in Sexto Top. Lib; Soluas breuiter, quód si concreta sint aliqua, quæ dicant rationem distinctam ab abstractis, tũc ab abstractis ad concreta, nec ècontrà valet arguere, sicq; hic intelligit, & ideò dicit, q̃ licet doctrina, & disciplina sint eadem, ad doctrinam autem sequitur docere, & docens, ad disciplinam verò sequitur discere, & discens, propterea ob hoc non valet inferre, ergó docens addiscit, quia doctrina, & disciplina non sunt eadem inter se omnibus modis, benè si doctrina, & disciplina essent eadem inter se omnibus modis, valeret ergo docens addiscit; At si sint aliqua concreta, quæ non dicant rationẽ distinctã ab abstractis, tũc ab abstractis ad cõcreta, & ècontrà tenet cõsequẽtia, sicq; in locis præcitatis Aristot. de illis est loquutus.

An ab abstractis ad cõcreta, & ècõtra, valeat argui re.

Controu. super tex. 23.

COlligit Arist. per modum epilogi se declarasse quid sit motus vniuersaliter,

Examinant omnes tres diffinitiones motus.

& etiam in ſpetie, nam ſi vniuerſaliter, Motus eſt actus mobilis, quatenus mobile, hanc diffinitionem poſſumus etiã accomodare cuilibet ſpetici, motus alterationis eſt actus alterabilis, in quantum alterabile, & ita de reliquis; Addit etiam, quód ſi velimus clarius motũ diffinire, dicemus quòd Motus eſt actus potentiæ actiuæ, & paſsiuæ in quantum huiuſmodi; Difficultas communis eſt omnibus tribus diffinitionibus de motu datis; An ſint rectè aſsignatæ; Prima quæ habita fuit ſuprà tex. 6. fuit hæc, Motus eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia, Secundã aſsignauit tex. 16. dum dixit, Motus eſt actus mobilis in quantum mobile; Tertia eſt in hoc tex. 23. iam dicta; Ideò an tales diffinitiones ſint rectè traditæ, eſt conſiderandum in præſenti; In quarum examine hunc ſeruo ordinem, primò contrà vnamquamq; dubitabo, demum contra omnes communiter inſtabo;

An prima diffinitio motus ſit recta.

Contra primam ſic inſto, Illa motus diffinitio non eſt naturalis, ſed metaphyſica, ergo &c. antecedens patet, quia conſideratio de actu, & potentia pertinet ad metaphyſicũ; Inſuper & ſecundò, Diffinitio illa adhuc nó eſt conuenienter data, cum omnis bona diffinitio detur per notiora, at hæc ſit per ignotiora tradita, cum motus ſit notior, quàm actus

tus entis in potentia, vt in potentia, & quod hoc sit verum, patet, nam quilibet etiã si rudis sit, intelligit motum, cui si proponatur, actus entis in potentia, vt in potẽtia, ridebit; Amplius illa diffinitio non est conueniens, cum non comperat omni, & cuilibet motui, quod declaro, hic enim diffinit motũ in cõmuni, vt idem est quòd mutatio, immò sicut suprà in solut. primæ Controu. fuit dictum, vsq; ad Quintũ Lib. semper loquitur de motu in communi, at in Quinto Lib. de eo propriè disputat, distinguitq; ipsum ibi à mutatione; Cum ergo hic diffiniat motũ in cõmuni, vt idem est quòd mutatio, & diffinitio hæc non conueniat omni motui, quia nõ cõuenit generationi, cum generatio subitò fiat, & non sit partim facta, partim fienda, sicuti est motus, ergò non conueniet omni motui, ergò non erit conuenienter tradita. Vltimò, cũ in illa diffinitione ponatur actus, & actus sit duplex, vnus primus, alius secundus, poterit quis quærere, an motus sit actus primus, vel secundus; Contrà secundam pariter insto, & primò quia ista idem importat q; prima, cũ idem videatur dicere, motus est actus mobilis inquantum mobile, & motus est actus entis in potentia, vt in potentia, mobile enim dicit potentiam, igitur altera illarũ nu-

An secũda motus diffinitio sit recta.

gatoria, seu superflua erit; Præterea, ista peccat sicut prima, quia datur per ignotiora, cum motus sit notior ipso mobili, per motū enim cognoscitur ipsum mobile, ergò mobile est ignotius ipso motu, & tamen diffinit motum per ipsum mobile; Age etiam & tertia est suspecta, cum Arist. dicat, quòd est cæteris notior; Auerroes verò Quinto huius Comen. 3. dicit, essentiam motus constare in his tribus, scilicet in mobili, in termino à quo, & in termino ad quē, igitur mouēs erit causa extrinseca motus, igitur non erit ponendum in diffinitione; Quam eamdem sententiam Auerroes Primo Post. vbiq; asserit, dicens, causæ extrinsecæ non sunt ponendæ in diffinitione, cum igitur mouēs sit causa extrinseca motus, non ergo debet poni in diffinitione eius; Insuper, vnius rei tm̄ est vna diffinitio, cur igitur non contentus vna diffinitione, tres dedit? Vltimò, Cur Arist. in naturalibus nō dedit tot diffinitiones, sicut de motu hic facit, ipsius enim naturæ vnā tm̄ dedit diffinitionē, qua vna fuit cōtētus, hic aūt cur ita numerosus? Iam verò contrà oēs dubito sic, In nulla illarū diffinitionū apparet cōtinuitas, igitur non erit verum, q; motus sit de numerō continuorū, sicq; nulla illarū erit recta, pbatur consequētia, Nā Arist. in principio istius

An tertia motus diffinitio sit recta.

Cōfutāt oēs tres motes diffinitiones.

Tertij dixit, Quoniam natura est principium motus, & scientia est de natura, ergò non latere oportet, quid sit motus, quia ignorato motu, ignoratur natura;) Addebat, & quoniã motus est de numero continuorũ, ideó & de continuo est agendum; modo si in nulla illarum trium diffinitionũ ponitur continuũ, ergó non videtur esse verum, ꝙ motus sit de numero continuorũ, ergò, &c. Primò, hoc in loco maximè desiderarẽ interprætũ diligentiã, cũ eorũ nemo nec Arabũ, nec Latinorum, nec Græcorũ in Primo tex. huius Tertij Lib. quæsierit causam ob quam Arist. proponens ea de qbus in subsequentibus intẽdebat agere, p ordinẽ ea sic numerauit, motũ, cõtinuũ, infinitũ, locũ, vacuũ, tẽpus; Causa cur primò numerauit motũ, ex Arist. ẽ nota; post numerauit cõtinuũ, primó tñ de infinito egit, q̃ de cõtinuo, nã dicebat Arist. qa in cõtinuo appareret infinitũ, ergò agẽdũ est de infinito gratia cõtinui, & tñ de cõtinuo nõ agit; Dico ꝙ huius causa ẽ, qa cõtinuũ nõ ẽ de essẽtia ipsius motus, sicut dicit Auer. in 4. huius Com. 99. cũ igitur cõtinuitas nõ sit de essẽtia motus, nec mirũ ẽẽ debet, si nõ ponitur in diffinitione motus, nõ .n. ẽ p̃dicatũ primi modi perse; Aĩaduertẽdũ tñ est, quòd licet continuũ non sit de essentia motus, nec ponatur in eius

Causa ordinis ꝓpositorũ ab Arist. in 3. Lib.

dif-

diffinitione, per motum tamen apparet eius continuitas, quemadmodum si quis dicat hominem esse animal rationale, tunc apparet admiratio hominis de rebus uisis; At dicet ille, si continuum est proprietas motus, cur Arist. dimisit agere de continuo, & agit de infinito benè video quòd in diffinitione motus non posuit continuum, quia nō erat prædicatum primi modi, at cur dimitat agere de eo, & agat de infinito, & de eo agat in gratiam continui, hoc nō video; Dico quòd ad habendam notitiam alicuius rei quidditatiuam, oportet illius rei proprietates cognoscere, cum igitur continuitas sit motus proprietas, omnes enim motus sunt continui, licet non eodem modo, nam maior continuitas apparet in motu locali, quàm in cœteris alijs, & adhuc in motu locali circulari est maior continuitas, quàm in motu recto, in cœteris quoq; est cōtinuitas, sed eo modo quo quisq; motus continuitatem postulat, cum igitur prima passio hærens motui sit continuitas, ob hoc Arist. dixit, motum esse de numero continuorum, verum non agit prius de continuo, sed prius de infinito, causa est, qa quotiescumq; est aliqua res tractanda, quæ habeat partes in sua diffinitione, nō possumus illam rem exacte intelligere, nisi prius partes

Dubitat.

Solutio.

ingræ-

ingrædientes illius diffinitionem intelligamur, cum autem infinitum sit pars ingrediẽs diffinitionem continui, ad habendam diffinitionem continui exactam, necesse fuit prius de infinito tractare; At absoluto tractatu de infinito, cur non egit de eo quod reliquũ erat de continuo? sed egit de loco, vacuo, & tempore, Tu cogita, si non placent ea, quę suprà in solutione primæ Contr. dicta sunt; Sed adhuc dicet ille, si rõne dicta prius egit de infinito, quàm de continuo, ergõ ob eamdẽ causam prius debebat Arist. agere de motu, q̃ de natura, Attendendum est hic, q̃ Arist. non posuit motum in diffinitione naturæ tãquàm genus, nec tamquàm differentiam, qa si sic, opus fuisset Aristoteli prius de motu, quàm de natura tractare, at posuit motum in diffinitione naturæ, tamq̃ effectus ab ea dependens, cum enim natura sit principiũ motus, natura dicitur relatiuè ad eum, ideó post tractatum de natura, agit Aristot. de motu, Quibus declaratis, accedo ad solutionem argumentorum, & quo ad primum argumentũ contrà primam motus diffinitionem adductum, Dico quód solutio colligitur ex tex. 4. in quo dixit, motum non esse in vno prædicamento, idcircõ volens Aristot. manifestare motum, non potuit per limitatum diffinitionem

Dubitat.

Solutio.

nem ipsum manifestare, cum enim motus sit in quanto, quali, & vbi, cumq; illa prædicamenta non habeant vnum commune superius, sicut ibidem dixit, fuit Arist. necessarium vti terminis illis transcendentibus, qui de facto sunt termini Metaphysicales, & ideò in II. Meteph. eamdem motus repetit diffinitionem; Videns aũt Arist. quòd illam diffinitionem possumus adaptare, contraherecq; illos terminos ad proprios, ac naturales, sicut enim dicimus, motum esse actum entis in potentia, si adaptemus possumus dicere, ens in potentia alterabile, ens in potẽtia generabile, ens in potentia argumentabile, sic terminum illum communem contrahimus ad naturalem, sicutq; dicimus ens mobile esse subiectum in Phylosophia naturali, non tamen ens absolutè, ita quoq; cum dicimus, motum esse actum entis, non intelligendum est, actũ entis in potentia, sic absolutè, sed entis, generabilis, entis alterabilis, quatenus tale, & sic de alijs, sicq; contrahendi sunt illi termini; Quo ad secũdũ, in quo dicebatur, q, illa diffinitio non erat data per notiora; dico q, diffinitum vt in pluribus est notius ipsa diffinitione, est notius inq̃ notitia confusa, at diffinitio est notior notitia distincta, de qua loquẽdo notius est esse actũ entis in potentia,

Quare Arist. diffinierit motũ per terminos trãscẽdentes.

qua-

quatenus in potẽtia, q̃ motus, quia diffinitio expandit id, quòd inuolutè cõtinetur in diffinito; Cum verò dicebatur talem diffinitionem non competere cuilibbet motui; Primò possumus fateri diffinitionem motus non omni competere generationi, sed tantũmodò generationi elementorum, elementa enim cũ habeant formas similes cum formis accidẽtalibus, suscipiunt intensionẽ, & remissionem, cum nãq; ignis generatur, nõ totus ignis generatur, sed partibiliter, per partẽ post partem, sicut caliditas, & frigiditas, sicq; dicimus q̃ talis diffinitio competit generationi, sed non omni, cũ tãtũmodò elemẽtorũ generõni cõueniat; Vel possumus dicere q̃ sufficit accipere generõnem, non vt distincta est ab alteratione, sed quatenus præsupponit alterationẽ præuiam; Dubitationi inquirẽti, an sit actus primus, vel secundus; Est sciẽdũ q̃ actus primus est qui dat esse, seù qui est principium operãdi, & quia quælibet forma substantialis dat esse, estq; principium operandi, ideò quælibet forma substantialis est actus primus; Actus secundus est ipsa met operatio, & indè ẽ q̃ Phylosophi dicũt, multos esse sciẽtes actu primo, qa habẽt sciẽtiã in habitu, at nõ actu secũdo. i. in operõne, tũc dicẽdũ ẽ, q̃ motus si cõsideretur respũ subiecti cui ineſt, & q̃ mouetur, sic est

An motus diffinitio, omni conueniat motui.

est actus secundus, qui si consideretur in ordine ad subiectum quod potest moueri, licet non moueatur, sic est actus primus, at quicũq; sit actus, est actus imperfectus, quia semper est potentię admistus, ac per consequens difficilis cognitu; Quo ad primum argumentũ contrà secundam diffinitionem adductum; dico quòd prima, & secunda diffinitio differunt, quæ licet videantur idem importare, diuerso tamen modo important, cum hæc secunda magis manifestet motum esse in mobili, quàm prima, ideò hãc attulit, quamadhuc adduxit, vt primam limitaret, eamq; ad terminos ꝓprios scilicet naturales reduceret; Nec est credendum, quòd talis diffinitio data sit per ignotiora, & quòd mobile sit notius motu, cum motus corrumpitur, & mobile remaneat, quia iam dictum est, quòd diffinitum est diffinitione notius confusè, at diffinitio ècontrà est notior diffinito distinctè; Dicebatur, per motum cognoscitur ipsum mobile ergò motus est notior; Immò ècontrà est, & nisi esset ipsum mobile, motus nõ appareret; Contrà tertiam diffinitionem instantia prima fuit hæc quòd diffinitiones dãtur per intrinseca, & non per extrinseca; Dico quòd profectò ita est, quòd essentia motus secundum se considerati (sicut dixit Auerroes in loco alle-

Solut. argumẽtorũ cõtra secũdam motus diffinitionẽ

An mobile sit notius ipso motu, vel ècontra.

allegato) consistit in illis tribus dictis, sicq; ipsum mouens est extrinsecum, ob hoc tamen Arist. non est obiurgandus, quia eius intentio fuit per talem diffinitionem manifestare quomodo motus sit in mo o, & quomodo motus proueniat à mouente in passum, & quòd nõ sit actus decisus à passo, ob hoc addidit illam diffinitionem, vt inquàm declararet motum esse in moto, ab agente q; in passum; Cum dicebatur, vnius rei est tantũ vna diffinitio; Dico quòd omnes illæ tres diffinitiones perindè se habent, ac si essent vna tantum diffinitio; Verumtamen est, quòd vna magis declarat rem, quàm alia; Si verò agens de motu non seruat methodum, quam seruauit in alijs diffiniendis rebus, hoc nihil est; cum id fecerit propter latentiam motus, est enim res quę in maxima versatur obscuritate Argumento adducto contrà omnes diffinitiones, quomodo sit occurendum, iam ex prę notatis antè argumentorum solutiones, est clarum.

Cur motus tres adduxerit diffinitiones.

Controu. super tex. 24.

An tractare de infinito pertineat ad naturalẽ.

PRobat Arist. munus naturalis Philosophi esse tractare de infinito, quòd etiã confirmat in tex. subsequenti 25. Obijcitur, finitum, & infinitum conueniunt ipsi enti, cum ens in sui sumptum communitate

diui-

diuidatur per finitum, & infinitum, at considerare ens in communi pertinet ad Metaphysicum, ergó, & de infinito tractare pariter erit munus Metaphysici, Notãdum est, quód Expositores dicunt infinitum, pariter & finitũ dici multipliciter, nam dicunt quód infinitũ, & finitum aliquandó accipiuntur vt dicunt vigorem, aliquandó vt dicunt durationem, aliquandõ vt dicunt determinationẽ, vel indeterminationem, referendo semper singula singulis, quandoq; vt dicunt perfectionem limitatam, vel illimitatam, addunt etiam alia significata, quàm significatorũ enumerationem omitto, non quta sit falsa, sed quia nõ est ad propositum, cum Arist. non loquatur de infinito in sui vniuersalitate sumpto, sed de infinito contracto ad res naturales quantas, quemadmodum est magnitudo, seù corpus naturale, tempus, ac motus, vt dicit Aristot. in principio istius tex. 24. Cum igitur Aristot. tantummodo loquatur de infinito quanto, quód est ens quantum carens terminis, tunc est animaduertendum quód hoc tale infinitum potest dupliciter considerari, primó, vt sit infinitum actu, secundó quód sit infinitũ in potentia; Quòd infinitum potentia, adhuc est duplex, sicut docebit Arist. infrà tex. 56. Vel est secundũ diuisionem, ideſt in quãtitate

Finiti, & infiniti varia significata.

Infiniti q̃ti vera diuisio.

titate continua, vel est secundum appositionem, ideſt in quantitate discreta; Tunc dico q; munus naturalis Phylosophi est de quolibet infinito determinare, & primò de infinito actu, si enim de finito naturali actu disputat, ergó & de infinito actu illi oppositio disputabit, cum oppositorum cõsideratio ad eamdem pertineat scientiã; Cum etiam de hoc infinito actu omnes antiqui, qui cum dignitate tractarunt de hac phylosophia .s. naturali, sicut dicit Arist. in tex. 25. habuerint sermonẽ, omnesq; tamq; principium ipsum posuerint, ideò de eo est cõsiderandum, ad hoc vt cognoscatur an rectè sint loquuti; De infinito etiam quanto naturali in potentia disputabit phylosophus naturalis, siuè sit per diuisionem, siuè per appositionem; ratio est, quia eiusdem est scientiæ considerare subiectum, & sui proprietates, at cum infinitum in potentia tam per diuisionem, q̃ per appositionem sit proprietas magnitudinis naturalis, quæ à phylosopho naturali cõtemplatur, ergó & de vtroq; infinito in potentia etiam considerabit; Nec est quód aliquis obijciat; Si infinitum in potentia per diuisionem est proprietas magnitudinis naturalis, non ergõ dabitur minima magnitudo, cuius oppositũ habitum fuit Primo huius tex. 36. consequẽ-

Solutio quæsiti.

Instãtia.

tia patet, quia cum diuisio procedat in infinitum, tunc repugnat dari minimam magnitudinem; Quia erit dicendum, dari minimã magnitudinem ratione formæ, minimè ratione materiæ, seù magnitudinis, cum illa sit in infinitum diuisibilis; Adde, quòd si naturalis de vtroq; infinito & actu, & potentia cõsiderat, non tamen eodem modo, quia de infinito actu naturalis Phylosophus contemplatur negatiuè, probatq; tale infinitũ nullo modo dari, at de infinito potentia tàm per diuisionem, quàm per appositionem speculatur affirmatiuè; Ideó non erit quòd quis obijciat; de eo quod non est, nec potest esse, non est scientia, at infinitum actu non est, nec potest esse, ergo de eo non erit sciẽtia; Quia dicendum erit, quòd de eo q̃ nõ est, nec potest esse, non est scientia per affirmationẽ, sed per negationem; Et ex his soluitur argumẽrum principale, cum de infinito in sui vniuersalitate sumpto, seù vt insequitur ens in communi, hic non pertractet Aristot. sed de infinito quanto, seù contracto ad res naturales quantas; Addas etiam, q̃ hoc infinitum si erit per considerationem à materia abstractum, sic considerabitur à Mathematico, at si erit in materia sensibili, ad naturalem Phylosophum pertinebit de eo disserere.

Solut.

An de infinito actu possit haberi scientia, & quo.

Con-

Controu. super tex. 32.

POsse .n. ab ipso esse, nihil dífert in perpetuis; Dicit Aristot. in vltimis verbis istius contex. Quæ propositio multas patitur instantias; Sol enim est æternus, & potest ecclipsari, & tamen non sequitur, ergo ecclipsabitur; Insuper materia prima est æterna, vt habetur ab Arist. in fine Prim. huius, & tamen non valet dicere, materia prima potest esse sub forma aquæ, potest esse & sub forma ignis, ergò est sub illis, eo quia tunc esset actu sub formis contrarijs; Pariter, nec valet dicere, Cœlum est æternum, & potest moueri motione crastina, & tamen non mouetur; Non aprobo sententiam Simplicij, qui dixit, hanc propositionem non esse de mente ipsius Aristot. sed ab ipso introductam fuisse ad mentem antiquorum, scilicet ipsius Archytæ, & Epicureorum; Quia huiusmodi responsio est cõtrà communem sententiam omnium Doctorum, qui eam admittunt vt veram; Est etiam contrà ipsum Aristot. 9. Metaph. tex. 17. vbi concedit eã esse verã; Nec insequor adhuc sententiã Grego. Arim. qui dixit huiusmodi propositionẽ tantũmodo habere veritatẽ in na-

An esse, & posse differant in æter-nis.

Sol. Simplic.

Confut.

Sol. Gregor. Ario.

in natura simpliciter æterna, ac perpetua, cuiusmodi est solus Deus gloriosus, in quo esse, & potẽtia, sunt idem realiter, & ideó actio
Confut. sua est sui substantia; Quia hæc expositio licet sit vera, est tamen magis ad mẽtem Theologorum, qui ponunt solum Deum æternum esse, alia verò à Deo esse creata in tempore, At ipse Arist. ponit plura æterna, omnes n. substantiæ abstractæ mouentes sunt æternæ,
Determ. vt habetur ab Arist. 12. Met. tex. 30. Iuxtà cuius mentem intendimus declarare quomodo talis propositio habeat veritatem; Ideò prò ea verificanda, est notãdum quód secũdum Arist. entia æterna sunt in duplici di-
Aeterna sunt duplicia. ferentia, quædam sunt incorporea, vt substãtiæ abstractæ, quæ secundum ipsum sunt penitus intransmutabiles; Alia sunt entia æterna corporea, vt corpora cœlestia, quæ tantũmodo localiter sunt transmutabilia, in quorũ numero potest etiam reponi materia prima, quæ secundum Arist. est æterna, transmutabilis verò est tantummodò secũdum formationem, eò quia vnam deperdit formam, &
Aeterna trãsmutabilia habent duplex esse. aliam recipit; Quæ æterna transmutabilia habent duplex esse, aliud substantiale, aliud accidentale, vt exempli gratia, Luna vltrà esse substantiale, habet etiam esse accidentale, quod est esse illuminatum diuersimodè;

Quibus

Quibus sic stantibus, Dico quòd si loquamur de æternis abstractis, in his esse, & posse, nullo modo differunt, ratio est, quia si esse, & posse, in illis different, tunc in illis esset potentia ad aliquod esse quod prius non habuissent, sed posteà haberent, quòd est cõtrà Arist. 12. Met. tex. 30. vbi docet, quòd earum substantia est actus purus, alicui potentiç non admistus; At si sermo sit de æternis transmutabilibus, sicuti sunt corpora cœlestia; Dico quòd in illis posse quod respicit esse substantiale non differt ab ipso esse, sed sunt idem, si enim Luna potest esse substãtia æterna, sequitur ergo est substantia æterna; At si posse respiciat esse accidẽtale, sic in illis posse, & esse differũt, & hoc est quod probant argumenta adducta contrà Arist. quibus quomodo sit occurendum, iam erit satis perspicuum.

Contoru. super tex. 37.

INquit Arist. (Infinito enim esse, & infinitum idem est, si substantia infinitum sit;) Cuius oppositum ab ipso habetur, 3. de Ani. tex. 9. vbi scriptum reliquit, quòd aliud est magnitudo, & magnitudini esse, aqua & aquæ esse; Sententia quam hic habet Arist, est vera, quia loquitur in separatis à materia, in quibus ratio rei, & ipsa res, sunt

An ratio infiniti, & ipsum infinitũ, sint idẽ.

idem, & ideò in præsenti textu sicut dicunt omnes, confutat Arist. Platonem, qui posuit infinitum simpliciter separatum à sensibilibus, tamq̃ actu ens & substantiam, & ipsum confutando, dicit, Si infinitum sit substantia, Infinito esse, & infinitum idem est; At ibi in 3. de Ani. loquebatur de ipsis sensibilibus, in quibus ratio rei, & ipsa res differunt: Et hanc solutionem Arist. ibi voluit: Ideò dicebat, (Quoniã aliud ẽ magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, sic autem & in multis alijs, sed non in omnibus, in quibusdam enim idem est esse carni, & carnem,) .s. in separatis à materia, at in materialibus non sunt idem, sed ratio rei differt ab ipsa re.

Controu. super tex. 48.

An sit cõueniẽs dari aliq̃ sẽper quiescẽs, & aliquod q̃ sẽper moueatur.

PRobat Arist. Impossibile esse aliquod corpus homogeneum esse infinitum, qa si sic, aut illud semper moueretur, aut semper quiesceret, quorum vtrumq; esse inconueniens asserit; At id quod pró inconueniẽti habet, non videtur esse inconueniens, cum terra semper quiescat, & Cœlũ sẽper moueatur; Respondendum est, Arist. loqui de corporibus generabilibus, & corruptibilibus, sicq; dicit, esse inconueniens aliquod tale corpus scilicet generabile, & corruptibile semper moueri, vel semper quiescere

Cum

Cũ verõ obijcitur, quòd terra semper quiescit; Dicendum est, q terra & si sẽ totum semper quiescat, secundum partes tñ mouetur; De Cœlo, nõ valet argumẽtũ, cũ Arist. loquatur de corporibus gñabilibus, & corruptibilibus Cœlũ vero sit ingñabile, & incorruptibile.

Controu. super tex. 53.

An oẽ corpus sẽsibile sit graue, vel leue.

INquit Arist. (Omne corpus sensibile aut habet grauitatẽ, aut leuitatẽ;) quã particulã (sẽsibile) plurimi exponunt, idest naturale; Ex qua propositione sequitur, Corpus cœleste nõ esse corpus sensibile, seù naturale, cũ sit expers grauitatis, & leuitatis, sicut ipse Primo Cœli diffusè declarat; Respõdẽdũ est, sicut iã dictũ ẽ in Solut. Contr. sup tex. 48. q ipse loqtur de corporibus gñabilibus, & corruptibilibus, quo circà instantia adducta nihil cõcludit; Vel q illa particula (sẽsibile) exponẽda erit, idest tãgibile, sicut & multi alij exponũt, & sic instãtia adducta concludet, corpus cœleste minimè esse tãgibile, quod erit concedendum.

Controu. j. *super tex.* 65.

An infinitũ continetur à finito.

SI infinitum continetur à finito, sicut ipse Arist. asserit in tex. ergò finitum circundabit, & ambiet infinitum, at qui hoc fieri potest? Huic dubitatiunculæ facilis est responsio, quòd continere ac-

accipitur dupliciter, vno modo vt idem est, quòd circundare, seu ambire, alio modo, vt idem est, quod terminare, & alteri dare esse; Infinitum contineri à finito, idest ab eo circundari, est impossibile, modo quo non accipit Arist. in tex. cõtinere, sed secundo modo, prò vt idem est, quòd determinare, sicq; infinitum continetur à finito, idest determinatur.

Controu. 2 super eodem tex. 65.

An materia prima cũ sit ignota, possit esse principium.

COlligitur satis clarè ex isto textu, materiam primam esse ignotam, ex quo nullam habet formam à qua terminetur; At si sic est, quomodo igitur inter principia connumerabitur, cum ignorato principio, cætera ignorentur? Respondetur, quòd materia prima ex se est ignota, at per analogiam cognoscitur, sicut ipse Arist. Primo huius tex. 69. docuit, ideò est principium; At qũo per analogiam cognoscatur, vide solut. Controu. I. super tex. 69. primi huius, vbi plura de eius cognitione dicta sunt.

Finis Contr. super III. Lib. Phys.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER QVARTVM LIB. PHYS. ARIST.

IO: LVDOVICI CHARTARII.

Controu. j. super tex. 1.



ESVS illuminatio mea sit.

Tria ptoponit Arist. perscrutanda de loco, si est, quo modo est, & quid est; Sibi contrarius videtur esse hic, & Primo Post. vbi scriptũ vbiq; reliquit, subiectum in scientia supponi, non autem probari, at locus est subiectũ in hoc Quarto Lib. Phy. quomodo igitur proponit esse inuestigandum, An locus sit? Insuper, quomodo proponere potest illa tria de loco inquirenda? cum tractatio de loco non pertineat ad Philosophum naturalem, iuxtà ea quæ scripta reliquit in 2. Lib. Phy. tex. 71. vbi dixit, quæ non mouentur, non sunt physicæ considerationis; Primæ respõdetur, altero istorũ modorum; Quod subiectum scientiæ est duplex, alterum totale, alterum

An locũ esse possit inquiri.

An tractare de loco sit munus nãlis Philosophi.

terum partiale; primum nullo modo potest probari, sed semper in scientia supponitur esse, secundum potest probari, sicq; locus est subiectum partiale; Subiectum totale semp in scientia supponitur, quia quælibet scientia recipit suã vnitatem à subiecto totali, ac penes eum à quacumq; alia distinguitur, quæ minimè obtinet à subiecto partiali; Si quis autem voluerit, locũ esse huius Quarti Lib; subiectum totale, dicet (& erit secunda solutio) q; probat locum esse Arist. inductus habitu Metaphysici, at vt naturalis Phylosophus ipsum esse supponit, Prima tamen solutio magis placet; Quo autem modo sit occurendum secundæ instantiæ, satis patet, ex Secundo huius in Solut. Controu. super tex. 71. ibi adnotatæ.

Controu. 2. super tex. 1.

An locũ esse sit p se notũ.

PRoponens Arist. de loco esse inquirendum an sit, dixit Auerroes, q; Arist. non intendit perscrutari de suo esse demonstratiuè, sed dialecticè, quia locum esse, est per se notum; Obijcitur, si locum esse est per se notum, ad quid ergo Aristot. tot rationes ad probandum locum esse affert: cum eius mos sit in rebus notis non adducere rationes, sed tantum illas cõfirmare inductione, vel

ne, vel argumento à simili, vel ex communi consensu, sicut fecit in principio Primi Lib. Post. dum inductione confirmauit illam propositionem, Omnis doctrina, &c. Similiter in principio Primi huius, ex communi omnium consensu confirmauit illam propositionem, Omnis methodus habens principia, &c. Sicut etiam in principio Primi Elench. confirmauit argumento à simili, syllogismū sophysticum esse; Quare erit dicendū, Auer. errasse; Vel nisi sic dicamus, Erit dicendum, locum esse, est per se notum, ideſt esse aliquid quod est locus, est per se notum, sed quid sit illa res quæ est locus, hoc est illud q̄ cognitu est difficile.

Controu. super tex. 2.

An de loco ab antiquis quidquā fuerit traditum.

SI quidquàm ab antiquis antè dubitatum, aut prius traditum de loco non habemus, sicut ipse asserit Aristotel. in vltimis istius text. verbis, quomodo in principio text. dicit omnes non attribuere easdem proprietates loco; sibi igitur contrarius videtur; Dicimus; quód & si antiqui aliquid de loco dixerint, illud tamen prō nihilo habetur qa nihil verè de loco determinarūt; Cōsimilē solut. adduxi in quæstionibus

nibus dilucidatis de Primis Logices Principijs, in quæst. illa, Quis fuerit Logices inuentor; Quam soluēdo, dixi Arist. fuisse eius inuentorem, & hoc præcipuè comprobabam ex ipsomet Arist. in fine Secūdi Lib. Elēch. in quo fatebatur loco, se logicam adinuenisse, eamq; perfecisse; Cui obijciebatur sentētiæ, quòd Plato qui eum præcesit, multa de ipsa Logica tradidit, & pariter quàm plurimi alij antiquorum de ipsa scripsere; Dixi, & repeto, quòd si Plato, & alij de Logica scripserint, non tamen verè, & ideò id quod de ea ab antiquis fuit tractatum, prò nihilo habetur, pariter, & in præsenti est dicendum.

Controuer. super tex. 10.

An ex elementis indiuisibilibus magnitudo cōstituatur.

INquit Arist. (Ex intelligibilibus autem elementis nulla fit magnitudo;) Quod dictum falsum videtur esse, cum materia, & forma sint elementa intelligibilia, seù indiuisibilia, ex illisq; constituatur cōpositum, quod est magnitudo diuisibilis; Dicimus, quòd ex elementis intelligibilibus, seù indiuisibilibus actu, & potētia, nulla fit magnitudo, at si ex materia, & forma resultat magnitudo diuisibilis, cōceditur hoc, quia materia, & forma sunt elementa intelligibilia, seù indiuisibilia, s. actu tantum, at potentia

sunt

sunt diuisibilia; Cum verò in verbis immediatè præcedentibus dicit, (Sunt autem sensibilium corporum elementa corpora;) Attendas, quòd per corpora sensibilia Aristot. quandoq; intelligit corpora omnia, quæ aliquo sensu possint sentiri; quãdoq; verò per corpora sensibilia intelligit corpora mista, quę tactu cognoscuntur, quo quidem modo audiendus est Arist. hic, cum dicit, sunt aũt sensibilium corporum, exponas mistorum, elementa corpora.

Controu. super tex. 23.

IN hoc tex. dum affert tertium modũ, quo aliquid est in alio, inquit, (Vt homo in animali, & omninò vt species in genere;) Ex quibus colligitur verbis, genus seruari posse in vnica tantum specie; Cuius oppositum à Porphy. habetur, dum diffinit ipsum genus, ac pluribus in locis in Cap. de specie; Dum verò in verbis immediatè subsequẽtibus affert quartum modum essendi in alio, q est sicut accidens in subiecto, qui modus ab Arist. exprimitur per illa verba, (sicut sanitas in calidis, & frigidis;) Addit, Et omninò forma in materia;) Sic dicens, videtur affirmare, quòd omnis forma sit accidens; Quod esse falsum, non eget aliqua probatione; Solutionem Primi habes in Solut. Contr. super

An forma sit in materia, sicut accidens in subiecto.

Lib.

Lib. Post. in Solut. Controuers. super text. eiusdem Primi; Quo ad secundum, exponas particulam illam (&) prò vel; Quod si non placet, sed velis, accidens esse in subiecto, sicut forma in materia, ob hoc non sequitur, quòd quælibet forma sit accidens, eo quia nullum accidens dat esse rei, at forma, & præcipuè substantialis, semper dat esse rei, dico substantiale, ad differentiam accidentiũ, quæ si videantur dare esse rei, illud est esse accidentale, ideò non sequitur, quòd quælibet forma sit accidens; Attendas hic etiã, quòd Arist. afferens secundum modum essendi in alio, rectè dixit, (Vt totum in partibus,) non autem dixit in singulari, (vt totum in parte,) sicut in singulari fuit loquutus, dum assignauit primum modum dicens, (& omninò vt pars in toto,) Rectè inquàm in plurali dixit, (vt totum in partibus,) quia significare voluit, totum in vna parte minimè posse saluari, benè saluatur in omnibus simul sumptis.

Controu. super tex. 25.

An superficies sit pars corporis.

VIdetur Arist. vocare superficiem partem corporis, concedit enim aliquid esse in seipso per partes; Et ideó habet illa verba; (Quapropter cum sint partes, erit ipsum in seipso, vt album in homine, quoniam

quoniam in corpore, & in hoc, quoniã in superficie;) At huius oppositũ habetur ab Arist. 3. Cœli vbi docet, ex supficiebus corpus non constare; Nisi dicamus ipsum vocare superficiem partem corporis, ad illum sensũ, quatenus ipsa superficies est aliquid corporis, erimus coacti dicere, ipsum Arist. illud affirmare ex aliorum opinione; primum tamen magis probo.

Controu. super tex. 30.

An proprietates loci rectè ab Aristot. assignatur.

VT posit determinare veritatem de loco, incipit enumerare eius proprietates, quæ secundum Diuum Thom. sunt quatuor, secundum verò Themistiũ, ac Auerroem, sunt quinque, at iuxtà mentem Simplic. sunt octo; Sed quomodocumq; sit, hoc parum refert, quia duas primas D. Thomas, ac Auerroes prò vna accipiunt, & sic de alijs; Sed ad propositum reddeuntes, dum affert primam loci proprietatem, quæ est, cõtinere, sic inquit, (Censemus igitur locum esse primum quidem, quod cõtinet illud cuius est locus;) Secunda loci proprietas est, vt distinguatur à locato, dicit n. (Et nihil ipsius rei esse,) Dat tertiã, & inqt, (Amplius, primũ locũ neq; minorem, neq; maiorẽ;) In qbus verbis vult locum propriũ esse æqualem locato

cato, adeò quòd ab ipso non excedatur, nec ipsum excedat; At si loquitur de loco proprio, vt patet, quomodo afferens primam loci proprietatem dixit, (Censemus igitur esse locum primum quod continet locatum;) cũ talis proprietas competat cuilibet loco, & nedum proprio; Notandum est, quòd deceptio stat in illa particula (Primum) quam accipit, dum affert primam loci proprietatem, vt significat ordinem proprietatum, adeò ꝙ sensus sit, Primum. ſ. loci proprium est, quòd continet illud, cuius est locus; dum verò affert tertiam loci proprietatem, accipit illud (Primum) vt idem est quod proprium, cũ talis proprietas tantummodo de loco proprio habeat veritatem, est enim ille qui locato est æqualis.

Contro. super tex. 36. & 37.

An locus sit spatiũ mediũ inter latera continentis.

PRobat Arist. in his duobus contex. locum non esse spatium medium inter latera continentis; At huius oppositum clarè colligitur ab Arist. in Prædic. Cap. de Quantitate, vbi vult locum esse quantitatem continuam, & assignat rationem hanc, quia eius partes copulantur termino cõmuni, quo copulantur partes corporis, at hoc esse non potest, nisi locus sit spatium separatum, penetrans corpus secũdum tres dimensiones; Di-

cendum

cendum est Arist. ibi loquutum esse secundū mentem vulgarium, qui asserunt, locū ēē spatium separatum inter latera continentis, at hic loquitur ex mente propria; Quód ibi loquutus sit secundum vulgares, patet, quia ibi dixit quinq; esse species quantitatis continuæ, & enumeratis tribus primis, quæ sunt, linea, superficies, & corpus, addens alias duas dixit, (Amplius præter hæc, locus, & tempus,) Omnes notarunt Arist. addidisse particulā illam, (Amplius præter hæc,) vt significaret se loquutum esse secundum vulgares, qui dicūt locum, & tempus esse quantitates continuas; Nec alicui debet esse mirum, si ibi disputans de loco sit loquutus secundum communem aliorum opinionem, eo quia ibi non erat locus proprius disputandi de eo.

Controu. super text. 39.

An locus rectè diffiniatur per superficiem.

IN isto contex. concludit Arist. locum esse superficiem corporis continentis, ex quo nullum illorum trium est, nec forma, nec materia, nec spatium medium; Obijcitur id quod diffinitur per superficiem nō est superficies, at locus diffinitur per superficiem, ergó, &c. Mai. patet, quia idem non diffinit seipsū; Quód argumētū nihil cōcludit, qa à pari ꝓbaretur ꝙ homo nō ē animal, quia

id quod diffinitur per animal, non est asal; Quare dicendum est ècontrario, argumentũ cõcludere, sicut id quod diffinitur per animal, est animal, sic quoq; id quod diffinitur per superficiem est superficies, quare illius argumenti mai. est falsa, & rectè potest negari; Nec ob id sequitur, idem seipsum diffinire, cum alia sit ratio superficiei diffinientis, à superficie diffinita, Cum etiam non sit verũ, locum diffiniri per superficiem, licet diffiniatur per id quod est superficies, quemadmodum & homo non diffinitur per hominẽ, licet diffiniatur per id quod est homo, videlicet per animal rationale.

Controu. super text. 41.

An diffinitio loci ab Arist. data, sit cõueniés.

COlligit Aristot. in vltimis verbis istius contex. diffinitionem loci, quæ talis est, Locus est terminus corporis continentis immobilis primus; Quæ loci diffinitio tot errores videtur in se claudere, quot termini in ea sunt positi; Et quòd ita sit declaro, dubitando contrà vnũquẽq; terminum in ea positum, & primò contrà primum, qui est, locus est terminus; Nullum absolutũ diffinitur per respectum, locus est ens absolutũ terminus verò est ens respectiuum, ergo; Mai. est Arist. 7. Metaph. ac 8. Topi. quibus in locis docet Arist. quòd nullum posterius diffinit

finit suum prius, quod liber autem absolutū est prius ente respectiuo, sicq; est in præsenti, locus enim est ens absolutum, cum locus positus sit ab Arist. in prædicamento quantitatis, quæ est ens absolutum, terminus verò est ens respectiuum, & est loco posterior, qz est ad aliquid, & ea quę sunt ad aliquid sunt posteriora suis fundamentis; Secundō arguo contrà illam particulam (corporis) illud q, est corpus non est terminus corporis, locus est corpus, ergo Maj. patet, quia nihil seipsū terminat, minor probatur, mēsura debet æquari mensurato, locus mensurat corpus, ergo illi æquatur secundum tres dimensiones, Insuper, si locus non esset corpus, tunc esset præcipuè res longa, & lata carēs profunditate, sed hoc est impossibile, quia tūc illa res vel esset substantia, vel accidens, nō substātia, quia cum sit corporalis, esset profunda, cum omnis substantia dimensiua habeat tres dimensiones; Nec erit accidens, quia omne accidens habet subiectum sibi adæquatum, tunc sequitur, quód erit aliqua substantiā lō ga, lata, carens profunditate, quod videtur impossibile, igitur locus erit corpus, non aūt vltimus terminus corporis, cum nihil sit suimet vltimum; Adde, q, si locus esset vltimus terminus corporis, tunc locus non esset spe-

ties quantitatis distincta à superficie, cuius oppositum in Prędica. Cap. de Quantitate; Patet consequentia, quia etiam superficies est res longa, & lata; Amplius si locus esset superficies, loca non distinguerentur spetie, & est contrà Arist. in tex. 4. huius; probatur cõsequentia, quia omnes superficies, quatenus superficies sunt eiusdem spetiei; Accedit, & differentiæ loci nõ sunt superficies, ergo nec locus, consequentia est satis nota, cum differentiæ sint in eodem prædicamento cum eo, cuius sunt differentiæ, antecedens probatur, quia differentiæ loci sunt sursum, & deorsũ, quæ sunt in Prædicamento vbi, superficies verò est in prædicamento Quantitatis; Vltrà, si locus esset superficies, locus non adęquaretur locato, cum locatum sit longum, latum, ac profundum, superficies verò sit tantummodo longa, & lata; Tertio principaliter arguo contra illam particulam (continentis,) quia non minus superficies contenti dicitur locus, quàm superficies cõtinẽtis, ergó malè dicitur, quód sit vltimus corporis continentis, probatur antecedens, sicut enim vltimum aeris est locus aquæ, ita & ècontrà, vel quęro causam diuersitatis, cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio, sicut enim aquæ locus est vltimũ aeris, ita & locus aeris erit vltimũ

aquæ;

uquæ; Quarto est instantia contrà illam particulam (Primus,) quia Auerroes, ac ferè omnes alij dicunt, q̃ prædicta particula ponitur ad hoc vt distinguatur locus proprius à loco communi, cum proprius primò contineat, cõmunis aũt non primò continet, sed ratione alterius; at cum locus ita dicatur de cõmuni, sicut de proprio, ergò insufficiens erit Arist. cum ipse non assignauerit diffinitionem cõuenientem loco cõmuni q̃ per illã particulã (Primus) est excluſus; Vltimò malè ponitur illa particula (Inmobilis) quia locus vel est aliquid, vel nihil, non secundũ, ergò primũ, tunc sic, vel est substantia corporalis, vel accidens in corpore, non primum, quia omne corpus est per se mobile, igitur & locus erit per se mobilis, si erit corpus; Si verò sit accideus in corpore, adhuc locus est mobilis, q̃a moto subiecto mouentur omnia quæ sunt in subiecto, igitur diffinitio loci nõ est rectè assignata, cum nullus terminus sit in ea benè positus; In oppositũ ẽ Arist. q̃ sic locũ diffiniuit; Est & ratio, q̃a illa diffinitio quę explicat quidditatem diffiniti, quæ soluit difficultates circà diffinitum contingentes, quæ adhuc saluat proprietates diffinito conuenientes est recta, dixit Aristoteles in text. 31. hæc est huiusmodi, sicut patet ex pro-

cessu Arist. in isto tractatu de loco, ergó;

Fúdamẽtú ꝓ sol. argum.

Prò faciliori istarum rationum solutione est notandum, quód locus duo importat, primò dicit illud quod est locus, scilicet res denominata, seù materiale, & hoc materiale in loco dicitur superficies, vltrà hoc aliud dicit, quod est formale, & est ipsa continentia, seù vltimum corporis continentis, & hoc, qa non omnis superficies est locus, vt patet de superficie Cœli, ideó quod dat superficiei vt sit locus, est continentia, quæ dicit semper eamdẽ distantiam à lateribus continentis, istis duobus intellectis patet totus conceptus loci;

Instantia cõtra fúdamẽtú.

Sed statim dicet ille, si ita est, locus igitur erit quodam aggregatum per accidens, at illud tale non diffinitur, vt patet ex 7. Meta. Mai. patet, quia importans res diuersorũ prędicamentorum est aggregatum per accidens, ergò, &c. Antecedens patet, quia importat absolutum, & respectiuum, quæ duo sũt diuersorum prædicamẽtorum; Tripliciter huic

Sol. Nominal.

argumento respondetur, Prima responsio ẽ omnium Nominalium, qui concedunt consequens, & consequentiam, & quod locus sit verè aggregatum quodam per accidens, & quòd propriè non diffiniatur, sed ꝙ tantum describitur, si autẽ Arist. dicit ꝙ illa sit diffinitio; Dicunt quòd sumit diffinitionẽ pró

nou-

notificatione; Secundus modus respondē- Secunda sol. Burl.
di est Burlei hic, qui dicit, ꝙ aliud est quòd diffinitur, aliud prò quo; Quod diffinitur est locus materialiter, qui diffinitur prò formali, s. prō continentia, sicq; locus secundū formale, est vltimum corporis continēris, sicuti etiam in Prædicab. Porphyrius diffinit genus prò animali, & non per se, sicq; vult Burleus quòd locus pro formali sit simplex, & vt sic diffinitur; Tertia responsio dicit, ꝙ Tertia sol. Burl.
& si in conceptu formali ipsius loci ponātur plura, locus tamen ob hoc non est quid aggregatum per accidens, quia illa plura locus non dicit æqualiter, sed vnum dicit formaliter, aliud prō connotato, & hanc responsionem etiam Burleus insequi videtur, sicq; locus quantum ad suum formale quod importat, est, quod continet, quod verò connotat, ac ipsum materiale, est ipsa superficies, ideō cum Arist. dicit, id quod est vltimum continentis est locus, (per vltimum) dicit materiale, per illum verò terminum (continentis) dicit formale; Quibus sic declaratis, soluuntur argumenta principalia; Ad primum dicitur Respōdet argumentis principal.
quòd locus non est purè absolutum, nec purè respectiuum, absolutum principaliter, ac prō materiali, respectiuum verò est prō formali, sicq; diffinitur locus per respectum, &

hoc non est inconueniens; Ad secundū; Negatur quód locus sit corpus, probabatur, qa mensura, & mensuratum debent æquari, quare locus locato æquabitur secúndum tres dimensiones; Respondetur quòd illa propositio est falsa de accidentibus quæ sunt partes totius, sufficit enim ei quod est pars alicuius totius, vt sit æquale secundum partē, sicq; sufficit subiectum partiale, quocirca subiectum superficiei, cum sit pars substāriæ, contentum erit parte prō subiecto sibi adæquato; Et si dicas, igitur dabitur substantia quæ habebit tantum duplicem dimēsionem; Dico quòd verum est de parte substantiæ; Similiter ad aliud argumentum respondetur, & negatur illa propositio, quód omne accidens habeat subiectum sibi adæquatum, cum talis propositio nō sit vera nisi de accidente quod non est terminus alterius, quod si erit alterius terminus, non habet veritatem; Aliter ñ respōdent Nominales, q tenent non dari pūcta, nec superficies, sed volunt, omne quod est in istis inferioribus, esse corpus, vt hic dicit Burleus, sicq; concedunt locum esse corpus, Et ad argumentum dicunt, quòd nullum corpus est terminus eiusdē corporis, sed asserunt vnum corpus posse cē terminū alterius corporis, & ideò in confinibus

agrorum

grorum ponitur vnum saxum, non aũt vnũ punctũ; Sed hanc responsionẽ non aprobo, quia multum ab Arist. recedit, sicut patet in tex. 28. vbi soluebat argumentũ Zenonis dicentis, quód locus esset in loco; Dixit Arist. locum esse in alio, sed non vt in loco, sed vt forma in materia, vel vt accidens in subiecto, cum locus sit in locato, vt forma extrinseca, at in subiecto suo intrinsecè, & inhesiuè; Sustinendo itaq; dari puncta, & superficies ad mentem Arist; ac Mathematicorum, insequor primam solutionem; Ad aliud argumentum, in quo dicebatur, q̃ locus non esset species q̃titatis distincta à superficie, cuius oppositũ dictum fuit ab Arist. in Prædic; Duo sunt modi respondendi; Quidam dixere, vt Ianunus hic, q̃ Arist. ibi loquutus est sm̃ mentem aliorum; Aliter tm̃ nũc respondeo, & dico q̃ locus quo ad materiale nõ distinguitur à superficie, licet sit aliqualis distinctio, cum omnis locus sit superficies, at nõ ẽcõtrà; Cũ verõ dicebatur, q̃ loca nõ distĩguerẽtur specie; Dicẽdũ ẽ, hoc ẽẽ verũ, cõsiderando locũ quo ad sui materiale, at quo ad suũ formale, sperie distinguũtur; Similiter, & ad aliud argumẽtũ ẽ respõdẽdũ, q̃ sursũ, & deorsũ sũt loci differẽtię formaliter sũpti, cũ locus formaliter sũptus, & vbi sũt idem, nõ autem materialiter.

Fuit

Fuit aliud argumentum in quo dicebatur, si locus esset superficies, locus locato non esset æqualis; Respondetur, locũ locato æquari, sm̃ æqualitatẽ cõtinentiæ, ac superficiei, nõ autem secundum numerum dimẽsionum, cuius ratio est, quia locato sufficit quòd locetur secundum suas superficies, secundũ quas est locabile, at quia corpus non est locabile secundum profunditatem, ideò locus locato æquatur per alias duas, secundum quas corpus est locabile, sicq; locus locato æquatur quo ad continentiam; Ad tertium principale; Respondetur quòd superficies continẽtis est locus, quia per se locat, illa verò contenti non, quia locat per accidens, contentũq; semper habet locati rationem; Dicebatur in quarto argumẽto principali, quòd diffinitio loci esset insufficiens, cum non conueniat loco communi; Animaduertendũ est, quòd locus est quid analogum, quod prædicatur secundum prius, & posterius, per priusq; dicitur de loco proprio, per posterius verò, & secundario de loco communi, vt 5. Metaph. haberur, ideò aptè, & conuenienter prius diffiniuit locum propriũ, quia ex istius diffinitione possumus deuenire in cognitionem loci communis, diffinitioneq; semp verificantur de principali analogato; Vltimo

mo argumento respondetur, quòd locus est immobilis, s. motu quo res mota mouetur, sicut dicit Auerroes, quia si aliter, motus esset otiosus; At responsio Diui Tho. nõ est omittenda, qui notat locum moueri, dupliciter cõtingere, vel secundum esse loci materiale, vel secundum eius esse formale, locus si consideretur quo ad materiale, sic mouetur, & est illa superficies, licet non per se, sed per accidens, qui demum si prõ formali accipiatur, sic est immobilis, secundum enim formã nullo modo mouetur; Cum verõ dicebatur in argumento, locus vel est aliquid, vel nihil, dicto quod est aliquid, Quærebatur vel est substantia, vel accidens, & quomodocũq; dicatur, locus semper erat mobilis; Respondeo sicut est dictum, quòd locus est immobilis quo ad suum formale; declaro, & do exemplum, Nos qui sumus in hac scola, manemus immobiles localiter vsq; ad horam; Potest qs quærere, an possimus dici locum mutasse; Dicam quòd locus cum sit vltimum continentis, si hoc vltimum consideretur quo ad materiale, sic potest dici quòd vnusquisq; nostrum locum mutauerit; quod vltimum cõtinentis si formaliter considerabitur, s. quatenus illud vltimum continentis dicit eamdem distantiam, sic non mutauimus locum, quia

R. SEMINARIO VENETO VENEZIA

licet

licet ventus flauerit, nõ remouere tamen nos potuit ab illa parietum distantia; Similiter ẽ dicendum de naui in fluuio existente, quòd locum nõ mutauerit, cum semper dicat æqualem distantiam à lateribus fluminis; Quare dicta colligendo respondendoq; argumẽto, Dico quòd illa distantia est aliquid; Cũ dicitur, vel est substantia, vel accidens; Dico q; est substantia; Cum verò dicitur, ergo erit corpus, quod corpus est mobile; Dico quòd locus pró formali est immobilis, quia semper dicit eamdem distantiam, eũdemq; respectum à lateribus continentis, sicq; Arist. vocat locum immobilem. Et hæc pró notitia loci sufficiant.

¶ In tractatu de vacuo duo præcipuè essent examinanda, alterum quod tangitur à Græcis, alterum à Latinis; Quòd tangitur à Græcis est, An rõnes Arist. cõcludant, seù an Arist. per suas rationes concludat intentum suum .s. vacuum nullomodo dari; Quod verò à Latinis pertractatur, est hoc, An posito vacuo quid possit in eo moueri; Quæ duo omitto, quia principalis intentio mea est, cõciliare Arist. dicta, remouendo controuersias quæ in eius apparent dictis; Tum quia illa sunt potius ad exercitium, q̃ ad vtilitatem; Idcircò aggredior tractatum de tẽpore, no-

dosum

dosum, arduum, ac difficilem, vtilem tamen, ac quotidianum.

DE TEMPORE.

Controv. j. super tex. 87.

IN primis notanda est necessitas tractandi de Tempore à Phylosopho naturali, quã nullus ex Expositoribus Arist. Græcis, nec Arabibus, nec Latinis, quẽ viderim, vno excepto Simplicio notauit, qui valdè dili gens fuit in hac materia; Qui assignans causam necessitatis præsentis tractatus, tres notauit causas, Quarum prima est, q. Phylosophus naturalis necessario agit de motu, motus enim positus fuit in diffinitione naturę, cumq; etiã res naturales à non naturalibus distinguãtur, per non habere principium motus in se, cum aũt oĩs motus sit in tẽpore, dicit Simpl. iure merito illi erit necessariũ agere de tẽpore, cui incũbit onus tractãdi necessario de motu; Secunda causa est, quia in ore omnium est tempus, omnes enim dicunt, horam, diem, mensẽ, annum, æquum est igitur, vt Phylosophus naturalis tractet de Tempore; Tertia necessitas est, quam etiam Ioannes Gram. in principio Primi huius tetigit, quoniam Phylosophi naturalis munus est, agere de accidentibus communibus rerum naturalium, in quorum

Quę sit necessitas tractandi de tẽpore.

Prima necessitas.

Secunda necess.

Tertia necess.

in quorum numero est tempus, cõueniẽs igitur est, vt de tempore naturalis Philosophus tractet; Istæ sunt causæ quibus Simpl. doctè dicit pertinere ad Philosophũm naturalem agere de tempore; Circàq; eius dicta oritur difficultas quo modo Simplic. dicat, omnem motum esse in loco, cum Arist. Tertio huius dixerit plures esse species motus, nec omnem motum esse localem, quam eamdem sententiã dicet Quinto huius; Saluando Simpl. est dicendum, quòd omnis motus est in loco, ob id quia omnis motus præsupponit motum localem, qui prior est omnibus alijs motibus, & ideò à tex. 51. vsq; ad tex. 61. Octaui huius docebit Aristo. quòd omnis motus præsupponit motum localem, quî cæteris omnibus alijs est prior natura, tempore, ac perfectione.

An oĩs motus sit in loco.

Controuer. 2. super eod. tex. 87.

De ordine istius tractatus de tẽpre.

SEcundo loco notandus est ordo Aristot. quare volens agere de tempore situauerit ipsum in hoc loco, cum de hac causa nullus ex Arist. Expositoribus mentionẽ fecerit, præter ipsum Simpl; Qui eam assignãs dicit. quòd Philosophus diffiniens naturã, dixit, ipsam esse principium motus, ideó de motu prius egit, Cum autem motus sit de genere continuorum, continuumq; sit diuisibile in

le in infinitum, ideò de infinito demum tractauit; Insuper, quia omnis motus est in loco, & in tempore, locus autem est motui proximior, ac intimior, quàm sit tempus, est etiam locus ipso tempore magis manifestus, ideò de loco prius, quàm de tempore tractauit; At quia multi antiquorum huius fuere opinionis, locum esse vacuum, ob id etiam egit prius de vacuo, quàm de tempore; Quæ Simplicia non carent difficultate; Est namq; dubium, An locus sit motui proximior, quàm sit tempus; Quòd sit tempore notior, hoc est satis clarum, quia locus est permanens, tẽpus verò fluxibile est, at permanens ipso fluxibili semper est notius, ac facilius cognitu; At quòd locus sit motui intimior, hoc est difficile, quia Aristo. 12. Metaph. text. 29. videtur oppositum dicere, cum dicat, quòd tẽpus aut est motus, aut eius passio; quam eamdem repetit sententiam Octauo huius tex. 10. Si ergo tempus est motus, quomodo datur res intimior se ipsa? Si verò tempus sit passio motus, vnusquisq; scit, quantam propinquitatẽ habeat passio cum suo subiecto, ergò, &c. Respondendum est cũ Auerroe Quinto huius Com. 3. vbi docet, Mobile, terminũ à quo, & terminum ad quem, hæc tria esse motui intrinseca, duo verò habet alia, Motor. s. ac

An locus sit motui intimior q̃ sit tps.

tempus,

tempus, esse motui extrinseca, cum tempus sit accidens, cum igitur locus sit terminus ad quem ipsius motus, sitq; de intrinseca ratione motus, ob id Simpl. dixit, locum esse motui proximiorem ipso tempore; Sed vnumẽt notauit Simpl. quod non est omittendum, Quòd tempus habet cum cæteris accidentibus quoddam commune, & quoddam sibi proprium, commune hoc cum alijs habet, q̃ sicut ipsa esse est manifestum, quid verò sint est cognitu difficile, sic etiam de tempore ẽ, ipsum esse est clarum, quid verò sit, est ignotum, colores enim, odores, ac sapores, & cætera huiusmodi, ipsa esse est notum, at quid sit sapor, quid odor, quid color, difficile est scire pariter est de tempore, omnes sciunt tempus esse, at quid sit, est admodum difficile;

Commune q̃ habet tps cum cæt. accidẽtibus.

Proprium temporis est istud, quòd per nullum sensum cognoscimus tempus, non oculis, non auditu, non olfatu, nec gustu, nec tactu, res vtiq; mirabilis est tempus, cum nullo sensu cognoscatur, ipsumq; esse, sit notum, tempus enim prò formali, solo percipitur intellectu.

Controu. 3. super eod. tex. 87.

An tẽpus ẽẽ sit inquirẽdũ.

PRoponit Arist. duo esse inquirenda de tempore, primum est, An tẽpus sit, vel non; Secundum, quæ sit eius natura, ideſt

ideſt quid ſit ipſm tempus; Contrà primum obijcitur ſic, probationes fiunt de rebus in manifeſtis, & ideò iuris periti dicunt, quod patet expreſsè, nō eſt probare neceſſe, at tēpus eſſe, omnibus eſt notum, cum omnes ſciant tempus eſſe, ergò non debet Ariſto. probare tempus eſſe; Reſpondetur, quòd ea quę nota ſunt ſcientificè, non poſſe probari, ſed benè logica probatione, & ideó Ariſtot. in tex. volens hoc innuere, dixit, (per exteras rationes,) ideſt per rationes communes, non autem propias, & demonſtratiuas, quæ rōnes exteræ differunt à demonſtrationis, quia illæ ſunt communes, & per probabilia terminaę, hæ verò propriè ſunt, ac ſcientificè; Ideò Ariſt. in 2. Lib. de Gen. Animal. Cap. 6. dicebat, Logicam rationem voco, quæ eſt maximè remota à ꝓpijs principijs; Ex his habetur quid ſit diffinitio logica, eſt enim illa quæ data eſt per communia, cum Dialecticus ſit artifex per communia procedens, vt ſi quis diffiniendo circulum dicat, Circulus eſt figura vna linea contenta, iſta erit diffinitio logica, quia hæc non tantum conuenit circulo, ſed etiam figuræ ouali, & lenticulari, & alijs cōſimilibus, at ſi aliqs dicat, ꝙ circulus eſt figura plana à cuius centro ad circūferentiā cēs lineę ductæ ſunt æquales, hęc nō erit

Quomodo rationes exteræ differant à demonſtratiuis.

Quid ſit diffinitio logica.

Quid ſit demōſtratiua.

diffinitio logica, sed demonstratiua, quãdo quidem soli conueniat circulo, non aũt figuræ ouali, nec alijs; Sed adhuc quis quæret, cur Arist. volens de tempore tractare, nõ præaccipit quid nominis temporis, sicut fecit suprà in tractatu de vacuo, in cuius cognitionẽ nos volens deducere, prius dixit esse accipiendum quid nominis vacui; Erit respondendum, quòd non semper est præaccipiendum quid nominis de re, de qua est habenda disputatio, sed tantummodo, quãdo rem illam esse est ignotum, quam si esse erit notũ, tunc de illa erit quid nominis præsupponẽdum, sicq; in præsenti, quia tempus esse est omnibus clarum, ideo de illo quid nominis non præaccipit, sicuti de vacuo, quod ab Antiquis esse opinabatur.

Controu. super tex. 93.

An ratio Arist. qua destruit opinionẽ dicentiũ ẽps esse motũ circularem, sit valida

DEstruit in hoc contex. Arist. opinionem illorum qui dicebant, tempus esse motũ circulationis, & hac prima vtitur ratione, Quælibet pars temporis est tempus vt hora, dies, annus, at nulla pars circulationis est circulatio, ergo circulatio non est tempus; Contrà quam rationem sic dubitant moderni, quælibet pars substantiæ est substantia, at nulla pars hominis est homo, ergo homo non est substantia, sicut non valet hæc ratio, ergò

nec

nec illa Aristo. erit valida, Soluunt hãc difficultatem, & benè, dicuntq; ꝙ si hæc ratio accipiatur in sensu secundum quem arguit Arist: quòd vera est, nam Aristot. secundum opinionem illorum tenet, tempus, & motum circularem esse idem re præcisè, & adęquatè, in argumento autem adducto, homo, & substantia non sunt idem re præcisè, & adæquatè, quocircà Arist. ratio contra eos rectè concludit.

Controu. super tex. 96.

PRobat secunda ratione quod tempus nõ sit motus, & sic arguit. Motus est tardus, vel velox, tempus non est tardum, nec velox, ergo tempus non est motus; probat minorem, nam velox, & tardum tempore determinantur, sicut patet ex eorũ descriptionibus in textu, tempus autem tempore non determinatur; Difficultas est in minori propositione, qua dicit, tempus nec velox, nec tardum dici; Quia huius oppositum videtur colligi ex Hippoc. in Primo Aph. Primæ particulę vbi dicit, quòd occasio est pręceps sed occasio est pars temporis, cum occasio nil dicat aliud, quàm tempus opportunum; cum igitur per Arist. hic, tempus nõ dicatur velox, nec tardum, ergò nec occasio cum sit pars temporis, dicetur præceps; Saluando

An tẽpus dicat velox, vel tardum.

Quid sit occasio.

Occasio an sit prẽceps.

Hippocrate est dicendum, ꝙ occasio est tempus, quod non multum durat; non autem est dicendum, quòd occasio in modico tempore sit multa, & per consequens nec præceps.

Controu. j. super tex. 98.

An tempus possit sentiri.

SImul enim motum sentimus, & tempus;) Hæc sunt Arist. verba; In quibus apertè dicit, tempus sentiri; Quod dictum maximam habet difficultatem, quia si sic, tèpus ergò vel esset de numero sensibiliumꝑ se, vel per accidens, sed nec sic, nec sic, ergò, &c. Antecedens patet ex Aristot. 2. Libr. de Ani. tex. 63. qui sic diuidit ipsum sensibile; Consequens, ꝙ nullo istorum modorum sentiatur tempus, ꝓbatur, non enim est sensibile per se, quia nèc propriũ, nec cõmune, proprium non, quia non est visibile, nèc audibile, nèc gustabile, nèc odorabile, nèc tangibile; Nec est sensibile commune, quia sẽsibile cõmune, est numerus, motus, quies, magnitudo, & figura, quorum nullum est tẽpus; Nec est sensibile per accidens, quia si sic, ergo eius aliquod accidens sentiretur, sicuti substantia sentitur per accidens, quia eius aliquod accidens sentitur; at per nullum accidens tempus sentimus, cum illius nullum

detur

detur accidens, ergò tempus nullum sensibilium est; In oppositum sunt Arist. verba prædicta; Sciẽdum est quòd Themist. 3. Lib. de Ani. Cap. 41. dixit, quòd nullum animalium tempus cognoscit, nisi solus homo, quia solus intellectus est ille qui cognoscit tẽpus; Qua sententia stante, est respondendum, q̃ tempus non sentitur; Ad Arist, est dicendũ, quòd tempus sentitur, idest intelligitur, vel cognoscitur; Verum quia hæc non videtur Arist. mens hic, ac Primo Metaph. dicentis, quòd animalia habentia memoriã, ipsa quoq; habere prudentiã, at prudentia est futurorum, memoria verò est præteritorum, quæ præterita, ac futura pertinent ad tempus, ergo animalia etiam cognoscent tempus, ergò tempus sentietur, cum animalia tantummodò sensum habeant; Et hoc idem voluit Arist. in Libello de Mem. & Reminis. Sed notandum est, quòd Themist. considerãs quòd sensatio quæ de tempore habetur ab animalibus non est valdè distincta, ideò dixit, quòd ꝓpriè à solo intellectu percipitur quod tẽpus si animalia (semper intelligo bruta) cognoscunt, hoc non est nisi confusè, & impermistè, ideò inter hos non videtur discordia, Isto aũt prõ manifesto sic cõcesso q̃ scilicet ipſs cõfusè à sensu percipiatur, super est videre, quo-

Sol. ex Themistio.

Cõfutatio.

Saluatur solu. Themist.

Tẽpus quomodo sẽtiatur.

modo tempus sentiatur; In quo quæsito re-
Respons. Burlei. sponder Burleus, quòd tempus sentitur, ob hoc tamen non est sensibile per se, neq; per accidens, quia hæc talia sensibilia sunt per respectum ad sensum exteriorem, si aũt memoria est prę teritorum, prudentia verò futurorum sit, hæc referuntur ad sensum interiorem, sicq; concludit quòd tempus nullo modo sentitur à sensu exteriori, sed benè ab interiori, qualiscumq; ille fuerit, sicq; distinctio sensibilium, quòd aliud est per se, aliud per accidens, intelligitur de sensibilibus à potentia sensitiua exteriori, non autem interiori, & hæc opinio communiter tenetur, Verum tamen est, quosdam tenere tempus nedũ percipi à sensu interiori, sed etiam ab exte-
An tps sentiatur à sẽsu exteriori, & interiori. riori; Ad argumentum autem respondent, q; tempus est sensibile per accidens. Et si quis dicat, contrà, ergò tempus sentietur per sen-
Respons. Gaet. sibile per se; Respondet Gaetanus, quòd nõ solum sensibile per accidens sic dicitur, sed etiam, quia accidit alicui, per se sennbili, sic q; tempus quia accidit motui, qui est per se sensibilis, est .n. motus de numero sensibilium communiũ, sic inq̃ tempus dicetur sentiri per accidens, & substantia dicitur sentiri per accidens, quatenus ei accidit aliquod sensibile per se, tempus verò est sensibile per ac-

cideus

eidens, quia tempus accidit alicui per se sensibili, vt motui, si autem tempus esset idem cum motus, tempus etiam per se sentiretur, vt Themist. imponit Alexandro 2. Lib. de Anim. Quare sustinendo hanc opinionem, quã etiã Nominales tenent, sic vtiq; tempus sentitur: At sustinendo quòd tempus non sit omninò idem quòd motus, dicamus non vt Burleus, qui negat tempus esse sensibile per accidẽs, sed vt dicit Auerroes 2. Lib. de Ani. Com. 134. quòd sensibile per accidẽs dicitur dupliciter, vno modo sic dicitur, quia accidit ei aliquod sensibile per se, vt substantia, alio modo dicitur sensibile per accidẽs, sicut dicitur de aperiente feneſtram, quod est per accidens causa illuminationis, per se tamen remouet obstaculum, sic etiam tempus dicitur sensibile per accidens, qa ex sensatione motus per sẽsum exteriorem deuenit sensus interior in perceptionem temporis, non autem quòd tempus sentiatur sensu exteriori, sed quia ab aliquo per se percepto quod tempus insequitur, sic per accidens sentitur, sensu tamen interiori, sicuti de Diarij filio dicitur ab Auerroe, & non vt dicit Caetanus, quia fatuitas videtur esse dicere, quòd tempus sentiatur sensu exteriori, nisi quis fortè dicere voluerit, sicut dicit Sueſſanus hic, quẽ

Respon. Auer.

quilibet videre poterit, nec dicendum erit etiam, sicut dixit Burleus, qui omnino negat tempus esse sensibile per accidens.

Controu. 2. super eod. tex. 98.

An existétes in tenebris patiãtur.

ETenim si sint tenebrę, & nihil per corpus patiamur;) Hæc etiam suut Arist. verba; quibus videtur Arist. contradicere Medicis, qui asserunt, quòd aer continuè alterat corpus nostrum, & tamen Arist. dicere videtur, quòd quãdo sumus in tenebris, nihil patitur corpus; Breuiter est respõdendum, quòd quando Arist. dicit, in tenebris corpus nihil pati inteligendum est, corpus ipsum nihil pati, scilicet de motu sensibili; At si dicunt Medici, quòd aer continuè alterat nos, intelligunt quòd insensibiliter nos alterat.

An aer continuè alteret corpꝰ nostrum.

Controu. 1. super tex. 99.

An quantus é motus, tantum sit ét tempus.

INquit Arist. Quantus est motus, tantum & tempus videtur fuisse; Quæ verba Arist. repugnare videntur supra à text. 96. vbi dixit, quòd motus est velox, & tardus, tempus verò nec velox, nec tardum dicitur esse, quomodo ergo hic dicere potest, quantus est motus, tantum esse tempus? hæc namq; verba inuicem pugnare videntur, si enim quantus

est

est motus, tantum est tempus, & motus est velox, vel tardus, ergo & tempus, cuius contrarium ibi dixit. Simpl. hic dixit, quód comparatio nedum fieri potest inter tempus, & motum, sed etiam inter proportiones illorũ: Zimara autem voluit, quód præsens propositio intelligatur de continuatione, ita quõd sensus sit, qualis est proportio cõtinuationis in motu, talis erit in tempore; Alterius tamen mentis ego sum, & credo ꝙ non possit fieri comparatio in continuitate inter tempus, & motum; Crediderimq; Simpl. vele dicere, ꝙ qualis est proportio motus in velocitate, & tarditate, talis est proportio velocitatis, & tarditatis temporis ad illam, ita quõd si motus est in duplo maior, & velocior, tãto tempus est in duplo minus; At Ioannes Gra. fidelior dat expositionem, cui etiam ego magis adhereo, quam etiam iusequitur D. Tho. qui dixit, hic nullam esse contradictionem, cum suprà tex. 96. loquatur de quacũq; motu, & indifferenter, ad quos nõ sequitur tempus, at hic loquitur tantum de illo motu ad quem consequitur tempus, quicq; temporis est auctor, & est ille motus, qui est regularissimus, cum tẽpus sit illius passio, & talis motus est motus primi cœli; & ob id nũc rectè dicit ꝙ quãtus est motus, tãtũ dicitur esse tempus.

Sol. Sim.

Solutio Zimara.

Sol. Io Gram. ac D. Tho.

Con-

Controu. 2. super eod. text. 99.

SVper isto textu Ioannes Gra. mouet difficultatem à nullo alio tactam, & dicit, videtur quòd Arist. malè accipiat prius, & posterius esse in motu, eo quia hæc sunt in magnitudine, cum è contrario videatur esse, quod declarat, si enim accipiatur linea super qua moueatur aliquod mobile, tunc dicimus quòd si incipiat moueri ab vna parte, quòd illa pars est prima, si verò ab alia parte incipiat moueri illud idem mobile, tunc pars illa priori opposita dicetur prima, si sic, igitur prius, & posterius in motu erũt causa prioris, & posterioris in magnitudine, & nõ è cõtrà, sicut hic dicit Arist. Conatur Ioan. Gra. sic respondere, adnotando causam ob quam Arist. voluit prius, & posterius, in motu accipienda esse à priori, & posteriori in magnitudine, quam dicit esse hanc, quòd remoto motu non necessario remouetur magnitudo, sed benè è cõtrà, motus igitur ob hoc videtur q̃ habeat esse à magnitudine, si sic, igitur accidentia consequentia motum pariter habebunt esse à magnitudine, quocircà prius, & posterius in magnitudine erũt vt causa prioris, & posterioris in motu, & non è contrà; Quæ responsio Ioannis primò potest habere hanc instantiam, quòd ipse sic dicẽs videtur

An prius & posterius in motu sint in magnitudine, vel è contra.

Solu. Io. Gra.

Confut.

supponere

supponere quòd destructo motu, adhuc remaneat magnitudo, quod est falsum, quia destructo motu cœli, nulla esset magnitudo; Sed transeat hoc, quia quis posset dicere prò Ioanne, attendas quod ipse loquitur de motu logicè; Ob hoc addo aliam rationem cõtrà ipsum, quæ maiorem facit difficultatem, quia ipse sic dicens vt suprà, videtur velle quòd motus habeat esse à magnitudine, ꝙ si ita sit, Contrà eum sic arguo, quòd licet omnia accidentia mundi habeant esse à substantia, quia omnia accidentia ad illius destructionem destruuntur, ob hoc tamen non valet dicere, ergò omnia accidentia primò insunt substantiæ, eo quia sunt aliqua accidentia quæ primò insunt accidenti, sicut habere tres angulos, primò ineſt triangulo, igitur sua ratio non erit valida; Et ideò suæ rationi satisfaciendo; Dico ꝙ sua ratio nulla ẽ; Vera sol. quia totum oppositum probat illius, ꝙ vult ipse probare, quod ostendo, & noto, ꝙ prius, & posterius sunt termini respectiui, hæc enim pars dicitur prima, quia est prima respectu loci ad quem mobile vadit, & non quia ab illa incipiat motus, & quia hæc pars in magnitudine est prima respectu alterius partis ad quam terminat motus, idcircò in motu hæc pars est prior respectu illius in qua termina-

tur

tur motus, ergo sequitur, quòd prius, & posterius, in motu semper sit ratione magnitudinis, sicq; Arist. dictum semper erit verum.

Controu. 1. super tex. 101.

An tempus sit numer'.

DVbitatur quomodo Arist. possit dicere tempus esse numerum, cum tempus sit quantitas continua, numerus verò sit quantitas discreta; Ioannes Gram. dicit, q; si tempus esset numerus numerans, quòd de facto tempus non posset esse continuum, verùm quia est numerus numeratus, ideò ei nõ repugnat quòd sit continuum, vt lãceam dicimus esse tantæ quantitatis, & numeramus ipsam, & tamen est quantitas continua, sic in proposito dicit, tempus in eo quod mensurat motum, sic est quantitas continua, at meritò considerationis nostræ est quantitas discreta, quia secundum nostram imaginationem ei attribuimus numerum: imaginamur enim q; sit habens plures partes, tam & si partibus careat; At iterum instat Ioannes Gram. Qui fieri potest, quòd tempus sit numerus numeratus, si tempus numerat omnes motus? ergo potius tẽpus erit numerus numerans; Ad hoc respondet Io. Gra. quòd tempus est numerus numerans omnes motus, at prius est numerus numeratus ab alio .s. ab anima, sicq; prius est numeratus numerus, quàm numerans; verum

Tẽpus quomodo sit quãtitas continua, & discreta

An tempus sit numerus numerãs vel numeratus.

Sol. Io. Gra.

Io.

Io. nec ex toto sibi satisfaciens subiungit, ꝙ si essent duo baculi æqualis magnitudinis in longitudine, sic vnus mẽsuraret alium, sicut tunc diceremus, ꝙ vnus mensurat alium, sic ẽt diceremus alium ab alio metiri, sic etiam de tempore, & motu erit dicendum, quód cum sint æquales, vnum mensurare alium; Quod dictum apud me est suspectum, cum tempus fortasse non sit mensura primi motus: nõ .n. respectu illius est mensura, sed passio; & illi comparatur tamq̃ proprio subiecto; ideõ tẽpus non est numerans respectu illius: at de alijs motibus sinè dubio fallum est, ꝙ sit numeratus ab alijs, quia tẽpus nõ est illis æquale; licèt de primo motu fortasse sit, vel possit esse verum, quód sit illi æqualis; sicq; tẽpus esse numerũ, & numeratũ, nõ erit incõueniẽs.

Controuer. 2. super eod. tex. 101.

THemistius, ac Simp. hic introducũt difficultatẽ motam à Galeno contrà Aristotelem, qui voluit ipsum repræhendere, eo quia diffinit tempus per ipsum tempus, quod declarat; Enumeràtis varijs significatis prioris, & posterioris à Galeno dicit Themistius; de quibus Arist. 5. Metaph. tex. 16. nullũ aliud dixit Galenus cõgruere diffinitioni tpis, p̃terq̃ prius, & posterius tpis, qua

An Aris. diffiniat tẽpus per ipsum tẽpus.

qua de re efficitur, vt tẽpus sit numerus motus secundum prius, & posterius temporis, Themist. respondens, primò dicit non esse verum, quòd prius, & posterius quæ sunt in motu habeant à tempore vt prius, & posterius sint, sed è contrario est, quia prius, & posterius quæ sunt in magnitudine, sunt causa prioris, & posterioris quæ sunt in motu, & prius, & posterius quæ sunt in motu, sũt causa prioris, & posterioris quę sunt in tempore, vndè Arist. in tex. 99. demonstrauit quòd prius, & posterius sunt prius in magnitudine, quàm in motu, & prius in motu, quàm in tempore; Secundo respondet Themist. & cõcedit Galeno, prius, & posterius in motu nil aliud significare, nisi prius, & posterius tẽporis, nullumq; hoc esse inconueniens dicit, quandoquidem diffinitio, & diffinitum idẽ sunt, quare nihil aliud est prius, & posterius in motu, quàm prius, & posterius tẽporis; Notat tamen q; hæc secunda solutio non est ita fidelis, vt prima, quæ etiam nec mihi ita satisfacit, sicut prima, Et ideò Diuus Tho. introducens hanc difficultatem, & ei satisfaciens, contentus est prima responsione, forsã quia est magis fidelis, & ego etiam hoc crederem, quia & si tota diffinitio sit æqualis diffinito, non est tamen necessarium, vt alia

Sol. Themist. j.

Sol. Themist. 2.

qua

qua eius pars adæquetur cum diffinito, nisi ratione præsuppositionis, rationale .n. adæquatur cum homine, quia cum eo est vnum præsuppositione; Simplicius conatur contradicere Galeno, ac Themist. & valdè intricat, ideò omitto eius dicta, qa in rei veritate respõs. Themist. prima ẽ bona, ac peripathetica. *Controu. 3. super tex. 101.*

VT magis elluceſcat temporis diffinitio, superest eam examinare, vtor ordine consueto; Dubiroq; contrà vnã quamq; particulam; Et primò contrà primã, Tempus est numerus; Contrà numerus refertur ad animam numerãtem, ergò secluſa anima, tempus non esset, & per consequens, tẽpus esset de numero fictorum; Accedit, quòd omnis numerus compræhenditur sub aliquo termino, vt ternario, vel quaternario, vel aliquo alio, Sed tempus sub nullo termino cõpræhenditur, ergò tempus non est numerus; Secundò principaliter arguo contrà secundam particulam (Motus) quæ particula vel ponitur in hac temporis diffinitione, vt subiectum eius, vel vt mensuratum ab eo, sed neutro modo potest poni, quod probatur, non vt mensuratum, ratio est, quia tempus tunc non habet essentialem dependentiã à motu, prò vt dicit Themist. hic in sua digreſ-

An diffinitio tẽporis ſit recta.

sione

sione. si enim est accidens cuiuslibet motus, ergo tempus à nullo depẽdebit, quia nec ab hoc, nec ab illo, quare à nullo simpliciter; Nec ponitur vt subiectũ, quia vel esset vnus motus, qui esset temporis subiectum, vel essent plures motus, non vnus motus, quia tempus est mensura cuiuslibet motus, & ex comprehensione cuiuslibet motus percipitur tẽpus sicut declarat Aristot. in tex. 98; neq; plures motus sunt subiectum temporis; quia si sic, tunc tempora essent plura, cum subiecta sint plura: Tertiò, instо contrà illam particulam (secundum prius & posterius) hæc sunt relatiua, tempus verò est ens absolutũ cum sit in prædicamento quantitatis; nullum autem absolutum diffinitur per ens respectiuũ; sed magis econtrà, vt ab Arist. 7. Met. habetur; ergõ: Insuper prius, & posterius significant tempus, vt patet ex Arist. infrà tex. 129, ergõ Arist. diffiniet tempus, per tempus, quod affirmare est absurdum; In oppositũ est Aristot. qui sic tempus diffiniuit; Pro faciliori argumentorum solutione est notãdum, quòd tempus dupliciter accipitur, materialiter, & formaliter: Tẽpus materialiter sumptum nil aliud est quàm quantitas, per quam primus motus est successiuus, seu habet partem extrà partem, non tamen econtrà, eò quia tempus acci-

Quid sit tẽpus materialiter acceptũ.

accipitur prò mẽsura, vt annus, dies, mensis, ratio autem mẽsuræ nõ reperitur in qualibet quantitate cõtinua motus, sed solũ in primo motu, qui circularis est, qa hic motus circularis est regularis, ac vniformis, & præcipuè motus circularis primi mobilis, ergò solum illius quãtitas successiua dicitur tẽpus, ideò dixi, tẽpus esse quantitatẽ successiuã in primo motu; Tẽpus formaliter acceptũ, est mensura motus secundũ prius, & posterius, ideſt est mensura per quã mensuramus quantitatẽ successiuã cuiuslibet motus. Ex his compono integrã temporis diffinitionẽ hãc, Tẽpus est quantitas successiua subiectè existens in primo motu, per quam mensuramus quantitatẽ successiuã cuiuslibet motus; Et sic apud me hæc est tẽporis diffinitio ex qua soluuntur omnia argumenta; sed dicet ille, Hæc tua temporis diffinitio valdè differt ab illa, quam dat Arist. vt patet, igitur erit falsa. Respondeo, quòd hæc non differt ab illa Aristotelis, nisi quód hæc fusso magis vocabulo est data, at illa est breuior; Et sic dixit, tẽpus est numerus, i. est mensura, & quia non est quæcumq; mensura, ideò addidit, motus, & ego addidi cuiuscumq; motus, vt mensurati ad mensuram, quæ particula colligitur ab Aristotele infrà textum 132. Addit

Quid sit tps formaliter.

Integra temporis diffinitio

demũ, secundũ prius, & posterius; vbi Auerroes, & Themist. dicunt, quòd motus habet partes simul existentes, seù permanentes, habet etiam partes sibi inuicem succedentes, & quia tempus non mensurat mobile, qua mobile, neque mensurat motum, qua motus est, sed mensurat quantitatem motus, vt dicit infrà text. 119. subintelligas, quòd mensurat quantitatem, scilicet successiuam, non autem permanentem: Addidi, subiectiuè existens in primo motu, quia tempus quò ad suum esse materiale, est in primo motu, quod colligitur ex Arist. infrà tex. 133, Vbi nota, q. tempus potest comparari, & ad primum motum, & ad alios motus, sed diuersimodè; & hoc benè est animaduertendum, de quo etiã quis non debet obliuisci; Si comparatur alijs motibus, comparatur illis tamquàm mensura, nõ autem tamquàm passio; at si comparatur primo motui, illi comparatur tamquàm passio proprio subiecto; ideo tempus aliter mensurat primum motũ, & aliter alios motus; mensurat primum motum, sicut accidens suũ subiectum; ideo ad auferendam obscuritatem & pro claritate seruanda, addidi illam particulam, in primo motu: sicq; in diffinitione dicta, bis ponitur motus, primò vt est subiectum temporis, quia tempus quo ad suũ materiale

Nota quomodo tempus se habet ad primum motũ, & quomodo alijs motibus.

teriale est in primo motu, vt in suo proprio subiecto; secundò ponitur motus, tamquàm mensuratum à tempore: Ex quibus tunc est facilè argumentis respondere; Ad primum dico quòd tempus secũdum suum esse completũ, seù formale, dependet ab anima, at non quóad materiale suum esse, seù prò ut est quantitas, per quam motus est successiuus, seù habet partem extrà partem, quod etiam cõceditur à Themistio ex authoritate Boetij in tex. 133. Ad secundum, dico, quòd omne quod comprænditur à numero tamquàm pars, seu materialiter; comprænsum est sub aliquo numero, sicq; tempus materialiter sub numero comprænditur; nã dicimus, quód est vnus annus, vel duo anni, at tempus formaliter acceptum, seù prò mensura, per quam mensuramus quantitatẽ successiuam cuiuslibet motus, sub nullo comprænsum est termino; Argumentabatur secundó principaliter, contra illam particulá (motus) Cui respondetur, quòd motus ponitur in diffinitione temporis, vt mensuratum, cum sit mensura cuiuslibet motus; Dicebatur, ergo tempus non depẽdebit essentialiter à motu; Dico quód non, accipiendo motum, vt motus, ab illo tamen dependebit, assumendo motũ, prò ut est mẽsuratus à tempore, quia sic sunt

Solutio argumẽtorum.

relatiua, quemadmodum pater vt substãtia, non dependet à filio, ab eo tamen dependet sub ratione qua pater, cũ ambo ad inuicem sic referantur, pariter respondet Themistius; Ad tertium principale, contra illam particulam (prius, & posterius;) Respondetur, q illa particula est posita in diffinitione temporis, vt daret intelligere secundum quam quantitatem motus sit mensuratus à tẽpore; .s. secundum quantitatem successiuam, cũ .n. motus sit duplex quantitas, permanens, & successiua, per illam particulã (prius, & posterius,) circumloquitur quãtitatem successiuam motus, non autem ponit illam, vt relatiua sunt; Et per hanc solutionem soluitur etiam vltimum argumentum, negando sicut negat Themist. illa significare tempus, cum talis particula ponatur ad circumscribendã quantitatem successiuam motus, se teneantq; in hac diffinitione ex parte motus, nõ tamen qua motus est, sed vt mensuratus est per prius, & posterius, sicq; per quantitatem successiuam, sicq; omne tempus est quantitas successiua motus, non tamen ècontrà, quemadmodum, & omnis locus est superficies, sed non ècontrà, omnis superficies est locus.

Con-

Controu. super tex. 103.

TAngit difficultatem Simpl. circà hunc textum, quæ talis est, Aristot. dicit, ꝙ quamuis sint plures motus, tamen non sunt plura tempora; Cuius totum oppositum colligitur ab ipso in tex. præcedenti, in quo voluit, quòd tempus sit numerus numeratus, si sic, de necessitate videtur esse, quòd quot sunt motus, tot sint numeri numerati, & ita quot motus erunt, tot erunt tempora; si tempus esset numerus numerans, vtiq; tẽpus non multiplicaretur ad multiplicationem motus, quia potest esse vna mensura mensurãs multa, quæ tamen non multiplicatur, sicut patet de modio, cum quo mẽsuratur & triticum, & alia consimilia, modium est vnum, & idem, mensurata tamen sunt plura, ac diuersa; similiter ergò in proposito, si tempus est numerus numeratus, necessariò oportet, quòd quot sunt motus, & tot sint numeri numerati, sicq; quot sũt motus, tot ẽt sint tpa. Huic difficultati rñdet Simp. ꝙ licet tps sit numerus numeratus, ob hoc nõ sequitur, ꝙ quot sunt motus, tot sint tempora, cuius ratio est; quia tẽpus non insequitur omnẽ, & quẽlibet motũ; cũ tantũmodo tps insequatur motũ primi mobilis, sicq; tẽpus est numerus numeratus, non tamen est quilibet motus, sed est motus

An tẽpo multiplicetur ad multiplicationem motuum.

primi mobilis; vndè comparatur tẽpus alijs motibus, tamq̃ mensura mensurato, ad mensurationem autem mensuratorum non multiplicantur mensuræ: Cum igitur tempus sit numerus numeratus, non tamen sit quilibet motus, sed solummodo sit motus primi mobilis, cui comparatur, sicut passio ipsi subiecto, tũc sicut motus primi mobilis est vnus, sic quoq; tempus est vnum, cum tempus non multiplicetur per alios motus: Indè est, quòd omnes concedunt tempus esse, quia tempus pro suo materiali habet esse maximè notũ, quia tempus (sicut dictum est) est motus primi mobilis realiter, licèt formaliter demum ab eo differat.

Tempus esse, quare ab omnibus cõcedatur.

Controu. j. super tex. 104.

SAtisfaciẽdo difficultati suprà in tex. 90. propositæ de ipso instanti, in qua quærebatur, an sit vnum, & idem instans in toto tẽpore, an verò aliud, & aliud; Respondet Arist. quòd instans in tempore quoquomodo est vnũ, & idẽ, quoquomodo est aliud, & aliud Est vnum, & idem subiecto, quoquomodo etiam non est idem, sed aliud, scilicet ratione, quia est, addit (in alio, & alio) exponas tu, scilicet motu; Addit (hoc autẽ erat ipsi nunc) suppleas tu, esse quòd, scilicet sit vnomodo idem, alio modo non idẽ; Hic occurrit

Instans in tẽpore, an sit vnũ, & idẽ numero.

currit difficultas mirabilis, & difficilis examinanda, ea autem est, Nunquid Arist. velit, quòd instans sit idē re, sicut & eo modo, quo Socrates, qui modo est in foro, modo est in scholis, qui à se ipso differt alteritate accidēta li, ita etiam sit vnum instans numero hoc modo; Videtur, quòd non possit esse vnum numero instans à principio motus vsque ad finem, ratio est, quia semper fluit, & nō permanet idem, ergò; Nec videtur esse dicendum, quòd sit aliud, & aliud instans numeto; ratio est, qnia si sic, tempus ergò etiam multiplicabitur, cum tempus multiplicetur ad multiplicationem instantium; Tum quia rèmanet quæstio suprà proposita in in text. 90. Si nō est idem instans, ergó primum instās aut corrumpitur in se, aut in alio, quorum vtrumque fuit confutatum ibi; Hic soluēdo dicit, quòd remanet idem absolutè, seu re, corrumpitur verò secundum quid; Græci nescientes soluere, dixerunt, quòd ipsa instātia in tempore sunt eadem numero, eò quia non habēt accidens aliquod, per quod differāt numero: dicunt enim ipsi, quòd illa quæ numero differunt, differunt accidentē, sed quia ipsa nunc, seu instantia sunt indiuisibilia, ideò carent accidētibus, & immo sunt vnum numero hoc modo; Hæc difficultas ipsis accidit, quia iu- Sol. Gro corum.

ditio meo non intelligunt quid significet instans, benè verbo cõcipiunt ipsum instãs, conceptum tamen nullum de eo habent; Ego meam opinionem dicam, quæ si placebit, erit mihi gratum, & Deo semper gratias habebo; si verò non, dabo saltem alijs occasionem, & viam excogitandi. Crediderim hoc modo esse dicendum, quòd sicut motus, & tempus sunt vnum & idem realiter, similiter instans, & mutatum esse se habent; Credo etiã, quód instanti in tempore correspondeat punctus in magnitudine cœli, & quód ille punctus est in alio, & alio motu, sic variatur instans, & hoc etiam modo corrumpitur instans, & hoc esse verum confirmo per Aristotelis verba hic in textu, qui dixit, (hoc autem erat esse ipsi nunc.) Quo fit vt instans non sit indiuisibile in magnitudine, benè est idem re cũ puncto, sicut si in oriente imaginemur, quòd sit punctus; qui deindè fluat ad meridiem, tunc hic punctus existens in re mota consideratus prò vt hic venit; est id quod realiter est instans, differt autem secundum modum, seu ratione, idest, prò vt est in alio, & alio motu, sicquè secundum modum corrumpitur, non autem absolutè. Et sicut formale temporis est illud, quod habet esse ab anima, sic instans habet

Sol. propria.

suum

ſuum eſſe formale, prō vt ſcilicet eſt aliud, & aliud in ipſo motu; & ſic dico, quōd eſt idem ſecundum rem, differens ratione; ſicq; dico, quōd non eſt duplex inſtans, ſicut quoque dicit in textu Ariſtot. in exemplo Coriſci, quōd non eſt duplex Coriſcus exiſtens in Lytio, & in foro, ſed quōd vnus eſt re, differens ratione. Quo fit vt punctus in magnitudine vocatur mutatum eſſe, at in ipſo tempore dicitur inſtans; quo etiam modo Auerroes in Commen. 100. mutatum eſſe intelligit per inſtans. Et ex hoc habetur, quare ſi tēpus eſt motus realiter, quare tempus non diuidatur per longum, latum, & profundum, ſicut & motus; Dico quōd huius cauſa eſt, quia tempus eſt, & habet cauſam indiuiſibilem, ſcilicet inſtans ipſum, quod fluens cauſat tempus, ſicut punctus fluens cauſat lineam, quare ſi quis imaginetur, quōd punctus; ſeū inſtans fluat, tunc cauſatur tempus, & quia punctus, ſeū inſtans nullam habet profunditatem, nullamquè latitudinem, ideō nec tempus ab eis cauſatum latitudinem vllam habebit, nec profunditatem, at de motu non eſt ſic, quia cauſatur à corpore cœleſti.

Con-

An si instans est vnum, tempus quoquè sit vnum.

DIfficultas est quomodo Arist. ratio qua probat tempus esse vnum, sit valida; sic enim argumentatur, instans est vnum, ergò tempus est vnum; Ratio hæc non videtur valida, quia licet mensura sit vna, mensurata tamen possunt esse plura: vno enim stario, mille, & plura staria tritici mẽsurare possumus, at instans est mensura temporis, quomodo valet ergo, instans est vnum, ergò tempus est vnum; Difficultas hæc satis curiosa est: Arist. enim probat vnitatẽ temporis, per esse vnum instans; demum dicit, quòd instãs mensurat tempus; Ego dicerem, quód imaginari debemus instans nè dum esse temporis mensuram, sed instans etiã esse temporis causam; quòd instans sit temporis causa, hoc testantur omnes, Simpl. Auerroes, Themist. ac Ioannes Gra. qui dicunt tres esse causas causantes ista tria, scilicet motum, magnitudinẽ, & tempus; mobile est causa efficiens motus, punctum efficit ipsam magnitudinem, instãs verò est efficiens temporis; ideó benè valet, causa est vna numero, ergò & causatum erit vnum numero: sicq; Arist. rectè dicit, tẽpus esse vnum, quia instans est vnum, demum subiungit, quòd mensurat tempus secundum quod est prius, & posterius.

Controu. 3. super eod. tex. 104.

SImplicius hic adducit difficultatem multum apparentem, ac difficilem, ea autem talis est: Arist. suprà tex. 99. comparauit ista tria causata inter se, magnitudinem. s. motum, & tempus, nec non eorum tres causas, scilicet instãs, punctum, & mobile, dicebatq; quód sicut ad magnitudinẽ sequitur motus, & tempus, sic ad punctum sequitur mobile, & instans; Insuper dicebat, quód sicut mobile est vnum, & idem, sic instans est vnum, & idem; Dicit Simpl. quòd hæc cõparatio non videtur bona, quia si ipsum instãs, seu ipsum nunc haberet esse firmũ, ista vtique possent comparari, at mobile habet esse permanens, ipsum autem nunc semper fluit, quomodo ergò est similitudo inter hęc. Propter hanc difficultatem Ioannes Gra- & Simpl. expressè fatentur, quód nunc non sit vnum, & idẽ numero, sed tantum secundum speciẽ, sicut sunt motus, & tempus vt ver, æstas, autumnus, & hyems, sic quoq; volunt, q; instans sit vnum secundum speciem, minimè secũdum numerum; Sed quamuis isti sint viri clarissimi, eorum tamen sententia non videtur probanda; Et primó, quia exemplum introductum ab Arist. in textu, cogit eos dicere, quòd instãs sit vnum numero verè, non autem secundum speciem.

An mobile, & instans possint inter se comparari.

ſpetiem; Inſuper, ſi inſtans eſſet aliud, & aliud numero, tunc Ariſtotel. hic non rectè ſolueret difficultatem, ab ipſo ſuprà text. 90. motam; Dicebatur enim aut idem inſtans remanet, aut corrumpitur, & vtrumq; confutabat; Secundum reſponſionem iſtorum, corrumpitur inſtans verè, ergó ſolutio ab Ariſtot. data, quæ eſt, quòd quoquomodo inſtans corrumpitur, quoquomodo non corrumpitur, erit fruſtrà; Ego autem dico, quòd per verba illa ſoluitur difficultas propoſita; Quòd ſi dicamus ſicut iſti dicunt, quód remanet ſecundum ſpetiem, difficultas ibi propoſita nequaquàm ſoluitur; Quód declaro, Dixit Ariſtot. quòd inſtans quoquomodo eſt vnum, & idem, quoquomodo non idem, & quoquomodo corrumpitur, quoquomodo etiam non corrumpitur, per hæc inquàm verba ſoluitur difficultas illa, eo quia quod corrumpitur, ſolummodo eſt reſpectus, res autem non corrumpitur nam inſtans prõ ſuo ſubſtracto remanet, nec fluit, nec corrũpitur, licet prõ ſuo formali corrumpatur, reſpectus enim ille ſolummodo eſt qui corrumpitur, at res ipſa, & ſubſtractum permanet, & ideõ ratio Simplicij nulla eſt contrà Ariſt; qa optimè illa poſſunt comparari, & illa verba, inſtans eſt quo-

quomodo

quomodo idē, & quoquomodo non, quo pacto verificentur, constat.

Contron. 1. super tex. 108.

MInimus autem numerus quidam simpliciter quidem est, vt dualitas;) Hęc sunt verba Aristot. in principio ăstius contextus; In quibus asserit, q; dualitas est minimus numerus; considerando scilicet numerum simpliciter; Super qbus verbis adnoto vnum, de quo Io: Gram. me animaduersum fecit, & est hoc, An dualitas sit numerus; Videtur quōd non, & ratio est, qa non sibi conuenit proprietas numeri, ergō dualitas non erit numerus; Assumptum probatur, proprietas numeri est, quód multiplicatus in seipsum reddat maiorem numerum, quàm geminatus, sed hoc non conuenit binario, seu dualitati, ergō dualitas nō erit numerus; Maior declaratur, nam si accipiatur numerus ternarius qui multiplicetur in seipsum, dicendo ter tria ter, facit nouem, qui si dupletur facit sex; Similiter numerus quatuor si in seipsum multiplicetur, constituit numerum sexdecim, qui si geminetur, facit octo; Pariter si accipiatur numerus quinarius, & in seipsum multiplice-

An dualitas sit numerus

tur

tur, reddit numerum vigintiquinque, at duplicatus, facit numerum decem, & sic de singulis. M^i. patet, quia dualitas siuè multiplicetur, siuè geminetur per eumdem numerum, semper cõstituit numerũ quatuor, ergó dualitas non erit numerus. Cuius oppositum omnes asserunt. Difficultas hæc profectò satis curiosa est. In cuius solutione me remitto his qui magis sciunt de ijs rebus, Ei satisfaciant Mathematici. Mihi satis sit nunc, locum hũc adnotasse, & relata à Io. Gra. recensuisse.

Controu. 2. super eod. tex. 108.

An detur minimũ tempus secũdum magnitudinem.

DIfficultas nõ dissimulanda videtur adesse in isto textu, & est contradictio in dictis Arist. hic, & in 2. lib. de Cœlo, & mundo tex. 39. Hic dicit non dari minimum tempus secundum magnitudinem, at ibi dixit singulam actionem habere tempus præfinitum, & quòd datur minimum tẽpus quo ad magnitudinem. Augetur difficultas, quia ibidem 2. Cœli tex. 28. dixit, quòd minimus motus est motus diurnus, ergò sequitur, q̃ in motu detur minimum, si sic, ergõ etiam dabitur minimum in tempore, quomodo igitur dicit hic non dari minimum secundũ magnitudinem in tempore? Dubitãt etiam moderni

demi hic, Nunquid in tempore possit dari maximum, ratio dubitandi est, quia Auerroes Tertio huius Com. 60. dixit, quòd Mathematicus, & Physosophus naturalis conueniunt in hac propositione, quòd scilicet continuũ est diuisibile in infinitum, dissentiunt verò in hac alia, quòd, scilicet cõtinuum sit augmentabile in infinitum, si sic, ergò non dabitur maximum tempus. Quo ad primũ est dicendum, quòd tẽpus potest considerari vno modo vt applicatum est rei, sicq; datur minimum tempus in quo quis exẽpli gratia potest saltare, vel legere, sicq; actiones sunt determinatæ, sic quoquè tempus est determinatũ, continuè enim ambulando, non stabo per annum ego ire ad scholas. Alio consideratur modo tempus vt magnitudo est; & quasi secundum mathematicam considerationem, sicq; non datur minimum tempus, & sic considerat tempus hic, ideò hæc dicta non pugnant inuicem, cum diuersa ratione consideretur hic, & ibi tempus, cũ in eo quòd quantum, non habet minimum; in eo autem quòd est mensura minimum habeat; Ad aliud est dicendum, quòd motus diurnus non est minimus si cõsideretur quo ad magnitudinem pertransitam, eo quia illa magnitudo est maxima, est enim octaua sphera, sed ille motus

An in tẽpore possit dari maximũ.

Motus diurnus quõ dicatur minimus, & quõ non.

dicitur

dicitur minimus quo ad tempus, eo quia fit in viginti quatuor horis, sicq; dico dari minimum in motu, eo quia per minimum intelligit velocissimum, hic autem semper considerat motum, quatenus quantus est; Ad illud modernorum, dico dari maximum quo ad mobile, sed non quo ad reiterationē, datur enim maxima moles, & est vltima sphera, non autem datur maximum quo ad reiterationem, & sic authoritas illa non est ad propositum.

Controu. j. super tex. 109.

An ratio Aris. qua probat tēpus nec velox, nec tardum dici sit recta.

INquit Arist. tempus nec velox, nec tardum dici. & dat rationem hanc, quia numerus quo numeramus nec velox, nec tardus dicitur; Hoc dictum videtur sibi cōtradicere hic, & suprà tex. 102. vbi declarās quomodo intelligat tempus esse numerū, dicebat (Tempus autem est quod numeratur, & non quo numeramus,) sicq; per numerum, intelligebat numerum numeratum; hic autem assignare volens rationem, quare tempus nec velox, nec tardum, eam assignat per numerū numerantem, sicq; sibi videtur contradicere Arist; Non potest negari quin tempus sit numerus numeratus, sicut ibi in tex. 102. dixit, sed de facto hoc concedendum est, proprietates tamen quæ conueniunt numero numeranti,

ranti attribuũrur quoquomodo numero numerato, sicq; dicimus, quòd licet numerus positus in diffinitione temporis stet prò numero numerato, quia ttmen proprietates numeri numerãtis aliquomodo attribuuntur numero numerato, & vna conditio numeri numerantis est, quòd nec velox, nec tardus sit, hæc eadem conditio conueniet numero materiæ applicato, seù numerato, sicq; tempus gratia numeri non habebit velocitatem, nec tarditatem; ratio est, quia quando aliqua proprietas non competit numero numerãti in se, nec illa conueniet eidem, vt applicatus est rei, & vt est numerus numeratus.

Controu. 2. super eod. tex. 109.

An tempus dicatur velox, vel tardum.

EST alia difficultas, quę oritur ex dictis ab Aristotele. Dicit tempus habere quasdam conditiones, quarum vna est; quòd tempus est numerus rei continuæ, ideò tempus est continuum, & quia continuum potest diuidi in infinitum, ergò & tempus. Erat alia conditio, quòd quia tempus est numerus, in quo reperitur minimum, ergò & in tempore reperietur minimũ. Tũc facio sic, tẽpus est numerus motus, ergò sicut motus ẽ velox, vel tardus, ergò & tps velox, vel tardũ dicetur. Rò hęc pcedit

per Arist. dicta; dicit enim quia tempus est numerus cõtinui, & continuum est diuisibile in infinitum pariter & ego arguo, Tempus est numerus motus, qui motus est velox, vel tardus, ergò & tempus. Quod tamen ab ipso negatur. Respõdendum est, quòd si tempus esset absolutè numerus motus habentis velocitatem, vel tarditatem, quòd argumentum profectò concluderet. At quia tempus non est numerus absolutè motus habètis velocitatem, vel tarditatẽ sed tantũmodo tempus est numerus motus, qui maximè regularis est, ideò non sequitur, tempus velox, vel tardum dici, motus autem qui maximè regularis est, & cuius tempus est numerus, est motus cœli, qui caret velocitate, & tarditate ob sui maximam regularitatem, ideò tempus nõ dicetur velox, nec tardum, sicut dicebatur esse continuum, & habere minimum.

Controu. 3. super eod. tex. 109.

Tẽpus quare fuit potius diffinitũ p discretũ, quàm per continuum.

AVerroes in præsenti Com. facit digressiunculam, in qua mouet hanc difficultatem, cũ tempus sit quoquomodo continuum, & quoquomodo discretũ, quare tempus fuit potius diffinitum per discretum, quàm per continuum, Respondet Auerroes, & dicit, nota, quòd ex parte rei, & nulla mente cogitante, de tempore non repe-

peritur

peritur nisi id quod mouetur, & motus, anima enim est quæ constituit tempus in actu, cum tempus non sit aliud, quàm numeratio prioris, & posterioris in motu; Prò quo est sciendum, in tempore duo esse, scilicet materiale, & formale, materiale est motus continuus, formale est quod habet ab ipsa anima, & est ipsa numeratio, & ideò tempus (vt dictum est) non habet esse absolutè formale, nulla mente cogitante, sed tantùmodo ipsum materiale, scilicet id quod mouetur, & motũ, at ipsum formale, scilicet numeratio prioris, & posterioris est facta ab anima; secundũ autẽ Arist. 7. Met. tex. 49. res quælibet habet esse à forma, & non à materia, cum igitur in tempore sit continuum, & discretum, & continuatio sit propter materiam, discretio verò propter formam, & discretio sit forma motus; cõuenientius ergò fuit diffinire tempus per quantitatẽ discretã, quàm per quantitatem continuam. Ex quibus sequitur addit Auerroes, quòd tempus est compositum ex continuo, & discreto; Ex quo colligas tu, non esse mirum, si tempus est cognitu maximè difficile; omnia enim, quæ media sunt, ditficilis sunt cognitionis, sicuti est anima humana, cum sit partim abstracta à materia, & partim illi cõiuncta, similiter sicuti sunt

Tẽpus quare sit cognitu difficile.

formæ elementorum, cum sint medię inter substantiam, & accidens; Hoc autem Auerrois dictum est rectè intelligendum, & notandum est, quòd tempus non est compositum ex continuo, & discreto, sicut oximel ex aceto, & mele, sed est alia compositio, de qua fit mentio 4. Cœli 26. & 2. Lib. de Gener. & Corrup. tex. 22. & est compositio per comparationem, & secundum hunc sensum dicebat Aristoteles ibi, quód elementa extrema sunt sincera, media veró sunt mixta magis, scilicet per comparationem, aer enim comparatus igni dicitur grauis, comparatus verò terræ dicitur leuis, non intelligatur igitur illud Auerrois dictum, sicut pleriquè intelligunt, sed malè, quòd elementa media sint verè mista, adeò quòd non sint sincera, cum omnia elementa sint corpora simplicia; sic quoquè tempus in proposito ab Auerroe dicitur compositum, scilicet comparatiuè; Si enim tempus consideretur ratione continuitatis, sic habet rationem quantitatis continuæ; si verò consideretur sub ratione numeri, habet tunc rationem quãtitatis discretæ. Addit Auerroes, ꝙ hoc genus compositionis conuenit omnibus magnitudinibus, quę diuisibiles sunt, in eo quòd habẽt magnitudinem, & paucitatẽ,

Tẽpus quõ fit cõpositũ ex continuo, & discreto.

do

do exemplum, linea .n. si consideretur quatenus numerabilis est, & quatenus pariter est dissecabilis, sic induit rationē discreti, & cōtinui. Addit vltimō Auerroes, ꝙ Euclides in 10. Lib. suorum Elementorū considerat magnitudines in ratione numeri, sicq; consideratio illa est permista. Ex quo est colligendū, ꝙ Arithmetica, & Geometria sunt scientię multū mistim traditæ; & indè est ꝙ numero attribuuntur proprietates quantitatis continuæ; dicitur .n. numerus cubus, & ècontrà, lineæ attribuuntur proprietates quantitatis discretæ, cū dicatur linea numeralis. Sed vltrà hęc Auerrois dicta non desunt difficultates. Primō Auer. videtur Arist. cōtradicere, dicit .n. Auer. ꝙ forma tp̄is est discretū, idcircō tēpus debet diffiniri per discretū, si sic, ergō tēpus deberet dici q̄tas discreta. Cuius oppositū habetur ab Aristotele cum ipsum in Prædic. Cap. de Quantitate reponat inter quantitates cōtinuas, Zimara hic derelinquit Auerroem, & adheret Themistio, qui vult, quòd tp̄s sit numerus numeratus. Ad argumentum autem dicit, quòd peccat per æquiuocationem, cū numerus numeratus possit esse quātitas cōtinua, numerus aūt numerans sit quātitas discreta, sicquè saluantes Themistium, dicemus nos cum Zimara, ꝙ tp̄s est numerus

An temporis forma sit quātitas discreta?

nnmeratus,& est quantitas continua,non autem est numerus numerans; Sed alia adhuc videtur contradictio in dictis Auerrois, quæ talis est, Auerroes hic dicit expressè, quòd de tempore nihil est reale, præterquàm mobile,& motum, sicquè admittit, quòd motus realiter est, At suprà Com. 104. volēs Auerroes declarare, quomodo mobile est notius motu,dicebat, quòd mobile habet esse demonstratum,motus autem nō, sed mens facit ipsum,si sic, quomodo ergō hic admittit, quòd motus realiter sit; Respondet Zimara, & isti alij cū hac expositione trāseunt,quòd motus habet duplices partes,aliæ quę correspondent mobili, scilicet prima pars motus, quæ correspōdet primæ parti mobilis, & secunda secundæ,& sic successiuè, & hæ partes simul sunt cum mobili, aliæ sunt partes motus, quæ in successione consistunt, quæ partes non simul sunt cum mobili. Quæ respōsio iuditio meo est in intelligibilis; Ideō ego aliter respondeo,& dico,quōd rectè dicit Auerroes,motum nō habere partes simul, nisi per animam, nam cum anima considerat puncta, per quæ incipit, & desinit motus, tunc constituitur motus, multa namquè facit anima, quæ non facit natura, sicquè anima per punctum medium facit, ac si essent partes

An motus realiter sit,an per animam.

tes simul ipsius motus, continuans præteritum cum futuro, ipsum autem tempus nihil habet reale, sicut habet motus, quia motus habet partes, quæ fuere; & quæ futuræ sunt, at tempus quia consistit in numero, ideò purè habet esse ab anima, quia dependet à numero, numerus autem est ab anima.

Contron. super tex. 110.

IN isto contextu intentio Aristotelis iuxtà expositionem Auerrois, est tradere accidentia, quę accidunt tempori in eo quòd est numerus absolutè, & accidentia, quæ eidem accidunt, in eo quòd est numerus numeratus. Accidens quod accidit tempori quatenus est numerus absolutè, seù numerans, est hoc, quód sit vnum, & idem vbiquè & apud omnes, sicuti exempli gratia, hic dies est idem omnibus, & vbiquè, nec multiplicatur ad multiplicationem motuum numeratorum. Accidens verò, quod accidit tempori, quatenus est numerus numeratus in motu, secundum prius, & posterius, est hoc, quòd non est idem absolutè, sed est idem subiecto, differens ratione. Qua sententia sic stante, videtur, quód Auerroes sibi, & Arist. cõtradicat hic, & suprà tex. 105.

An tempus sit numerus trãslationis, vel trãslati?

ibi dicebat, quòd erant duæ res numeratæ, mobile scilicet & motus; erant etiam duo numeri his duobus correspondentes, nam tempus est numerus motus, instans verò erat numerus ipsius mobilis; Ex his sequitur, quòd instans sit numerus rei mobilis, non autem ipsum tẽpus, sicquè contradictio stat in hoc, quia ibi dicit, quòd instans est numerus rei mobilis, scil. ipsius translati, hic verò dicit, q tẽpus est numerus translati, & ibi dicit, quòd est numerus translationis. Respondendum est, quòd hic accipit tempus cõmuniter, prò instanti, quemadmodum etiam censuit Zimara, qui hanc contradictionem notauit; Crediderimquè hoc esse rectè dictum, cum tempus causetur ab ipso instanti.

Controuer. super tex. 111.

An tempus insequatur motum circulare tantum, an & etiam rectum.

AVerroes introducens hunc textum dicit quòd Arist. in hoc textu declarat quòd accidit tempori id quòd accidit motui circulari, sensus est, quòd ita est de tempore, sicut de motu circulari, motus circularis per reiterationem est idem, sic & tempus; Ex quibus colligit Auer. tps insequi motum circularem, non aũt motum rectum & causa est, quia motus circularis potest iterũ, & iterũ fieri. Tũc cadit dubitatio hic, quia

dicet

dicet ille, non nè motus rectus potest reiterari? vtiq; sic, ergó tempus etiam insequetur motum rectum; Ad hoc est dicendum, quòd est differentia inter motum rectum, & circularem, penes eorum reiterationem, quia motus rectus non potest reiterari absq; quiete media, docebit enim Arist. Octauo huius, tex. 65. quòd inter duos motus rectos contrarios semper cadit quies media, vndè si duo homines æqualiter se habentes in omnibus, trãsirent vnum miliare, sed vnus totum miliare transiret, alter verò tantummodo medietatẽ, & post reuerteretur, citius ille pertransiret, q̃ iste, ratio est, quia hic de necessitate cadit ques media, hoc autem quomodo sit, non est præsentis negotij explicare, sed hoc esse verum est supponendum, quòd scilicet inter duos motus rectos contrarios semper cadat quies media, quæ in motu circulari non cadit, cum motus circularis fiat semper iterum, atq; iterum, nulla quiete media, sicq; cum tempus insequatur motum circularem, qui semper idem reuertitur, absq; quiete media interecedente, erit idem vbiquè, & apud omnes; Sicq; iuxtà hanc Auerrois expositionem Arist. intentio erit satisfacere huic quęsito; Quare tempus vadit in girum, scil quare tempus est circulare? Causa huius est dicit Arist. quia

An motus rectus possit reiterari.

Quare tps vadit in girũ.

quia tempus insequitur motum qui vadit circulariter: Et hic notent iuniores, quòd littera Auerrois est corrupta, & ideò multis fecit difficultatem, In principio Commenti dicit, (Declarat hoc quod,) vult dicere, (Declarat hic) .s. in isto textu, quod accidit tẽpori. &c.

Contron. super tex. 112. & 113.

An sicut mensura certificat mensuratum, ita & contrà fit.

DIcit Arist. quòd tempus mensurat motum, & ècontrà, motus mensurat tps, quod etiã videtur in omnibus rebus, cum omnes à mensuratis vicissim quoq; mẽsurentur, si nan q; dubitamus de numero, tũc per res mensuratas venimus in cognitionem numeri, Dubitat Ioannes Gramma. & dicit, videtur quòd mensura semp sit illa quæ certificat mensuratum, non autem ècontrà, quãdo enim volumus nos certificari de tritico, hoc fit per mensuram, per ipsum .s. modium, O tu dicis, etiam tu facis hoc per aliud frumẽtum; Respondet, quòd hoc aliud frumentũ fuit primò mensuratum per alium modium alias mensuratum, quare modius est prima ratio certificandi, & immediata, frumentũ verò mediata, Sed procedendo declarat, quòd fortè potius est dicendum, quòd frumentum certificat nos de mensura, Et hoc esse verum credide-

crediderim, cuius ratio est, quia semper instituimus quòd tanta quantitas frumenti, exempli gratia, quòd mille grana sit vna mina, ecce igitur quòd frumentum est illud q̃ certificat nos de illa mensura, sicq; puto esse dicendum; Sed iterum dubitat Ioan. Gram. An ita sit quòd tempus prius certificet nos de motu, an verò ècontrà sit, quòd motus nos prius certos reddat de tempore; Respondet quòd non, immò dicit quòd tempus, & motus ita se habent, sicut pater, & filius, cũ vno illorum posito, alterum ponatur, similiter, vno illorum perempto, alterũ perimatur, sic quoq; de tempore, & motu est dicendum, cum enim tẽpus sit numerus, ideò est rei numeratæ numerus, sicq; tempus non est prius ipso motu, nèc ècontrà, cum relatiua sint, relatiua autem habeant suum esse simul, ergò ambo simul certificantur; Sed cõtrà hoc dictum Ioannis est difficultas, si enim ita est, q̃ mensura certificet nos de re mensurata, & ẽ contrà, res mensurata certificet nos de mensura, sequetur igitur quòd idem respectu eiusdem erit notum, & ignotum; ex quo enim quòd mensura certos nos facit de mensurato, sic mensura est notior illo, at quia mensura ab eo certificatur, erit ergò ignotior; Burleus dixit, & alij ipsum insequentes

An tẽpus prius nos certificet de motu, vel è cõtrà.

Solutio.

Instantia contrà solutio.

Solutio.

tes dicunt, non esse inconueniens, quòd vna res sit nota vni homini, ignota verò alteri, nō enim repugnat quód vna res sit mihi nota, vobis verò ignota, vel è contrà, sicq; dicit contingere de tempore, & motu; Et si quis ad huc obijciendo dicat contrà, nos dubitantes de numero pecuniarum, nos per aliquam quá titatem illarum certificamur de ea, ergò hoc erit respectu eiusdem hominis; Respondet, quòd hoc non erit inconueniens, quia hoc erit in diuersis temporibus, & non in eodem tempore; Zimara dixit, hoc modo esse respō dendum, quód numerus absolutè, vt dicit Auerroes in Com. 112. est notior re numerata, at per accidens res numerata est notior numero, & hoc non est inconueniens; Ego autē huic responsioni adderem hoc ex Auerroe, quòd absolutè non venimus in cognitionem numeri, exempli gratia (denarij) per rem numeratam, hoc namq; non addiscimus absolutè, certus enim est nobis numerus iste, sed venimus in cognitionem numeri denarij an sit ille qui metitur talem rem, sicq; non est nobis notum an sit numerus illius rei, benè est nobis notum, illum esse numerum denarium, ignotum tamen est, quòd sit huius rei numerus; Et hoc quod nunc dico, est ad similitudinem illius dubitationis de primo

Alia Instantia.

Solutio.

Respō. Zimarę.

Respōs. 4pria.

Nota de primo cognito.

cognito, quoniam primum cognitum est prius cognitum, ergò non est quæsitum; Dicimus quòd non est dubium de cognito, sed de hac conditione (primum) dubium enim est, an sit primo cognitum.

Controu. super tex. 114.

VIt Arist. tempus mensurare motum, quia prius partem aliquam determinat, quæ postea aliud residuum motus mensurat, vt si quis nostrum brachio mẽsuraret pannum, quo mensurato, alium postea mensuraret pannum; Dubitat primo Ioãnes Gram. quare potius tempus possit hanc primam motus partem præfinire, & non omnem motum; Secũdo quærit, quomodo possit dissecari vna pars à motu, cum motus sit continuus? hoc videtur dicit esse extrà rationem dictum; Respondet Ioannes q̃ mensura est ad placitum, & ex nostra impositione, & indè est, quòd mensuræ apud omnes non sunt eodem modo, sed diuersificantur apud diuersos, ideò cum mensura sit ad placitum nostrum, quæ obijciuntur, cessant.

An tps possit prius mẽsurare vnã partem motus, q̃ oẽm motum.

Quarè mensuræ diuersificantur.

Controu. 1. super tex. 115.

INquit Aristot. quòd tempus mensurat motum, & esse ipsius; In quibus verbis est maxima difficultas, cum

Arist.

Arist. consuetudo sit, quando nominat formam, vti hoc vocabulo (esse) vt si dicat, (carnis esse) sic intelligit formam carnis, quando igitur, dicit tps mẽsurare motum, & esse ipsius, videtur tunc significare, motum habere formam, quod est falsum, quia forma non habet formam; Ioannes Gramat. dixit, quòd Aristot. sic est loquutus, quia nulla est differentia in ipsis formis, cum sit vna, & eadem res forma, & esse ipsius, sicq; in præsenti, vna, & eadem res est motus, & esse ipsius; Ego sum istius mentis, quòd hæc interprætatio non sit peripathetica, & ratio est, quia Arist. sic loquendo (esse motus) loquitur in genitiuo casu, cum autem sic loquitur, consueuit semper intelligere diffinitionem illius rei materialem, non autem loquitur in datiuo casu, quia sic tunc intelligit diffinitionẽ formalem; Quare nunc dico qnòd hic (per esse motus) intelligit durationem, & permanentiam motus, adeò quòd verborum Arist. sensus sit talis, quòd tempus mensurat motum, & esse ipsius, idest, illius durationem, ad differentiam aliorum, quorum tempus mensurat tantum durationem, at non illorum substantiam, exempli gratia, tempus non mensurat meam substantiam, sed tantummodò mensurat meum esse, idest meam durationem; at in

motu

motu, tempus mensurat & motum ipsum, & ipsius durationem, sicq; instantia adducta, nulla est.

Controu. 2. super tex. 115.

An tpe metiatur res permanẽtes.

SVper isto textu, adhuc occurrit difficultas satis curiosa, ac mirabilis, quæ est super primam tex. particulam, in qua habet, (Manifestum est autem quòd & alijs hoc est ipsum in tempore esse;) Sensus quorum verborum est, quòd alia, ea ratione sunt in tempore, quia mensurantur à tempore; Difficultas est, quid debeamus (per alia) intelligere; Simpli. introducens hanc difficultatem dicit, si tempus est mensura motus, (per alia) nõ possumus intelligere nisi motus ipsos, & ratio est, quia alia quæ non sunt motus non sunt in tempore, eo quia motus non metitur nisi motum, quòd patet, nam Socrates, columna lapis, & alia huiusmodi sunt res determinatæ, & permanentes, tempus autem est res successiua, quomodo successiuũ erit mẽsura rei permanentis, & habentis totum suum esse simul? Vnde mirabile videtur esse, quòd tempus metiatur res permanentes, & ratio est, quia mensura debet proportionem habere cũ re mensurata; Respondet Simpl. quòd primò possumus dicere, Arist. (per motum) intelligere motum localem, (per alia) intelligere

gere alios motus .ſ. alterationis, augumenti, & decrementi; At Simpl. non ſibi hac reſpõſione ſatisfacit, ideõ conatur declarare, quomodo res iſtę caducæ ſint in tempore, & dicit, quõd licet ſubſtantia rerum corruptibilium, vt hominis, equi, non menſuretur à tempore, menſuratur tamen eius permanentia, qua habent ſuum eſſe in quoddam fluxu, & ideõ ille fluxus à tempore metitur; Hæc sũt quę dicit Simpl; Ego autem in hac re decreui meam dicere ſententiam, quæ eſt, Ego mẽte concipio, res duo habere, habent eſſe, habent & permanentiam, permanentia eſt fixio formæ in materia, nam forma quando res generatur habet tantam fixionem in materia, & habens eam, tanto tempore debet perdurare, dummodõ non impediatur à morte violẽta, ſed cæteris paribus, nata eſt hæc fixio formę in materia per tantum tempus perdurare, vt exempli gratia, per annos 60. & hæc fixio formæ illa eſt, quam credo Simplicium nominare permanentiam, ſeũ durationem. hæc enim fixio eſt quæ continuõ continuè fluit, donec deueniat ad determinatũ tempus ſuæ durationis, ideſt ſuæ fixionis, continuõ illa fixio magis deletur, & in vltimo corrũpitur; Quo circà dico, quõd res iſtæ caducę vt homo, quo ad ſuam formam ſubſtantia-

lem

lem, scilicet animam rationalem non mensurantur, nec etiam quo ad suam quantitatem, tempus namq; non mensurat quantitatem rei permanentis, sed tempus mensurat motum, & quantitatem motus, rei verò permanentis tps mensurat tantum esse. i. permanentiam, adeò q; (per esse) hic intelligimus permanentiam, seu durationem, non aut quidditatē, quę duratio est fixio formæ in materia propria, quæ tanto tpe resistere potest contrarijs corrumpentibus. Hæc sunt quæ dico, non recedendo à Simplicio, sed ipsum potius declarādo.

Controu. 1. super tex. 117.

An tps excedat res in eo existentes.

IN prima istius tex. parte dat signū, & causam simul, quare nos dicamus, q; ea, quæ sunt in tempore, contineri à tempore, dicit Simpl. Et causa est, quia tempus excedit res in eo existētes, & habet eas quasi in gremio. Quæ sententia Arist videtur falsa, & sibi repugnans, quia tempus est mensura rerū existentium in tempore, mensura autem non debet excedere rem mensuratam, ergò nec tps excedet res in eo existētes, & quarū est mensura. Dicendum est cum Modernis, & Antiquis, q; mensura, s. adæquata est illa, quæ est æqualis, rei mensuratæ, at cum Arist. dicit, res à tpe contineri, eò quia ab eo excedūtur, loquitur de mēsura excedēte, & nō adæquata.

An tempus sit causa generationis per se.

ET patiamur aliquid à tempore, sicut & dicere consueimus, quòd tale facit tempus, & senescunt omnia tempore, & obliuiscimur propter tempus, sed non didicit, nec nouum factum est, nec pulchrum, corruptionis enim causa p se magis est tempus.) Hæc sunt Arist. verba, circà quę oportet animadoertere, An tempus sit causa generationis; Et videtur quòd sic, quia soliti sumus dicere, Tempus hoc manifestabit. Insuper soliti sumus dicere, A tempore discet quomodo debeat benè viuere. In contrariũ est Arist. qui in tex. hoc videtur negare, dũ dicit (Sed non didicit; nec nouum factũ est, nec pulchrum: Insuper dicit Arist. Tempus

An tempus corruptionis sit causa per se.

esse causam corruptionis, quod sibi videtur repugnare Primo huius, vbi docet, q̃ contrarium à contrario corrumpitur, sed tempori nihil est contrarium, quia sub quantitate ab Arist. reponitur, cui quantitati nihil contrariatur; ergò nec tempori quidpiam erit contrarium, ergò nec tempus erit causa corruptionis. Ad verumquè respondeo, & dico, q̃ Aristot. sapientissimè addidit illam particulam (magis) per quam dat intelligere, quòd tempus potest esse causa generationis, & corruptionis; sed magis corruptionis est causa,

quàm

quàm generationis, cuius ratio est, qa quando nobis latent corrumpentia, & ignoramus causam corruptionis, eam tunc attribuimus tempori, exempli gratia, quando nō scimus causā corruptionis Socratis in senio existentis, dicimus tunc illius causam fuisse tempus, verum propriè loquendo, nec generationis, nec corruptionis causa est, generationis non, quia illius causa semper est nota; nec ēt corruptionis est causa, quia homo in senio constitutus corrumpitur, quia humidum radicale consumptum est à calore naturali, quo humido nutriebatur, sic igitur loquutus Arist. vt ostenderet dicta de tempore esse conuenienter dicta, quia enim tempus est numeras motus, motus autem est causa corruptionis, sic & tempus magis dicitur causa corruptionis, minus verò generationis, eo quia quádo res generantur, causæ generationis sunt nobis manifestæ, ideó eas non attribuimus vllo modo tempori; Auerroes hic dixit, q. tēpus est causa corruptionis quoquomodo per accidens, respectu tamen generationis est absolutè causa per accidens; at Aristot. in tex. dicit oppositum; dicit enim, quòd tempus per se magis est causa corruptionis. Attendas, quòd ob hoc non pugnant inter se, quia Arist. accipit per se, vt contrà distinguitur

illi, quod non potest non esse, Auerroes autem sumit per accidẽs, pró vt idem est, quod per aliud; & hoc est benè notandum, quia multas soluit difficultates. Dicimus enim, quòd homo per accidens est sensitiuus, ideſt per aliud, scilicet ratione qua est animal, per se verò est sensitiuus, quia non potest homo non esse sensitiuus; sic quoquè tempus ab Auerroe dicitur causa per accidens corruptionis, ideſt per aliud, ratione, scilicet motus, cuius tempus est numerus. Est tamen causa per se ipsius corruptionis, quatenus corruptio non potest non esse absquè tempore.

Controu. 3. super eod. tex. 117.

An motus faciat distare quod inest.

ASsignans causã Aristoteles quare tempus sit causa corruptionis, dicit hoc esse, quia tempus est numerus motus, motus autem facit distare quod inest. Cuius oppositum videtur dicere octauo huius tex. 59. vbi docens præstantiam motus localis, dicit, quòd non abijcit à substantia, alij autem motus abijciunt; quando enim homo calescit, variatur in substãtia, similiter quando augetur, at cum localiter mouetur, nequaquàm. Dicendum est, quòd motus lo-

calis

calis non abijcit à subſtantia ſcilicet in qua eſt, ita quòd ſubiectum motus localis in quo eſt, non tranſmutatur ſecundum ſubſtantiam, exempli gratia, animal, & corpora cœleſtia quæ localiter mouentur, non tranſmutantur, attamen motus localis poteſt eſſe cauſa tranſmutationis in alijs; Et ideò 2. Lib. de Gen. & Corrup. tex. 56. dicebat Ariſtot. quòd motus ſolis in obliquo circulo eſt cauſa generationis, & corruptionis, non in cœlo, ſed in ijs caducis, ſicq; cum tempus ſit numerus motus corporis cœleſtis, qui motus poteſt eſſe cauſa tranſmutationis, maximè quia ille motus is eſt, per quem nos ſummus in eſſe tranſmutabili, motus enim ille facit diſtare fixionem formæ, ſeu eius permanentia in ſua propria materia, de qua ſuprà in ſolut. Controuer. 2. ſuper text. 116. & tandē eſt cauſa quòd forma exeat à propria materia, & per conſequens quòd corrumpatur.

Controuer. 4. ſuper eod. tex. 117.

An æterna ſpore menſurentur.

IN vltima parte iſtius textus dicit Ariſtoteles, quòd æterna quatenus æterna non ſunt in tempore, nec menſurantur à tempore; Super quibus verbis cadit difficultas, quæ à Simplicio introduci-

tur, quæ talis est, quòd stante sententia Arist. dicta tunc cogimur alterum duorum fateri, aut quòd non omnis motus tempore mensuretur, quia non motus cœli, cum sit æternus, æterna autem vt æterna tempore non mensurantur. Aut cogimur dicere, quòd si motus cœli tempore mensuratur, quòd æterna, vt æterna tempore mensurentur. Huic difficultati duplici ter respondetur secundum Græcos Expositores; vnomodo à Simpl. qui dicit, quòd & si motus Cœli sit æternus, non propriè tamen vnus, & idem numero est, sed successiuè alius, & alius, & ideó accepto exempli gratia motu diurno, qui nũc est, possumus vtiquè maius tempus illo motu reperire, & hac ratione à tempore mensuratur, & continetur, quia continuè est alius, & alius motus, & non idem nunc semper permanens.

Solutio Simpl.

Themistius etiam vidit hanc difficultatem, & alio modo voluit respondere, & dixit, propterea motum Cœli esse in tẽpore, quia ambo inuicem adæquantur, sunt enim vicissim connexa, cum motus sit in tempore, & tẽpus in motu. Quam solutionem Simpl. non approbat, ea enim ratione ait ipse, non erit magis in tempore motus, quàm in motu tempus. Sed etiam nos responsionem Simpl. possumus reijcere, cum repugnet Aristot. 8. huius

Solutio Them.

Confutatur Themist. fol. à Simpl.

Solutio Simpl.

vbi

vbi per longũ processum probat, quòd motus cœli diurnus est vnus, & continuus verè; isti verò alij motus inferiores sunt interfecti. Crediderim autem ego, quòd ille motus sit alius, & alius secundũ iterum, & iterum, vnus autem subiecto. Solutio propria.

Contro. super tex. 118.

SVper isto textu occurrit difficultas satis ardua, cuius signum est, quòd Philosophi grauissimi inter se maximè dissentiunt. Difficultas autem talis est, Dixit Arist. quòd tempus non solum est mensura motus, sed etiam & quietis. Aliqui secũdum Alex. dixere, Arist. assignasse tẽporis diffinitionem diminutam, quia non solum debebat dicere, tempus esse numerum motus, sed etiam ipsius quietis, cum & illam metiatur, sicut in præsenti contex. affirmat; Satisfacit Alex. cum quo consentit Themistius (& solutio est valdè mirabilis, & ideò est adnotanda, quia vobis in hac materia faciet honorẽ) Dicũt quòd isti sic arguentes, accipiũt pro eodem numerum, & mẽsuram, quod est falsum, conceditur enim, quòd tempus mensuret motũ, & quietem, non tamen conceditur, quòd sit numerus quietis. Quòd tempus sit mensura motus, hoc est sibi accidens proprium, at per hoc non constituitur tempus in esse. Quod An tẽpus sit mẽsura quietis. Solutio Alex. & Them. An numerus, & mensura sint idẽ. Tempus per quid cõstituatur.

constituit tempus in esse, est numerus motus, maxima igitur est differentia inter mensurare motum, & numerare motum, primum est suum accidens, secundum verò est de sui essentia, declaro hęc, suprà text. 102. dixit Arist. quòd tempus est numerus, & addidit, quòd intelligebat numeratus secundum prius, & posterius, & sic quando dicitur, quòd tempus mensurat motum, intelligitur quòd tempus est numeratum ab anima, & mensurat alios motus, At in quiete, prius, & posterius non possunt numerari, quia temporis essentia consistit in transitu alicuius prioris, ad aliquod posterius, qui transitus non est in quiete; Simplicius autem qui fuit stimulus Alexandri, noluit adherere huic solutioni, quòd scilicet in quiete non sit prius, & posterius, immò dicit ipse Simpl. quòd in qete est principium, medium, & finis; Prætereà non nè quies ducit nos in cognitionem temporis? vtiq; at quomodo in cognitionem temporis per quietem deduceremus si in qete non imaginaremur duo instantia? si ergò hoc verum est, ergo in quiete aderit prius, & posterius; Simplicius autem quasi contrà se dubitans dicit, si hoc esset verum scilicet quòd quies haberet principium, medium, & fi-

An quies habeat prius, & posterius.

Instãtia Simpl.

& finem, sequeretur quòd quies aliter, & aliter se haberet, ergò fluerer, si inquàm primò haberet principium, deindè medium, deindè finem, quare sequeretur, quòd quies esset motus? Tanta fuit vis istius argumenti, quòd Simpl. cõnatus est dicere, quòd motus est duplex, vnus qui opponitur quieti, & est verus motus, alius est motus, qui est ipsum esse, & fluxus ipsarum rerum, vt exẽpli gratia columnæ, quæ non semper erit, ita quies quia non semper erit, habet igitur suum fluxum; Quod confirmat, quia Arist. in tex. 119. subsequẽti dicet, quòd id quod mouetur non est simpliciter mensurabile à tẽpore, quatenus quantum quodam est, sed quatenus motus ipsius quantus est; si ergo quantitas motus metitur à tempore, pariter etiam quantitas quietis ab ipso metietur, ergò fluxum, & morum ipsius quietis tempus mensurabit, ergò duplex erit motus; Videns autem adhuc vnum argumentum contra se, adhuc dubitat, & dicit, Si quies est motus, quare dixit Aristot. quòd tempus mensurat motum per se, quietem verò per accidens; Ad hoc respondet, & dicit huius causam esse hanc, quia motus, & esse motus sunt idem, (& per esse motus

Sol. eius dem.

Instãtia Simpl.

Sol. eius dem.

tus

tus) intelligas eius durationem, si ergò tempus mensurat durationem motus, ergò & ipsum motum mensurabit, & sic per se erit mensura motus. At non sic est de quiete, cum quies, & eius duratio differant, quæ duratio quietis à tempore metitur, non autem ipsa quies, & ideò per accidens dictum est ab Arist. quietem metiri, cum tantùm eius duratio à tempore mensuretur. Vnum aliud notat Simplic. quod non est omittendum, & hoc est, quòd quies non est priuatio motus, eo modo quo cœcitas est priuatio visus, surditas auditus, hæc enim priuationes sunt occasiones à natura non intentæ, at quies est intenta à natura, quod patet ex diffinitione naturæ data ab Arist. secundo huius, quæ fuit, Natura est principium motus, & quietis, eius in quo est, &c. Hæc sunt, quæ à Simpl. dicuntur, quæ an sint vera, considerare oportet, & præcipuè illud dictum, quòd detur quies, quæ habeat motum, quod est falsum; & si benè aduertatur, suum argumentum peccat, quia procedit ab eo, quod est per accidens, ad id quod est per se, quòd quies habeat principium, hoc est, per attributionem, & quatenus correspondet principio in motu, non autem positiuè, nec proprie est

Quies an sit priuatio motus.

An detur quies habens motum.

prin-

principium in quiete; similiter de medio, & fine, non sunt propriè, sed talia dicuntur per attributionsm, quia cotrespõdet medio, & fini in motu. Sed dicet ille, si quis nunc est in principio, post nunc non est in principio, sed in medio; ergò aliter se habet, ergo quies mouetur; sicquè si datur principium quietis, exempli gratia in ægritudine, dabitur etiam medium, & finis; & quando est in principio, non erit in medio, ergò aliter se habet, ergò quiescens est in motu. Ad hoc respondeo, quòd esse aliter, & aliter, potest intelligi dupliciter, vno modo, quia subiectum in quo est variatur; itaq; sit alia, & alia forma in eo, vel secundo tanquàm in mensura, primus modus infert motum, secundus non, sicquè res quiescentes sunt in tempore, vt in mensura; sunt enim aliter, & aliter se habentes; non tamen mouentur, pariter, & vno modo mensuratur quies, quando est in principio, alio modo quando est in augumento, & hic modus essendi aliter, & aliter, non infert motum, sicut iam dictum est.

Instãtia.

Solutio.

Controu. super tex. 119.

An tps sit vnigeneũ cum motu, & quiete.

IN vltimis istius cõtex. verbis, inquit Aristoteles, quòd tempus est mensura motus, & quietis; Auer. autem in fine Com. affe-

rens

rens rationem dicit, quòd mensura, & mẽsu-
ratum debent esse eiusdem naturæ, & ratio-
nis, & ideò linea per lineam mensuratur, su-
perficies per superficiem, pariter corpus, per
corpus; Quod dictum si est verum, igitur
tempus non mensurabit motum, nec quietẽ,
sed motus per motum metietur, quies quoq;
per quietem; Dicendum est, nec aliter dici
posse credo, quòd tempus est vnigeneum cũ
motu, & quiete, sub ista ratione, quatenus
hæc tria sunt de genere successiuorum, &
ideó propter hanc vnigeneitatem, conuenièt
est, successiuum à successiuo mensurari, con-
ueniens etiam est hęc sola à tempore metiri.

Controu. super tex. 121.

An Aristot. rectè declarat instãs cõtinuate tẽpus exemplo mathematico.

DIcit Arist. quòd instans est continua-
tio temporis .s. præteriti cum futuro,
& etiam est eiudem diuisio, & hoc de-
clarat Arist. exemplo sumpto à punc̃to, quod
similiter continuat lineam, ac eam diuidit,
tandem ponit differentiam inter instans, &
punctum; Dubitat Simpl, contrà Arist. quo
hoc sit conuenienter factum, cum in negotio
naturali vtatur exemplo mathematico; Huic
dubitationi dat duas solutiones ex mente
Alex; prima est, quòd vsus est exemplo ma-
thematico, quia res naturales non sunt abso-
lutè indiuisibiles, ipse autem voluit sumere

Prima solut. Alexan.

aliquod

aliquod absolutè indiuisibile, ideo vsus est exemplo ipsius puncti, cum punctus mathematicus sit prorsus indiuisibilis; Secūdo respondet, quòd vsus est exemplo mathematico, vt daret intelligere, q̄ sicut instans per intellectum habet esse, non absolutè, sed formale, nō aūt materiale, quia hoc habet ab ipsa re, sicq; videtur quasi obtinere naturā hermaphroditam, seu mediam, sic eriā entia mathematica habent esse per imaginationē, seu ab ipsa anima, vt etiam patet ex Auerroe Tertio huius Com. 66. Idcircò vsus est exemplo mathematico; Vtraq; responsio satis conueniens videtur esse, ideò eligite quam vultis; Prō iunioribus autem noto prima verba textus in quibus habet, (Ipsum autem nunc est cōtinuatio temporis;) Quę verba in prædicatione formali non sunt intelligenda, cum instans, seu nunc non sit temporis continuatio, sed illius causa, igitur in prædicatione causali sunt intelligenda, adeó q̄ sensus sit, ipsū aūt nunc est causa continuationis temporis; & isto modo loquendi sepius vtitur Aristot. vt ira est ebulitio sanguinis, .i. est causa ebullitionis; Tonitruū est extinctio ignis in nubibus, idest causatur ex extinctione ignis in nubibus, & huiusmodi prædicationes vocātur causales, non aūt formales.

Secunda Alex. Iol.

An ipsū instās sit tēporis continuatio.

Controu.

An Arist. assignet rectã causam, quare tẽpus sit æternum.

PRoponit Aristoteles in hoc textu difficultatem hanc. Ex quo nullum tempus est quin sit aliquando, videtur ergò quòd tempus possit deficere, eò quia est compositum ex partibus finitis, quę sunt ipsa aliquando, & omnia aliquando sunt finita. Respondendo dicit Aristoteles, quód quamuis nullum sit tempus, de quo non dicatur aliquando, quia tamen tempus sequitur motum, ideò idem erit iuditium de vtroque; ita quód si motus erit finitus, tempus quoquè erit finitum, si verò motus erit infinitus, pariter tempus erit infinitum. Dubitat Alexander (referente Simplic.) contrà Aristotelem tali dubitatione, non videtur Aristot. assignare rectam rationem, quare tempus sit æternum, eó quia tempus per Aristotelem nè dum est mensura motus, sed etiã quietis; ergò dato, quòd nullus esset motus, adhuc tempus posset esse æternum, cum inquàm tempus sit quietis mẽsura, ficquè eius responsio est per causam, quæ non est causa.

Sol. Alc. Huic difficultati satisfacit Alex. eodem modo, quo suprà in solut. controuer. super tex. 118. dicitq; quòd magni refert dicere, tempus est numerus quietis, & tempus mensurat quietem, eò quia non est idem numerus, &

men-

mensura, tempus profectò est numerus numeratus motus, non tamen est numerus numeratus quietis; vtriusq; tamen, scilicet motus, & quietis est mensura; Ideò sic arguentes decipiuntur propter æquiuocationẽ, credentes, quòd mensura sit idem quod numerus, quod est falsum. Quo fit vt tempus sit numerus motus primi mobilis, & hoc est sibi essentiale, cum tempus habeat esse ab anima, quæ facit numerum hunc, & hoc est temporis essentia qua essentia facta, tũc accidit ei, & necessariò, quòd mensuret hos alios motus, sicquè temporis essentia non est in hoc, quòd mensuret quietem, benè eius est essentia, quòd sit numerus motus primi mobilis, minimè ipsius quietis. Simpl, conatur alio modo euadere hanc difficultatem, & dicit, quòd quies dupliciter cõsideratur, vno modo, vt opponitur motui, & hoc modo non mensuratur à tempore, alio modo sumitur quies, scilicet prõ duratione, quæ tunc mensuratur à tẽpore, & hoc modo quies sumpta prõ duratione habet principium, medium, & finem, sicquè aliter, & aliter se habet, quo etiam modo sumpta est aliquomodo motus, temporeq; mensuratur. Ac egõ crediderim solutionem Alex. esse meliorem, eõ quia alteritas illius quietis, est alteritas in mensura, non

Simplic. solutio.

Quies quo mensuretur à tempore

Approbatur solut. Alex.

non autem est alteritas quę faciat motum; Sed adhuc inminet difficultas, talis, si quies, perse à tempore mensuratur, cum quies sit priuatio, priuatio verò sit nõ ens, ergò quod non est, esset; si enim aliqua res est in tempore, sequitur ergò quòd illa sit, igitur quies habet esse; Ex alia verò parte, videtur quòd quies non habeat esse, ex quo quies est priuatio, priuatio verò non est, ergõ, &c. Respondeo, quòd si priuatio esset in tempore per se, vtiq; quod infertur, necessariõ sequeretur, at quia per accidens quies mensuratur à tempore, per accidens etiam est in tempore, & ista non inferunt rem esse, sicq; quod infertur non est validum.

Solut.

Controu. super tex. 127.

An repẽtè rectè ab Arist. describatur.

DEclarans Arist. quid significet repentè, dicit quòd repẽte id dicitur quod fit in tempore insensibili propter paruitatem, subintelligas scilicet temporis, in quo transmutata est res; licet illa particula (propter paruitatem) in quibusdam codicibus non legatur, tamen Lucidissimus Themist. eam videtur sic exposuisse; In quibus verbis Arist. sibi contrarius videtur hic, & indè Sensu, & Sensili; Hic concedit dari tẽpus

tempus insensibile, ibi verò dicit, nullũ tempus esse insensibile. Alex. primõ dicit, quòd quando sentimus aliquam mutationẽ, vt dolorem, vel calefactionem, semper cum illa ẽt sentimus tempus, at quando non percipimus mutationem, sed subitò illa euanescit, gratia illius non sentimuus tempus. Ad argumentum dicit, tempus esse insensibile gratia subitæ mutationis, sensibile verò gratia alicuius mutationis lentæ, seũ tardæ. Dat secundã solutionem, forsitan propter argumenti difficultatem, quando enim multiplicantur solutiones, signum est, quòd argumenta sunt difficilia, dicitquè, quòd Arist. per tempus insensibile intelligit instãs, quia tẽpus communiter sumptum est instans, at tempus verè, & propriè sumptum est sensibile. Quæ, secunda responsio est satis difficilis; qa si tempus verè sumptum est sensibile, aut ergó erit sensibile proprium, aut commune, at nullum horum est, proprium non, quia non est color, nec odor, nec sapor, nec alius aliquis. Nec est sensibile cõmune, vt patet ex 2. de Ani. tex. 64. ergó tempus verè acceptum non erit sensibile. Ad hoc sic respõderem, quòd tempus formaliter sumptum, non est sensibile, cum sit motus numeratio facta ab anima, at gratia sui materialis, idest gratia motus, sic tempus est

Prima sol. Alex.

An detur tempus insensibile.

Secunda sol. Alex.

Confut. secũda solut. Alex.

Vera sol.

sensibile. At dicet ille, tempus est numerus, ergò tempus gratia sui est sensibile. Respondeo, hoc non esse verum, quia tempus est numerus numeratus, non autem est numerus numerás, qui est de genere sensibilium communium. Nec etiam eius aliud dictum est verum, quòd scilicet instans sit insensibile, quia Aristoteles, & Auerroes suprà textu 104. dixere, quòd instans est notius tempore. Quod adhuc comprobatur ratione tali, Tempus mensuratur per instans, ergò instans est notius tempore, quia mensura semper est notior mensurato. Dicendum est cum Simplicio ibidem, quòd instans est tempore notius, eo quia de tempore non habemus nisi instans, & est quasi hoc aliquid demonstratum; quod dictum ratione comprobaui, quia instans est temporis mensura, sicquè instans sub ratione qua est temporis mensura, est tempore notius, sicut modium sub ratione mensuræ est notius tritico. At ratione qua tempus habet magnam molem, est etiam diuisibile, sic est notius, quàm sit instans, quatenus verò tempus determinatur, ac mensuratur per instans, tunc est ignotius, quàm sit instans; at instans ratione qua est quid indiuisibile, est ignotius tempore, sicquè instans erit notius, & ignotius

An instans sit sensibile.

Solut.

tius tempore diuersa ratione consideratum. Instãtia.
Sed quis peteret, An instans sit sensibile, hoc enim videtur dubium prõ vtraquè sui parte; Si enim dicas, quòd sit insensibile, sicut iam fuit dictum, ergò non erit intelligibile, cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Si verò dicas, quòd sit sensibile, tunc contradicis Aristoteli hic, dicit Alexander. Respondendum est, instans esse Solut.
insensibile. Ad instantiam est dicendum, quòd illa propositio nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, vel per se, vel per accidens, ideſt per aliud, sic est vera. Deus namquè cognoscitur, qui tamen nunquàm fuit sub sensu ratione tamen alterius, ratione scilicet suorum effectuum, qui sunt sensibiles, sic est sensibilis; pariter, & instans est sensibile, non tamen per se, sed per aliud, scilicet gratia sui effectus, qui sentitur, sentitur namquè terminatio, quam facit ipse in tempore, sicut etiam mutatum esse quatenus est indiuisibile, non sentitur, at quatenus finit motum, est sensibile. Contradictio tamen prim õ mora adhuc potest alio modo soluí secundum Themistium, quando dicitur quòd repente id dicitur, quòd fit in tempore insensibili propter paruitatem. Dicit, quòd per tempus insensibile, debemus au-

Mutatũ esse qũo sit in motu sensibile, & qũo nõ. Respon. Themis. ad cõtradic. primò motam.

dire tempus valdè modicum, seù vix sensibile, eo quia dantur mutationes subitæ, sicut illuminatio, quæ fit in instanti propriè, aliæ veró sunt transmutationes breues, vt cortuscatio, quæ fiunt in tempore insensibili, non tamen in nunc, seù in instanti propriè accepto, sed fiunt in tempore valdè veloci, & breui, Et immó per tempus insensibile, intelligitur tempus vix sensibile, sicq; tollitur contradictio.

Controu. super tex. 131.

An ratio Aris. sit recta, quá probat, ꝙ anima n existéte non erit tempus.

VVlt soluere difficultatem primam, quam proposuit in textu præcedenti 130. quæ fuit, An seclusa anima tempus haberet esse, quam iterum repetit in principio tex. qua reassumpta, probat, quòd anima non existente, non erit tempus, & ita arguit, quòd cum ipsum numeraturum non sit, nequè ipsum numerabile erit, ergò nequè numerus erit, cum ergò anima sit numeratura numerum, ergò si anima non erit, nequè numerabile erit. Insurgit Boethus contrà Aristotelem referente Simplicio, & dicit, Aristotelem malè arguere, quòd sic probat, quia si anima sensitiua non esset, adhuc tamen esset color, qui est visibilis, ergò si

anima

anima non sit, non obstat quin tempus possit esse in potentia; Ad hoc est respondendum, quòd si vnum relatiuorum est in potentia, & alterum quoquè erit in potentia, si verò erit actu, & alterum etiam actu erit, & ideò si anima non esset actu, nec potentia, tunc tempus prõ formali nec actu, nec potentia esset, pariter si non esset anima sensitiua, seù ipsa vis visiua nec actu, nec potentia, tunc non esset color in actu, nec in potentia, quatenus, scilicet est visibilis, benè pró substracto, & quatenus color esse posset, & hoc est quod probat argumentum, quòd minimè rationi Arist. obstat.

Finis Controu. Quarti Lib. Physic.

BONONIÆ,
Apud Faustum Bonardum. 1592.
Facultate à Superioribus concessa.

IOANNIS LVDOVICI CHARTARII BONONIENSIS,

Medici, ac Philosophi clarissimi.

Et in celeberrimo Patrio Gymnasio Philosophiam ordinariam vespertinam profitentis.

CONCILIATIONES DILVCIDAE

omnium Controuersiarum in Vltimos IIII. Lib. Arist. de Phisico auditu.

TOMVS POSTERIOR.

AD EVMDEM ILLVSTRISS. AC REVER. D. D. GREGORIVM PETROCHINVM S.R.E. Amplis. Card. è Monte Elparo. Dom. suum colendiss. &c.



ATENEO VENETO

BONONIAE, Apud Io. Rossium, ad instantiam Thomæ Pasini, Superiorum permissu. 1595.



CONTROVERSIARVM, & aliorum, quę scitu digna sunt index.

Primus numerus indicat paginam.
Litera A notat faciem primam.
Litera B secundam.

A

Accidentium an sit vnum primum subiectũ. pag. 75. B.
Accidens an sit necessarium. 151.b.
Agens per naturam quare vno tantum moueat motu. 96.b
Albedo an sit motus, vel albificatio. 4. A.
Albedo, & albificatio an differant. 4.b.
Alteratio an sit in quarta specie qualitatis. 70.71. A.
Alteratio an sit in qualitatibus primæ speciei. 71.72. A.
Alteratio an sit ad virtutes morales. 73.b.
Ambra quomodo attrahat paleam, & magnes ferrum. pag. 60.B.
Amor quid sit, pariter quid sit odium. 63.b.
Amor quomodo à Poetis describatur, et quare sic. 64. A.
Animalia cum propè mortem sunt, cur lætentur. 44. A.
Animalia cum moueãtur ab ipsorum anima, an moueantur secundum naturam. 132.B.
Animalium motor an sit distinctus sola ratione ab ipso mobili. 133. A.

Animalia àn moueant seipsa per se, vel per accidens. pag. 134.b.
An aliquid possit esse in actu, & in potentia insimul, & quomodo. 57.A.& 161.A.
Attractio triplex est. 61.A.
Augumentatio àn sit motus continuus. 40.A.
Aeterna àn habeant causam. 114.A.

C

Causæ àn sit causa. pag. 113.A.
Causa finalis àn habeat causam. ibidem.B.
Cælum àn moueatur naturaliter à seipso. 131.B.
Color àn fundetur in superficie. 75.b.
Compositio, diuisio, & discursus, àn sint qualitates vel modi concipiendi intellectus. 59.b.
Continuum àn possit actu diuidi in infinitum. 177.A.
Continuitas àn in quolibet motu reperiatur. 40.A.
Continuum àn componatur ex indiuisibilibus. 46.b.
Continuum àn possit componi ex his, quæ secundum se tota tangunt. 47.A.
Consequentia quid sit, àn sit actio, vel passio, vel qualitas. 50.b.
Contrariorum àn sit vna, & eadem scientia. 99.b.
Corruptio àn contrarietur corruptioni, àn etiam ipsi generationi. 43.b.
Contraria àn possint esse simul in eodem subiecto, ac in eadem subiecti parte. 44.b.
Corpora continua àn à seipsis moueantur. 137.b.
Corpora naturalia àn dicantur naturalia, quatenus habet

in seipsis principium motus activum, vel passivum. pagina. 142.A.
Criticus dies quid sit. 43.A.
Cycnus cum propè mortem est, quare cantat. 44.A.

D

Densitas, & raritas, asperitas, & lenitas, àn sint qualitates. pag. 67.A.
Densum, & rarum, àn sint in prædicamento vbi, seù an sint motus locales, & an sint sub prædicamento qualitatis, vel vbi, & quid sit. 181.A.
Dies criticus quis sit. 43.A.
Dies indicatiuus quid sit, & quis sit. ibidem.
Dies indiciarius quid sit, & quis sit. ibidem.
Disputare àn possit Aristotel. contrà negantes motum. pag. 123.A.
Diuisio motoris, & mobilis, in per se, & per accidens, àn sit recta. 129.A.

F

Ferrum quomodo moueatur ad magnetem, & ambra ad paleam. pag. 64.b.
Ferrum per quod principium moueatur ad magnetem. pag. 66.b.
Finis mouet efficiens, quomodo sit verum. 58.A.
Finis an habeat causam. 113.A.
Forma, & figura quæ sunt in quarta specie qualitatis, cur sic dicantur ab Aristot.; ab Auerroe verò qualitas in quantitate. 113.A.

G

Generationem non esse motum, an recte probetur ab Arist. pag. 6.B.
Generabile an sit in loco. 10.A.
Generatione posteriora an sit priora perfectione. 174.b.
Generari an conueniat entibus, quæ prius non sunt, & demum sunt. 178.b.
Granum milij cadens an faciat sonum. 77.b.
Guttæ centum si cauent lapidem, an medietas illarum causet medietatem illius cauationis. 185.b.

H

Homo solus cur inter animalia possit mouere contrarijs motibus, seu cõtraria efficere. pag. 96.A.
Homo si efficit contraria, an possit vtrumq; contrariorũ per se efficere, vel vnũ per se, alterũ verò per accidens efficiat. 97.A.

I

Infinito ad infinitum an sit ordo. pag. 112.A.
Infiniti tempore mouere an conueniat virtuti finitæ materiali. 181.b.
Immortale an recte possit attribui motui. 82.b.
Instans, seu nunc, an sit medium inter tempus præteritum, & futurum. 106.A.
Intellectus, & volũtas an moueãtur à cõtinenti. 118.A.
Intensio, & remissio à quo proueniant. 17.b.

L

Lenitas, & asperitas an sint qualitates. pag. 67.A.
Libertas an fundetur in intellectu, an in volũtate. 59.B.
Localiter moueri à seipsis an sit proprium viuentium. 135.A.

M

Magnes quomodo attrahat ferrum, & ambra paleam. pag. 60.b.
Magnes quare non attrahat ferrum aleo linitum. 62.A.
Magnes an attrahat ferrum ab intrinseco, vel ab extrinseco, seù an naturaliter, vel violenter. 63.A.
Magnes cur sicut agit in ferrum, non agat in aurum, vel in alio consimili. 65.b.
Magis, & minus ùn proueniant ratione contrarij. 28.A.
Magis, & minus in elementis, à quo proueniant. 28.b.
Magis, & minus in substantijs penes quid attendatur. ibidem.
Materia prima quomodo sit in loco. 10.A.
Medio quo fit motus an conueniat mouere, & moueri, & an hoc sit verum in omni motu. 157.A.
Mentem diuinam à materia separatam esse an sit verum &c. pag. 158.A.
Milij granum cadens an faciat sonum. 77.b.
Motus an sit tantum in tribus prædicamentis. 10.b.
Motus materialiter sumptus, quid sit. 12.A.
Motus formaliter acceptus quid. ibidem.
Motus an sit in prædicamento actionis, & passionis. 20.b.
Motus an sit in prædicamento situs, quando, & habere, & quare non. 21.A.
Motus in quibus sit prædicamentis, & in quibus non. pagina: 22.b.
Motus an sit in qualitate, quantitate, & vbi. 23.A.

Motus quomodo sit in prædicamento relationis, & quomodo non. 26.*A.*
Motus an sit tantum in qualitate, quãtitate, & vbi. 27.*b.*
Motus localis duplicem habet medium. 32.*b.*
Motus an specificetur à termino ad quem. 33.*b.*
Motus quomodo habeat primum, & quomodo nõ. 37.*A.*
Motus quilibet an sit continuus. 40.*A.*
Motus perfectio an sumenda sit à quiete ad quam motus peruenit. 41.*A.*
Motus an sit eiusdem rationis cum tempore, & magnitudine quo ad compositionem, & diuisionem. 48.*A.*
Motus an possit fieri super indiuisibili. 48.*b.*
Motus, & suum esse an possint esse simul. 49.*b.*
Motus an habeat principiũ, cũ positione de præsenti, & an habiturus sit finẽ similiter cũ positione de psenti. 81.*a.*
Motus volatus, & progressus an figura tantum differant. 76.*b.*
Motum incipere, & desinere affirmatiuè, & negatiuè, quid sit. 81.*A.*
Motus an possit dici immortalis. 82.*b.*
Motus an sit veluti vita quædam. 83.*A.*
Motus cœli, an sit mortalium vita. 83.*b.*
Motum esse an concedatur ab omnibus Antiquis. 85.*A.*
Motum esse æternum an ab Aristot. rectè probetur. pagina 92.*A.* & 101.*A.*
Motus an semper præsupponat alium motum. 93.*b.*
Motus an sit æternus. 109.*b.*
Motus quilibet an sit inter contraria. 116.*b.*

Motus progressiuus animalium an præsuppouat alium motum. 117.A.
Motum negantes an tollant omne ens. 123.A.
Motum negantes an magis aduersentur naturali sciontiæ quàm negantes quietem. 124.A.
Motus an sit habitus, quies verò priuatio, vel è contrà. pagina 125.A.
Motus qui semper est quis sit. 164.b.
Motus vnus numero quot habeat conditiones. 166.b.
Motus localis an sit omnium primus. 171.b.
Motus localis an auferat aliquid perfectionis à subiecto mobili. 175.b.
Motus localis an sit cæteris motibus prior natura, tempore, & perfectione. 176.b.
Motus si est vnus, an etiam motor sit vnus. 186.b.
Moueri omnia an sit verum, & quomodo. 126.b.
Moueri localiter à seipsis an sit viuêtiũ propriũ. 135.A.
Moueri à seipso an cõueniat corpõribus continuis. 137.b.
Mobile, & mouens an præcedant motum tempore, vel natura. 88.b.
Mobile, & mouens an remaneant post desitionem motus. pagina. 109.A.
Mobile per partẽ an dicatur simpliciter mobile. 1.A.
Mobile quod mouetur an sit alterum ab eo, ex quo, & in quod fit motus. 2.A.
Mobile dùm mutatur an possit esse sub vtroq; termino. pagina. 52.b.
Mobile idem numero an maneat in motu à principio vsq;

ad finem. 38.A.
Mobile omne quod mouetur, an contingat velocius, & tardius moueri. 51.b.
Mobilis an sit proprium moueri tantum, an etiam ei conueniat mouere. 115.b.
Mobile an sit diuisibile in semper diuisibilia. 162.b.
Mobile quod non semper mouetur, sed incipit moueri, an prius quiescat quiete opposita illi motui. 129.A.
Mouens primum, & motum primum an sint idem per se. pag. 55.b.
Mouens proximum an semper sit cum moto, seù an contangat motum. 60.A.
Mouens quod mouetur in quibus sit notum ipsum mouere, & in quibus non. 54.b.
Mouens seipsum an cõtrarijs moueatur motibus. 136.a.
Mouens seipsum an etiam à seipso quiescat. ibidem.
Mouens primum an sit penitus immobile. 170.a.
Motores quos diuidat Arist. in tex. 8. Lib. octaui. 94.a.
Motores qui contrarijs mouent motibus qui sint. 95.b.
Motor naturalis quare vnico tantùm moueat motu. pagina. 96.b.
Motor, & mobile an rectè diuidatur in per se, & per accidens. 129.a.
Motor, & mobile an sola ratione in animali distinguantur. pag. 133.a.
Motor, & mobile an rectè diuidantur per secundum naturam, & præter naturam; & an diuisio horum sit vera in omni motu. 139.b.

Motor primus an possit operari absq; secundo. 146.b.
Motoris primi necessitas an rectè sit ab Arist. probata. pagina. 147.b.
Motor primus an sit infatigabilis. 187.b.
Motor primus an sit in circumferentia. 189.b.
Mors, & senectus an sit naturalis. 42.b.
Mors naturalis an sit cum tristitia sensitiua, & mentali. pagina. 44.A.
Mors quæ dicitur marcor, quæ sit. 42.b.
Mutatio an denominetur à termino ad quem. 3.b.
Mutationis species, an sint tantum tres. 5.A.
Mutatum primum an sit indiuisibile. 53.b.
Mundus an semper maneat in eodem loco. 169.A.
Mundus an sit Deo continuus. ibidem, B.

N

Natura an sit ordinata, & an sit ordo, & an sit causa ordinis. pag. 166.A.
Natura an sit principium motus actiuum, vel passiuum. 142.A.
Naturaliter conueniens toti an etiam conueniat naturaliter partibus. 130.b.
Necessarium an habeat causam. 114.b.
Necessitas primi motoris an rectè ab Arist. probetur. pagina. 147.b.
Negantes motum an Arist. possit contrà illos disputare. pagina. 123.a.
Negantes motum an magis aduersentur scientiæ naturali, quàm negantes quietem. 124.A.

Negan-

Negantes motum an tollant omne ens. 123.a.
Nunc quod dicitur instans an sit medium inter tempus præteritum, & futurum. 166.a.

O

ODium quid sit, pariter quid sit amor. pag.63.b.
Omnia moueri an sit verú, & quomodo. 126.b.
ordo positus ab Auerroe inter requisita ad motum, an sit rectus. 3.A.

P

POtentia obiectiua, & potentia subiectiua an sint idem, & quomodo distinguantur. pag.13.b.
Potentia formalis quid sit, pariter potétia uirtualis. 57.b.
Peccat voluntariè sciens, an sit verum. 100.A.
Primum quomodo detur in motu, & quomodo nõ. 37.A.
Primi principij vnitatem probare, an conueniat naturali Philosopho, vel Metaphysico. 167.a.
Principio manente an cætera maneant. 168.a.
Primú mouens an sit omninò & penitus inmobile. 170.a.
Prioris significata an sufficienter enumeret Arist. in tex. 56. Omnes Libri. 173.a.
Priora perfectione an sit posteriora generatione. 174.b.
Processus in infinitum an detur, & quando sic, & quando non. 159.a.

Q

QValitates passibiles & si non moueantur, an sint motus. pag.4.A.
Qualitates primæ an sint formæ substantiales elementorum. 16.A.

Qualitas quæ mouet ferrum ad magnetem cuius sit speciei qualitatis, an primæ, vel secundæ. 65.A.
Qualitatis quarta speties cur ab Arist. vocetur forma, & figura; ab Auerroe verò dicatur qualitas in quantitate. 68.A.
Qualitatibus quartæ speties an insit alteratio. 70.A.
Qualitatibus primæ speties an insit alteratio. 72.a.
Quærens Arist. in primo tex. Octaui Lib. (An motus sit aliquando factus,) sit superfluus, apponendo verba subsequentia, (cum non esset prius, &c. 78.b. & 80.a.
Quæstio an motus sit factus, an sit quæstio naturalis. 81.b.
Quæstio de æternitate motus an sit dialectica, & an de ea possit haberi veritas. 86.b.
Quietem negare an magis scientiæ naturali aduersetur, quàm negare motum. 124.a.
Quies an sit priuatio, et motus, an sit habitus, &c. 125.a.
Quærens Arist. an motus semper erat, & semper erit, & hoc inmortale, &c. an sit superfluus. 82. Ar2
Quantitas an habeat contrarium. 23.b.
Quietis diffinitio data ab Aristotel. an omni conueniat quieti. 30.a.
Quies ad quam motus peruenit, an sit eius perfectio. 41.a.

R

RArum, & densum an sint sub prædicamento vbi, vel qualitatis, uel situs. pag. 179.b.
Raritas, & densitas an sit qualitates. 67.A.
Resistentia, & successio à quo proueniat. 18.a.
Relatio tripliciter se habet ad fundamentum. 25.b.

Relatio quomodo habeat motum, & quomodo nō. 26.A.
Res æternæ an habeant causam. 114.a.
Regula Arist. in tex. 37. Octaui Lib. an sit vera. 152.b.
Rationem quærere, & omittere sensum, an sit debilitas intellectus. 121.b.
Rationi an sit magis adhærendum, quam sensui. ibidem.

S

Sanitas facta in diebus criticis an sit naturalis. 43.a.
Scientia contrariorum an sit vna. 99.b.
Sciens an sua voluntate possit peccare. 100.a.
Senectus, & mors, an sit naturalis. 42.b.
Sensum limittere, & quærere rationem, an sit intellectus debilitas. 121.a.
Sensui an sit magis adhærendum quàm rationi. ibidem.b.
Simul esse in loco an rectè ab Arist. diffiniatur. 31.b.
Substantia an contrarietur substantiæ. 15.b.
Successionis, & resistentiæ causæ. 18.a.
Subiectum an sit causa actiua, vel passiua propriæ passionis. 58.b.
Subiectum vnum, & primum, an sit cuiuslibet accidentis. ibidem.
Superficies an sit coloris subiectum. 75.b.

T

Tactus an rectè ab Arist. describatur. pag. 31.
Tactus quotuplex sit. ibidem.
Tactus mathematicus quid sit. ibidem.
Tactus physicus quid sit. ibidem.b.
Tempus, motus, & magnitudo, an sint eiusdem rationis quo ad

quo ad compositionem, & diuisionem. 48.*a.*
Tempus esse æternum, an rectè ab Aristotel. probetur. pag. 102.*A.* & 103.*A.* & 106.*A.*

V

Virtutibus moralibus an insit alteratio. pag. 73.*b.*
Virtuosus actus qui præcedit virtutem, an sit idem cum actu virtuoso virtutem subsequente. 74.*b.*
Virtus an sit impassibilitas, vt dixere Stoici, an sit mediocritas, vt sensit Arist. 75.*A.*
Virtus materialis finita an possit mouere tempore infinito. 181.*b.*
Virtus materialis quæ est in minori magnitudine, an operetur per minus tempus. 183.*b.*
Virtus infinita an sit in corpore finito. 185.*a.*
Viuentiũ propriũ an sit à seipsis localiter moueri. 135.*a.*
Vnitati specificæ motus quot concurrant. 32.*A* & 34.*b*
Vnitati numerali motus an concurrat vnitas numeralis mobilis. 35.*A.* & 36.*A.*
Vnitati motus genericæ, & specificæ, an concurrat vnitas mobilis generica, & specifica. ibidem.
Vnitati numerali motus an concurrat vnitas numeralis ipsius motoris. 35.*b.*
Vnitati numerali motus quot conditiones concurrant. pagina. 166.*b.*
Vnitatem primi principij probare an pertineat naturali, vel diuino Philosopho. 167.*A.*
Voluntas, & intellectus an moueãtur à cõtinenti. 118.*a.*

FINIS.

STVDIOSISSIMIS LECTORIBVS.

TYPOGRAPHVS S. P. D.

VT quod anno proximè præterito pollicitus sum vobis (Studiosissimi Iuuenes) nempè secũdam partem Controuersiarum Excellentissimi Chartarij super Vltimos quatuor Arist. Libros de Phisico auditu, quàm primùm vobis, impartiri. Vt etiam honestissimo meo desiderio, quod est Rempublicam litteratiam prò virili nostra iuuare, operam dedi superioribus diebus, vt Secunda pars Controuersiarum Typis nostris excuderetur, sic enim philosophiæ studium & iuuari, & ornari posse ab eruditissimis viris nobis est relatum; Si vos laborem, ac diligentiam nostram æqui, boniq; feciſſe cognouerimus, sedulò etiam curabimus, vt reliqua quæ ipse super alios Aristot. Philosophiæ Naturalis Libros colligit, prò vestro commodo in publicum prodeant.

Valete.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER QVINTVM LIB. PHYS. ARIST.

IO: LVDOVICI CHARTARII

Controu. j. super tex. 1.



ESVS illuminatio mea sit.

Distinguit Arist. ipsum mobile, dicitq; , quòd mobile aut mutatur per accidens, aut per partem, aut neq; per accidens, neq; per partem, sed per se primo, & addit, quòd id quod mutatur per partem, simpliciter dicitur mutari, & dat exemplum in tex. satis clarum; Contradictio videtur esse hic, circà hoc vltimum dictum, & circà ea quæ habet 2. Top. Hic dicit, quòd id quod mutatur per partem, simpliciter dicitur mutari, ibi hoc negat, cũ non valeat dicere, æthiops est albus secundũ dẽtes, ergò est simpliciter albus; Altero duorũ modorum potest responderi, Et primò cum Arist. dicit, quòd id quod per partes mutatur, dicitur simpliciter mutari, quòd accipit

An id quod mutatur per partẽ simpliciter dicatur mutari.

Primò sol.

illud (simpliciter) vt idem est quod communiter, quemadmodum etiam Porphy. accepit (simpliciter) in Cap. de Differentia, dum dicebat, quòd omnes differentiæ quæ faciunt alteratum, vocantur simpliciter differentiæ, idest, nomine communi; Vel (& fortasse rectius) est dicendum, Quòd id, Secunda sol. existit in parte, potest simpliciter denominare totum, quando dispositio in parte reperta, coafficit ipsum totum, tunc de hoc est verum dicere, quòd parte mota, totum etiam moueri; Si verò dispositio existens in parte, non coafficiat totum, de illa minimè erit verum, quòd parte mota, dicatur etiam totũ moueri, sicq; instantia adducta procedit, nó enim sequitur, quòd si æthiops dealbatur secundum dentes, quòd ipse secundum se dealbetur, quia si aliquis sic argueret, committeret fallatiam à secundum quid, ad simpliciter, cum esse in parte diminuat denominationem eius, quód est esse simpliciter, quod non fit, cum dispositio existens in parte coafficit totum, quia ratio secũdum quam prædicatum datur ipsi subiecto in antecedente, non est secũdum quid respectu rationis, qua datur prædicatũ ipsi subiecto in consequente, immò non secundum plus fit denominatio, dicendo, hic sanatur, quàm dicendo, hic

hic sanatur secundum oculos, quia illa ægritudo existens in parte, coafficiebat totum.

Contron. 1. super tex. 3.

INquit Arist. (Alterum enim est, quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum, & calidum, & frigidum;) Quod Arist. dictum verum esse non videtur quia si quis dicat, Album moueri, patet quod illa tria non distinguũtur, cũ mobile sit idem cum eo, ex quo fit motus, album enim quod mouetur, est idem cum albo, ex quo fit motus; Aniaduertendum est, Arist. non abre dixisse, Alterum esse quò primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, addendo particulam illam, (primum) quia dat intelligere, se non loqui hic de quocunque quod mouetur, sed tantum de eo, quod mouetur perse, de quo est verum, quòd alterum est ab eo ex quo mouetur, non autem loquitur de eo, quod mouetur per accidens, cum de tali non sit verum, quòd id quod mouetur sit alterum ab eo, ex quo mouetur, & hoc est quod probat argumentum.

An alterum sit quod mouetur ab eo ex quo, & id quod.

An Arist. ponat ordinẽ inter requisita admotũ, vt censet Auerro.

Contron. 2. super eodem tex. 3.

ADhuc circà eadem verba Arist. (Alterum enim est, quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum calidum, & frigidum;) Occurit vnum

quod silentio inuoluendum non esse puto, & est hoc; Quòd Auerroes videtur Aristot. contrarius, qui enumerans hic requisita ad motum, in suo textu dicit, (Et primum istorum est motum, & secundũ, est illud ad quod est motus, & tertium, est illud ex quo est motus, (Et ob id Auerroes voluit, quód Arist. in his verbis innueret ordinem inter causas intrinsecas substantiæ motus, quæ sunt mobile, terminus ad quem, & terminus à quo, qui ordo est talis, quód illud quod magis disponitur per motũ, est res mota, postea est illud, ad quod est motus, cum sit illus finis, & sequitur ista, illud ex quo est motus, cum res mota ab eo transferratur, adeò quòd dignius istorum in motu, est res mota, deindè illud ad quod est motus, deindè ex quo est motus; De tempore hic Arist. non facit mentionem, quia est accidens motus, neq; de motore, quia est de causis extrinsecis; Sed hæc quæ dicit Auerroes profectò nõ sũt ad propositum nostræ literæ, nam in textu nostro sicut constat, Arist. ponit diuersitatem inter ea, quæ concurrunt ad motum, non autẽ ordinem, sicut censuit Auerroes, quitad hunc deuenit errorem propter literam, suam falsã in qua habet, primum, secundum, & tertium quæ sunt nomina significantia ordinem, quẽ

vt dixi non habentur in textu nostro; Posset tamen aliquis quærere, An illud quod dictum est ab Auerroe sit verum in se; Dicam quæ sentio, impetrata ab eo bona venia; Et dico, quòd nedum dictum eius non est secũdum literam Arist. sed nec in se est verum; Quòd non sit iuxtà textum Arist. hoc satis clarum est; Quod verò in se non sit verum, sic ostendo, & quæro quid Auerroes intelligit per substantiam motus, vel enim intelligit id quod ponitur in diffinitione motus, & si sic, non tantum mobile est de substantia motus, sed etiam motor, cum ponatur in eius diffinitione data ab Aristot. in Tertio huius tex. 23. Vel intelligit per esse de substantia motus esse. s. de intrinseca rõne, seù de qd dita te, sicut animal, & rationale sunt de quidditate hominis, & si sic, nec mobile, nec motor, nec terminus ad quem, sũt de quidditate motus, siuè motus sit entitas absoluta, siuè respectiua, licet enim habitudo sit de qdditate respectus, non tamen terminus; Vndè non possũ non mirari de Auerroe, qui in hoc visus est recedere à sua via, ac à suo præceptore Aristotele, cum ipse Auerroes 4. Met. com. 2. vellit, substantiam non esse causam accidentis in genere causæ formalis, nec efficientis, sed benè in genere causæ materialis,

An ordò positus ab Auer. inter requisita ad motũ sit rectus.

ac in genere causæ finalis, ergò mobile quod est substantia corporea non erit dè substantia motus; Recedit etiam ab Arist. quia. 12. Met. t. 26. vult alterius, & alterius generis, esse alia, & alia principia proxima, ergò accidens habebit proprium genus, propriamq; differentiam, & per consequens propriam quidditatem, sicq; substantia non ingrædietur diffinitionem accidentis quidditatiuam, sed benè quietatiuã; Et si instarer quis quòd si motus habet proprium genus, tunc motus esset in vno genere, quod est contrà Arist. Tertio huius; Dicendum erit, quòd motus prò fluxu formæ est in prædicamento Passionis, at per forma fluente est in eodem prædicamento cum termino motus, cum autem terminus motus sit in pluribus prædicamentis, ergò motus per fama fluente, erit & in pluribus prædicamentis.

Quomodo substantia ponatur in diffinitione accidentis.

Controuer. super tex. 4.

VIt Arist. mutationem recipere denominationem à termino ad quem, sicut exemplo sumpto à generatione, & corruptione declarat, & non ab alio aliquo? Objicitur, quia medicatio denominatur à medicina, & tamẽ non ducit ad medicinã, sed

An mutatio denominetur à termino ad quem.

ad

ad ſanitatem, ſicut ipſe declarauit 2. huius tex. 14. Solutio facilis eſt, quòd quælibet tranſmutatio, addas, naturalis capit denominationem à termino ad quẽ, & nõ ab alio; tranſmutationes verò artificiales denominãtur ab ipſis artibus in quas non deducunt, ſicut inſtantia adducta de Medicatione declarat, quæ dicitur à medicina, & tamen nõ ducit in medicinam, ſed ad ſanitatem; Et hæc ſolutio, quòd loquatur de trãſmutationibus .ſ. naturalibus, apertè colligitur ex exemplis datis ab Ariſtot. in tex. quæ fruſtrà non erunt appoſita, ſicut conſtat, cum ex illis declaret concluſionem illam intentam in text. ex illis quoq; colligatur ſe loqui de trãſmutationibus naturalibus.

An albedo ſit motus, vel ipſa albificatio.

Controuer. ſuper tex. 5.

PRoponit Ariſt. in tex. hanc difficultatem, An paſsiones .i. qualitates paſsibiles, veluti calor, & frigus, albedo, & nigredo, & ſi non moueantur, ſicut iam declarauit, an ſint motus quiddam; Ratio dubitandi eſt, quia qualitates illæ cõtinuè variantur ſecundum magis, & minus; Reſpondet huic dubitationi, quòd minimè aſſerendum eſt, albedinem eſſe motum, quia ſi ſic, tunc motus eſſet ad motum, quod eſſe falsũ, oſtendit infrà t. 12. & in ſequentibus, ſed de

dealbatio est motus; Quæ solutio an sit vera, maximè se offert considerandum; Et ex vna parte asserendum videtur esse, quòd si albificatio sit motus, quòd etiam idem sit affirmandum de ipsa albedine, cuius ratio est, quia albificatio non differt ab albedine ad quam tendit, nisi secundum magis, & minus, ideſt secundum intensum, & remissum, igitur albedo erit albificatio; Quod probatur ex Auerroe 3. huius com. 4. vbi docet, q̃ motus nil aliud est, quàm aquisitio partis post partem, alicuius formæ, donec tota forma compleatur; Ex altera verò parte hoc negat Arist. hic; Sciendum est, albedinem bifariam considerari posse, vel vt fluentem, vel vt motum terminantem, vt fluens includit motum ad vlteriorem perfectionem, sicq̃ vocatur albificatio, quæ demum si consideretur, vt in ea terminatur motus, tunc habet rationem quiescentis, sicq̃ non includit habitudinem ad vlteriorem perfectionẽ, sicq̃ asserimus albedinem, & albificationem reno distingui, sed ratione tantum, nam dicitur albificatio vt fluens, albedo verò vocatur, quatenus quiescens; Arist. autem in hoc loco loquutus est de albedine, vt est terminus motus, ac vt quiescens est; at in Tertio huius tex. allegato, loquebatur de albedine, vt est fluens.

An albedo, & albificatio differãt.

Con-

Contro. super tex. 7.

An mutationis tũ sint tres species.

PRobat Arist. per diuisionem, tantum esse tres species mutationis ad inuicem oppositas, dicitq; Ex quo omnis mutatio est ex quoddam in quiddam, vt per nomen manifestatur, cum hoc nomen (mutatio) significet aliud, post aliud hoc quidem prius, hoc verò posterius, tunc id quod mutatur, mutabitur quadrifariam, aut de contrario in contrarium, vt de subiecto, in subiectum, aut è contrà, de non subiecto, in non subiectum, aut de contradictorio, in contradictorum, vt de non subiecto, in subiectum, aut è contrà, de subiecto, in non subiectum. quarũ mutationum secunda species est impossibilis, propterea quod secundum nullam est oppositionem, nec contrariam, nec contradictoriam, relinquitur igitur quòd mutationis tãtum sint tres primæ species dictę, cum secũda sit impossibilis; Dificultas est, quomodo sint tres mutationis species ad inuicẽ oppositæ, & ratio dubitandi est hæc, quia vna ad aliã reducitur; Quod probatur, quia, trãsmutatio quæ est de contrario, in contrarium reducitur ad transmutationẽ quæ est de contradictorio, in contradictorium, sicq; motus potest reduci ad mutationem, Quod ad huc

magis

magis declaratur, nam opposita contrariè, inter quæ est motus, possunt reduci ad opposita secundum priuationem, & habitum, sicut est videre ab Aristot. 10. Met. & 2. Phy. vtrobiq; text. 15. secundum quòd alterum contrariorum est nobilius, alterũ verò ignobilius, & nobilius habet rationem habitus, vilius verò habet rationem priuationis, sicq; transmutatio in album poterit esse ex nigro, vel medio colore, & cum sic considerabitur, erit ex subiecto in subiectum; poteritq; etiam esse ex non albo, in album, & tunc ex nó subiecto, in subiectum, & hoc in accidentium transmutatione semper veritatem habebit, dico in transmutatione accidentium, quia si transmutatio fuerit in substantiam, vel à substantia talis non potest esse, nisi à subiecto, in non subiectum, vel è contrà, à non subiecto, in subiectum, nunquàm autem erit à subiecto, in subiectum, causa est, quia substantia ipsa non habet contrarium, nisi priuatiuum, positiuum nequaquàm, sicq; patet motum reduci ad mutationem in ipsis accidentibus, ergò, &c. At licet ita sit, ob hoc non sequitur, quòd mutationis species tres dictæ non sint adinuicem oppositæ, nec quód vna ad aliam reducatur, & ratio est,

quia

quia generatio, quæ est mutatio, & motus differunt quàm maximè adinuicē penes terminos perse, licet non differant penes terminos per accidens, quod declaro, generatio enim est perse primo ènon subiecto, in subiectum, corruptio verò è contrario, at motus perse, primō est è subiecto, in subiectum sicut est videre ab Arist. & Auerroe in frà in hoc Quinto com. 51. & 55. quare si vna species collocatur sub alia, hoc erit per accidens, non autem perse quocircà sic erunt ad inuicē oppositæ; Sed quid erit dicendum ad Arist. ac Auerroem qui in Primo huius t. 43. & 44. voluere transmutationem omnem esse perse dè contradictorio, in contradictoriū, seù dè priuatione in habitum, cum priuatio, & habitus sint cuiuslibet transmutationis principia; Dicemus Arist. & Auerroem loquutos esse de transmutatione, quatenus quælibet transmutatio est generatio, vel corruptio, quomodo priuatio, & forma cuiuslibet transmutationis sunt principia, ac primi termini, & hæc, reducendo motum admutationem, sed absq; hac reductione primi termini motus sunt affirmatiui; Si verò termini ipsius erunt affirmatio, & negatio, siuè priuatio, & habitus, hoc erit per accidens, quatenus

nus motus reducitur ad generationem, & corruptionem, sub qua etiam ratione motus erit subitarius, pró vt inquàm est inter terminos contradictorios.

Controu. super tex. 8.

An rónes quibus Arist. pbat gene rónē non esse motum, rectè cōcludant.

DVabus rationibus in hoc tex. probat Arist. generationem non esse motum; Et primò sic argumētatur; Quod mouetur est, quod generatur non est, ergò quod generatur non mouetur, & per cōsequēs generatio non est motus; Secundó sic arguit, omne quod mouetur est in loco, at quod generatur non est in loco, id enim quod non est, in loco non est; quod generatur non est, ergo quod generatur non est in loco, nec ergò quod generatur, mouetur, & per consequens nec generatio erit motus; Vtraq; ratio non caret difficultate; In prima ratione maxima occurit difficultas, quæ talis est; Quid Arist. intelligat per id quod generatur; vel enim per id quod generatur, intelligit id quod generatur subiectiuè, vel id quod generatur terminatiuè, neutrum potest intelligere, ergò &c. Quod probatur, Non potest intelligere primum, s. id quod generatur subiectiuè, quia subiectum ge-

tum generationis secũdum quid, est in actu, vt patet, licet subiectũ generationis simpliciter non sit in actu; Nec poterit intelligere secundum, id .s. quod generatur terminatiuè, cum in generatione secũdum quid, quod generatur terminatiuè, sit, licet habeat esse incompletum, & imperfectum, sicut est videre ab Arist. Sexto huius tex. 83. vbi soluens rationem Zenonis, per quam destruebat generationem hoc modo, fiat album ex non albo, id quod transmutatur non est in non albo, nec in albo, ergõ datur aliquod, quod nec est album, nec non album; Soluit, quõd si plures partes sint albæ, dicitur illud esse album, & sic apparet vbi Arist. vult, quód quando generatur album, quõd sit album, licet non completè; Et si quis dicat, quõd Arist. ratio non concludit, nisi de generõne substantiali, quõd ipsa non sit motus, nõ aũt de generatione secundum quid; Sequetur ergõ quód Arist. ratio nõ concludet de omni, cum ipse Arist. in tex. 7. præcedenti docuerit, quód generatio quædam est substantialis, quædam accidentialis, sicq; eius ratio non erit vniuersalis; Amplius Aristot. committeret fallatiam accidentis, si tali modo argueret, generatio in substantia nõ est motus, ergó generatio non est motus, & præcipuè

in secundo modo illius fallaciæ, qui est cum ab eo quod conuenit superiori, quis arguat ad id, quod conuenit inferiori, vel econtrà, sicq; hic Arist. iuxtà solutionem dattam argueret, Generationi in substantia conuenit quod non sit motus, ergò generationi in communi pariter conuenit, quod non sit motus; Hocq; esset etiam simile illi, homo non potest esse irrationalis, ergò nec animal poterit esse irrationale; Si verò quis dixerit, rationē Arist. concludere de omni generatione; tunc

Prima opinio.

sequitur quod medium non erit conueniens cuilibet generationi, sicut iam est probatum; Fuere quidā qui dixere rationē Arist concludere tantū de generatione substantiali, quòd non sit motus, cū generatio accidentalis non sit generatio; Et hæc solutio fuit Gaietani de

Cōfut.

Tienis insuis recolectis super hijs Lib. Phy. in hoc quinto super tex. 7; Quæ opinio non potest stare, & ratio est, quia dantur transmutationes aliquę in accidentibus, quę dicuntur generationes, vt illuminatio, quæ tamen non sunt motus, cum non sint factæ in tempore, sicut patet de illuminatione, quæ fit subitō, & in instanti, motus autem quilibet fit in tempore, vt docuit Arist, Quarto huius. t. 129. Etiam si quis legat Auerroē hic in com. 7. habebit, quod transmutatio vniuersaliter

seu

seu suum esse sit in accidente, seu in substãtia, cum accipitur prõ vt est è non subiecto, in subiectum, quõd talis transmutatio semper vocatur generatio, ergõ malè dicunt isti, dicentes, quõd generatio nõ sit in accidẽte, quocircà si in accidentibus est generatio, de hac etiam generatione debet Arist. ratio concludere, aliter eius ratio non esset de omni; Nonnulli alij dixere, Arist. probasse mutationem in substantia non esse motum, de generatione verõ accidentali dicunt hoc dereliquisse tamquàm notum, quõd non sit motus; Sed nec hoc videtur stare posse, & ratio est, quia id quod quçritur, est, An generatio in communi, vt compræhendit substantialẽ, & accidentalem possit esse motus; Si modo Arist. ratio concluderet de substantiali tantum non ergõ concluderet de omni; Petrus de Mantua, Pomponatius dictus, voluit rationem Aristo. concludere de omni generatione, vultq̃: medium conuenire omni generationi, .f. quod generatur non est, hoc dicit esse verum, de omni generatione, intelligendo per id quod generatur, id quod terminatiuè generatur, pariter per id quod mouetur, intelligendo id quod mouetur terminatiue, cum id quod generatur, siuè sit substantia, siue sit accidens, vt generatur, non habet esse

Secunda opinio.

Confutat.

Tertia solutio Pompo natij.

esse. nisi id tale fuerit completum, & sic cum generatio procedat de non esse, ad esse, inter quæ non datur medium, quamdiu aliquid, habebit remissam albedinem, illud non erit album, cum verò habebit albedinem cõpletam, tunc illud tale factum erit album; At id quod terminatiuè mouetur, aliter se habet, vt mouetur, vt enim mouetur, habet esse, cum pars eius sit aquisita, & pars sit aquirenda; Cum etiam motus non differat à termino ad quem nisi secundum magis, & minus, sicq; illud quod mouetur, in quãtum terminat motum, habet esse, licet non habeat esse cõpletum, & perfectum; Quæ solutio ad huc non videtur stare posse, per ea quæ dicta sunt in dubitatione, iam enim probatum fuit, quòd per id quod generatur, non potest Arist. intelligere id quod subiectiuè generatur, nec Confut. id quod generatur terminatiuè, sicut fuit deductum; Insuper si aliquis legat Temistium Sexto huius in expositione textus 82. habebit, quòd res quæ corrumpitur partim est, partim etiam non est, in neutro tamen illorũ absolutè, nisi res illa absolutè, ac penitus corrupta sit; quæ non aduersantur, quia alia, & alia ratione res illa esse, & non esse dicitur; Idem quoq; est dicendum de eo quod generatur, cũ id quod generatur, terminatiuè

pariter

patiter & id quod mouetur terminatiuè, partim sit, partim non, in neutrō tamen illarū absolutè, nisi absolutè, ac penitus terminatus sit motus, quocircà talis solutio non poterit stare; Quid ergō erit dicendum? Dicerem quōd si volumus habere differentiā inter generationem, & motum, non oportet per id quod mouetur, audire id, quod mouetur terminatiuè, nec per id quod generatur id, quod generatur terminatiuè, quia vt iam dictum est, id quod generatur terminatiuè, partim est, partim non est, ita quoq; id quod mouetur terminatiuè, partim est, partim non est, intelligere ergō debemus id, quod mouetur subiectiuè consimiliter & id, quod generatur subiectiuè, id enim quod mouetur subiectiuè est ens in actu, quod verō generatur est ens in patentia; Cum verō dicitur quōd si ratio Arist. concludit de omni generatione, medium non erit conueniens, cum id quod generatur simpliciter, sit ens in potentia, id verō quod generatur secundum quid sit in actu; Concederem prō veritate in se, quōd hæc ratio Arist. hic habita non debet concludere de omni, eo quia non est data per causam adæquatam, cum esse in actu non sit causa adæquata huius, quōd transmutatio reponatur in esse motus propriè accepti-

Solutio propria.

quod declaratur, illuminatio namq; fit in ente actu. ſ. in aere, quæ tamen non eſt motus, vt rectè dixit Auerroes quarto huius com. 129. Et licet Auerroes infrà com. x. affirmet hanc rationem Ariſt. eſſe demõſtratiuã; hoc tamen per nihilo habeatur, quia in hoc non ſequor Auerroem, quia ſi ſic eſſet, tunc talis ratio eſſet per cauſam adæquatã, eſſetq; vniuerſalis, & de omni, quod non credo; Dicoq; cauſam adæquatã huius, quod tranſmutatio reponatur in eſſe motus propriè accepti, habebitur ab Ariſt. infrà tex. x; & erit hæc, quòd talis tranſmutatio ſit de contrario poſitiuo, in contrarium poſitiuum, & ideò ob hanc cauſam probabit, quòd in ſubſtantia non eſt motus, cum ſubſtantia careat contrario poſitiuo; Sed quis poſſet ambigere; Si per id quod generatur, intelligere debemus id, quod generatur ſubiectiuè, tunc cum id quod generatur non debeat eſſe ens in actu, ſed in potentia, hoc igitur non conueniret cuilibet ſubiecto generationis ſimpliciter, cum ſubiectum generationis ſubſtãtialis miſtorum ſit ens in actu, cumq; informetur per formas ſubſtantiales elementorũ? Dicendum erit, quòd cum è potentia materiæ informatæ formis elementorum educatur forma miſti, formæ elementorum actuali-

Quæ ſit cauſa adæquata quod tranſmutatio reponatur in eſſe motus.

ter ibi existentẽ, sũt ruptæ, id circò nõ actuant materiam primam, sed expectãt vlteriorem actum materiæ perfectiuum, cum hæc sit proprietas formatum substantialum intensibilium, & remissibilium, non posse materiam actuare, nisi sint integræ; Sed quia in principio istius controuersię fuit dictũ, vtramq; Aristotelis rationem non carere difficultate, ideò secunda ratio adhuc se offert examinanda, in qua dicitur, quod id quod generatur non est in loco; Posset aliquis circà hoc dictum dubitare; Si per id quod generatur, intelligimus subiectũ generationis, quomodo verificabitur materiam primam quæ subiectiuè generatur non esse in loco? cum ipsa sit quanta, habet enim dimensiones interminatas, locus autem (vt apparet ex primo de Gen. & cor. com. 44.) non debetur alicui, nisi meritò dimensionum, & indè est quòd Mathematicus quia non abstrahit à dimensionibus, quòd etiam non abstrahit à loco; Dicendum est, quòd sicut materia prima merito sui habet dimensiones interminatus, sic quoq; habet locum indeterminatũ, vt si habet locum terminatum, habet illum meritò dimensionum terminatarum; Nec hoc contradicit dicto Arist. hic, cum ipse intelligat quòd id, quòd mouetur, est in loco determi-

Examinatur secũda Arist ratio.

An id quod generatur sit in loco.

Materia prima quomodo sit in loco.

nato, quod verò generatur .i. materia prima non sit in loco determinato meritó suarum dimensionum indeterminaturum, licet meritò earum sit in loco indeterminato.

Contro. super tex. 9.

An motus sit tantum in tribus prædicamentis in quantitate ſ qualitate, & vbi.

VLt Arist. motum esse tantum in tribus prædicamẽtis, inquantitate. ſ. qualitate, & vbi; Quod dictum an sit verum, se offert considerare; Et videtur quòd non, quia Arist. ipsum motum in Prædicamentis ponit sub prædicamento Passionis, ergo non debet poni sub tribus enumeratis, patet consequentia, cum prædicamenta sint impermista, vt inquit Arist. primo Post; Hanc quæstionem mouet hic Auerroes, & in Tertio huius com. 4. quam nunc intendo examinare; In hac Quæstione tres sunt modi dicendi; Primus est Alpharabij asserentis motum bifariã considerari posse, vnomodo vt motus, aliomodo vt recipitur in ipso mobili, vt motus quidem, sic est in tribus prædicamentis, quia in eis potest adinueniri forma quiescens, & forma transmutationis; vt verò recipitur in ipso mobili, sic est in prædicamento passionis, quia receptio est passio; Quæ positio nõ videtur admittenda; Ratio est, quia receptio rei est potentia ad rem, sed potentia ad rem aliquam est de genere illius rei, vt potentis ad

Opinio Alpharab.

Cõfutatio.

ad substantiã est quoquomodo substãtia, pariter & potentia ad qualitatem est qualitas, cum enim dicimus receptionem alicuius rei esse potentiam ad illam rem, dicimus etiam illam potentiam quoddam modo esse illam rem, sicq; per potentiam rei intelligimus rem ipsam possibilem, vt potentia calidum, potentia frigidum, potentia calidum est illud, quod quandoq; erit actu calidum, idem dicatur de potentia frigido, quæ res possibilis dicitur receptio rei, non quod ipsa recipiat, sed quia est in subiecto receptiuo quod formam recipit illa mediante, vndè apparet quomodo potentia ad aliquam rem sit in eodem genere cum illa re, eo quia est illa res in potentia, vt Socrates possibilis est in eodem genere cum Socrate in actu, Socrates enim possibilis est ille, qui quãdoq; erit actu Socrates, sicut videre est ab Auerroe. 8. Met. C. 16. vbi dicit, in rei veritate idem est in potẽtia, & in actu, idest, illud quod fuit in potentia, est in actu, & non sunt sic duo diuersa; In eodem etiam 8. Met. C. 15. inquit, quod extractio alicuius ab agente de potentia ad actum nõ largitur multitudinem, sed perfectionem; Et 12. Met. C. 18. dicebat; Agens apud Arist. non est congregans inter duo in rei veritate, sed est extrahens illud quod

Opinio Auic. est in potentia ad actum ; Fuit secundus dicendi modus Auic, qui voluit motum precisè esse in genere passionis, & non in genere qualitatis, nec quantitatis, nec vbi; Hoc dixit quia sibi videbatur solam qualitatē quiescentē esse genus, similiter de vbi, & quantitate: nam impossibile est motum esse speciē alicuius quiescentis, quapropter asserebat quantitatem secundum quam est motus, non esse prædicamentū, nec qualitatem, nec vbi; cum hæc quiescentia tantum sint genera; Si verò Arist. his prædicamentis attribuit motum, dicebat Arist. attribuere motum illis, quia ipsa sunt materia motus, .i. illa quæ terminant motum sunt in illis prædicamentis, non autem quòd motus sub illis statuatur;

Impugnatur. Qui dicendi modus non videtur stare posse, & ratio est hæc; Actus, & potentia sunt eiusdem generis, cum potentia sit in eodem genere cum actu, & per consequens intelligere debemus rem possibilem, sicut suprà dictum est, igitur medium inter actum, & potentiam erit eiusdem generis cum actu, si enim potētia est in eodem genere cum actu, à fortiori medium erit in eodem genere cum actu, ratio est, quia magis distat extremum ab extremo, quā medium ab extremo, si igitur potentia est eiusdem generis cum actu, & mediū magis

erit

erit eiusdem generis cum actu, cum per medium inter actum, & potentiam semper sit intelligendum formam fluentem, quę mediat inter formam posibilem purè, & formam completam, cum hæc forma fluens sit partim posibilis, & partim sit in actu: cum itaq; motus sit medius inter terminum ad quem, & potentiam ad ipsum terminum, erit igitur de genere termini ad quem, sed terminus adquē est quantitas, qualitas, & vbi, ergo motus erit in istis tribus generibus, ideſt forma fluens, ne dum forma quiescens, cuius oppositum hæc positio asserit, Cum igitur nullus horum modorum sit verus, debemus ponere modum verū, qui est ipsius Auerrois asserentis motum accipi dupliciter, materialiter. ſ. & formaliter, motus materialiter acceptus est forma fluens, quæ est forma illa diminuta, & imperfecta, sub qua stat mobile donèc compleatur, & perficiatur, & hoc modo motus acceptus, est de genere illius ad quod est motus, sicq; Arist. intelligit hoc in loco, cum dixit, in prædicamento quantitatis, qualitatis, & vbi, motum esse; Motus verò formaliter acceptus, est transmutatio con iuncta cũtempore, per quam mobile dicitur transmutari, quæ quo ad transmutationē, est in prædicamento passionis, quia secundũ eam subiectum

Opinio Auerrois & vera:

Motus materialiter quid sit.

Motus formaliter acceptus, & sit.

iectum denominatur trasmutatum, at quantū ad tempus ipsum cum quo est coniuncta ipsa transmutatio, est in genere quantitatis; Hoc secundo modo accipiendo motum pro fluxu formæ, qui est transmutatio illa, per quam mobile dicitur transmutari, loquutus est de eo in Prædicamentis Arist. cum posuit motū in prædicamento passionis, & sic prædicamenta remanent inpermista, cum motus materialiter acceptus, sit in tribus prædicamentis, formaliter verò sit in prædicamento passionis; Sed notandum est, quod cum dicimus, motum posse sumi materialiter, & formaliter, quod hæc est distinctio vocis in sua significata, nam hæc vox motus significat formam fluentem, quæ se habet ad modum materiæ, significat etiam fluxum formæ, qui se habet ad modum formæ, quamdoquidem sicut hæc forma substantialis non potest esse sinè hac materia, benè materia potest esse sinè hac forma, sic fluxus formæ nūquàm potest esse sinè illa forma, sed forma, quæ est fluens potest esse sinè illo fluxu, at terminato motu cessat fluxus, & tamen remanet forma quæ erat fluens; Notandum est etiā, quòd cum formæ, vt dictum est, possint accipi in fieri, & in facto esse, in fieri, sunt fluentes, in facto esse, sunt quiescentes, secundum hanc

diuisionē

diuisionem formarum in quiescentes, & fluentes, Gramatici ordinarunt nomen, & verbũ, cæteraſq, orationis partes, cum formæ quiescentes significentur per nomen, mobiles verò per verbum, ac cæteras partes indeclinabiles inter has collocarunt, tamquàm medias; Tertio est animaduertendum, quòd cum hic dictum sit, motum esse viam, & medium inter rem purè posſibilem, & rem in actu completo & quòd hæc via, & medium est de genere actus, hoc verũ esse de medio ad quod, quod medium est forma remissa donec perficiatur, ad mobile prius transmutatur; Assumendo verò viam, siuè mediũ, prò medio per quod est ipsa transmutatio, sic est in prędicamento passionis, ita quòd hæc via, prò via ad quã, est in eodem prædicamento, in quo est forma terminans motum, at prò via per quã, sic est in prædicamento passionis; Sed quia dictum est, quòd receptio rei est potentia ad rem, & quòd per potentiam ad rem, semper debemus intelligere rem posſibilem; quę dicitur receptio rei, non quia ipsa recipiat, sed quia est in potentia receptiua subiecti; Hinc colligendum est de mente Phylosophorum potentiam obiectiuam, & potentiam subiectiuam esse idem; Ideó ab bonitatem doctrinæ hic adducemus ea, quæ Theologi dicunt de his

de his duabus potentijs, posteà quæ de his dicuntur à Phylosophis; Quo ad primũ, Dico quòd Theologi qui ponunt potẽtiã obiectiuam distinctam à subiectiua, inter eas ponunt duas differentias, quarum altera est hæc, quòd potentiæ obiectiuæ opponitur actus entitatiuus, potentiæ verò subiectiuæ opponi dicunt actum formalem, sicq; dicunt, duas has potentias separari, quia alicubi est potẽtia obiectiua, vbi non est potentia subiectiua sicuti in creatione mundi, qui ante sui creationem erat in potentia obiectiua, nullum tamen erat subiectum, ex quo fieri posset, quia erat in virtute Creatoris, in quantum poterat esse terminus creationis, sicq; erat in potentia obiectiua; Altera differentia est, quòd potentia subiectiua non multiplicatur ad multiplicationem formarum, sicut obiectiua, quæ potentia obiectiua nõ est subiectum trãsmutationis, sed terminus, at potentia subiectiua est transmutationis subiectum; Hæc Theologi dicunt de his potentijs; At Peripathetici aliter dicunt, eo quia tenent principia opposita principijs Theologorum; Asserunt primò, nihil esse possibile ex parte agẽtis, quòd non sit possibile etiam ex parte passi, ideó coguntur dicere istos respectus, & potentias s. obiectiuam, & subiectiuam, non realiter distin

Opinio Theologorum.

Opin. Peripath.

distingui, vndè Socrates antè sui generationem erat in potentia actiua generantis, & in potentia subiectiua materiæ, cum ex nihilo nihil fiat, sed diuersas sortiuntur denominationes per habitudinem ad diuersa, per habitudinem ad agẽs, dicitur potentia obiectiua, per habitudinem verò ad subiectum, dicitur subiectiua; Sicq; secundum Phylosophos potentia obiectiua, & subiectiua sunt idem realiter, eo quia est hoc principiũ per se notum, & ab omnibus Peripatheticis concessũ quod quicquid est possibile ex parte agentis, est etiam possibile ex parte passi, & econtrà, quicquid est possibile ex parte patientis, est etiam possibile ex parte agentis, quod si secus esset aliquid esset otiosum in natura, & ad hoc ostendum in via Aristotelis, talem adduco rationem; Ponentes potentiam obiectiuam tamquàm rem distinctã à subiectiua, volunt Arist. eam possuisse, vt diuisio ab eo data de ente, per actum, & potentiam, esset bona, ac conpræhendens totam naturam diuisi, at si Arist. diuidens ipsum ens, per actũ, & potentiam, per potentiam tantum modò intelligetet potentiam subiectiuam, non autẽ obiectiuam, tunc Arist. sub tali diuisione nõ conpræhendisset omne ens, sicut patet de Angelis, de Mundo, de Materia prima, quæ

antè

ante sui creationem erant res in potentia, nõ subiectiua, nec erant res in actu formali, vel existentiæ, ergò oportet dicere potentiam, quæ est differentia entis, esse potentiã obiectiuam; Amplius Arist. 9. Met. tex. 13. dicebat, quòd actus, & potentia, sunt eiusdem generis, sed hoc non potest verificari de potentia subiectiua, quia substãtia potest esse substantia subiectiua quantitatis, & patet quòd ista sunt diuersorum generum, benè verificatur de potentia obiectiua, quę est forma existens in potentia actiua agentis; Sic arguunt ponentes potentiam obiectiuam rem distinctam à potentia subiectiua, & hoc in via Aristot. Verum nos volentes ostendere Peripatheticos non possuisse ipsam realiter distinctam à subiectiua, sic argumentamur contrà eos; Potentia quæ per vos erat differentia entis, est potentia obiectiua, sed hæc est eadẽ re cũ subiectiua; quod probatur quia Arist. 12. Met. t. 8. declarans quod sit esse materiæ, diuidit ens per potentiam, & actum, & ibi declarat materiam contineri sub potentia, nõ sub actu, quia est illud ex quo omnia fiunt per transmutationẽ, sed hæc potentia ex qua omnia fiunt per transmutationẽ, est potentia subiectiua, ergò potentia subiectiua, & potentia obiectiua secundũ rem non erunt distincta

stinctæ, sed distinguẽtur per diuersos respectus, nã p respectũ ad agẽs, dicetur obiectiua, per respectũ ad mãm, dicitur subiectiua, sicq; agẽs extrahẽs rẽ de potẽtia ad actũ nõ largitur multitudinẽ, sed perfectionẽ, cũ eadẽ res quę ẽ in potẽtia subiectiua materię, fit in potẽtia obiectiua agẽtis, & res quæ est in potẽtia eadẽ est cũ re, quæ est in actu, sicq; agens nõ congregat diuersa; Verificabitur etiã quod actus, & potentia, sunt eiusdem generis; Theologi verõ tenentes id, quod iam dictũ est, s. aliquid esse in potentia respectu agentis tãtum, quod non est in potentia passi, cum etiã ponant creationem cum nouitate essendi ex nihilo, quã Phylosophi negant, qui Philosophi volunt etiã, quod quicquid est in potẽtia actiua agentis, sit etiam in potentia passiua alicuius subiecti, cum omnes formæ secũdum ipsos sint in potentia passiua materiæ, & in potentia actiua primi motoris, sicq; res sit possibilis ex parte subiecti, cum respectu ad agens quia potẽtia passiua est principium trãsmutandi ab altero, inquãtũ alterũ, nõ debet tũc esse mirum, si hæc discordia est inter Theologos, & Phylosop. cũ diuersis innitantur p̃cipijs, & ex diuersis p̃cipijs sequuntur diuersę cõclusiones, & quód tenẽt Phy. nõ tenẽt Theologi, quos sẽper ẽ magis adhærẽdũ.

Contr.

Controu. super tex. X.

An substãtia substãtiæ cõtrarietur

INquit Arist; Substantię nihil contrariari; Videndum est quomodo hoc Aristot. dictum stet cum eo, quod dixit ipse in 2. Lib. de Gen. & Cor. t. 22. & 24. & 49. quibus in locis, voluit ignem contrariari aquæ, & terram aeri, quæ omnia sunt substantiæ, ergo substantia substantiæ contrariabitur; Dico in hoc brœuibus quid tenendum; Quilibet debet tenere, substantiæ ratione substantiæ nihil contrariari, sicq; Arist. hic intellexit; Substantiæ verò ratione qualitatum, benè potest aliquid contrariari, & sic ignis contrariatur aquæ, & terra aeri, meritõ qualitatum, quo modo intellexit Aristot. 2. Lib. de Gen. & Cor; Vndè dico vobis, quod si in igne, & aqua, possent remanere materia, & forma substantialis (separatis qualitatibus) ignis non esset contrarius aquæ, cũ substantia non contrarietur substantiæ, sed tota contrarietas quę in eis reperitur, sit meritõ qualitatum; Et hæc est veritas in hoc re; Instantiæ autem quæ solent adduci in contrarium, de facili remouentur. Sequentes Alex. sic abiciunt; Substantia substantiæ contrariatur, & non ratione qualitatum, sed ratione substantiæ, loquendo de substantijs simplicibus, non autem conpositis, ergò quod dictũ est,

Vera determinatio.

Rationibus Alex respondetur.

est, nullum est; Antecedens probatur, nam caliditas est forma substantialis ignis, & frigiditas aquæ, quę contrariantur inquantum tales, & non ratione alicuius alterius, ergo substantia simplex ratione substantiæ, & nō alterius, contrariabitur substantiæ simplici; Quōd caliditas sit forma substantialis ignis, probatur sic, caliditas ponitur in diffinitione ignis, idem dicatur de frigiditate respectu aquæ, & de siuitate respectu terrę, & de humiditate respectu aeris, ergō hæc qualitates sunt formę substantiales elementorū; Amplius, Arist. 2. de Ani. t. 117. dicit, quód differentiæ quę determinant elementa, sunt calidum, frigidum, humidum, & siccum, ergó hæqualitates sunt formæ substantiales elementorum; Rursus, Arist. 1. de Gen. & Cor. t. 6. postquàm reprobauit ipse opinionem Platonis de principio elementorum, agit de illo secundum mentem propriam, dicitq; illud esse materiam primam, principium verò formale eorumdem dicit esse qualitates sensibiles, quę distinguentes materiam primā, constituunt quatuor elementa distincta; Amplius, idem Arist. 2. de partibus Animal. Cap. 1. ponit triplicem compositionem, primā elementorum, secundam, partium similarium, tertiam, partium dissimilarium, & loquens

An qualitates primæ sint formæ substantiales elementorū.

de

de compositione elemẽtorum, inquit illa cõponi ex materia, & virtutibus elementorum, quæ sunt caliditas, frigiditas, & aliæ, ergò ex his omnibus locis apparet qualitates esse formas substantiales elementorum, quod erat probandum; Omnibus his authoritatibus vna responsione satisfacimus, & dicimus cũ Auerroe hic, & 8. Met. c. 5. quòd cum differentiæ substantiales elementorum lateãt, non ponimus in eorum diffinitione passiones, & accidentia propria eorum; Vnde Aristot. in Quinto suę Met. asserit, quòd difficultas percipiendi rerum differentias, est paucitas nominum, aut hoc, aut illud facit declinare nos à principali ad commitans, & sic cum formæ substantiales elementorum sint innominatæ, Arist. cum loquitur de compositione elemẽtorum illas nominat modo nominibus qualitatum alterariuarum, modo nominibus qualitatum motiuarum, & per nomina qualitatũ non significat ipsas qualitates, quæ accidentia sunt, vt probabimus, sed intelligit formas substantiales innominatas, Dicendum ergò est, sicut diximus, ignem, & aquam contrariari secũdum qualitates, & proprias passiones, & non ratione substantiarum; Nec valet id quod obijciunt aduersarij, quod tale est effectus contrarij habent causas contrarias, vt

vt est sententia Arist. 4. Met. &. 2. de Gen. & Cor. Sed caliditas, & frigiditas sunt effectus contrarij elementorum, cum sint propriæ ipsorum passiones, quæ propriæ passiones causãtur à principijs subiecti, ergò causæ erũt contrariæ, & sic elementa erunt contraria secundum formas substantiales; Soluimus hoc, & dicimus, effectus cõtrarios prouenire quãdoq; à causis contrarijs, & hoc in accidentibus, in substantijs verò à causis diuersis, & hoc sufficit ad contrarietatem effectuum; & immõ forma substãtialis ignis, & forma substantialis aquæ erunt diuersæ, & non contrariæ; Similiter dicitur, cum arguunt per Arist. 10. Met. t. 23; Omne genus diuiditur per contrarias differentias, differentiæ autem sumuntur à formis, ergò formæ substantiales erunt contrariæ ratione substantię; Dicimus, quòd dictum Arist. intelligitur sic, quòd genus diuiditur per differentias contrarias, aut per differentias diuersas, quæ differentiæ in substantia erunt diuersæ, in accidentibus verò erunt contrariæ; Verum de hoc considerare spectat ad Metaphysicum, cum Metaphysicus consideret de eodem, & diuerso, ac q; cõtrario ac de vno & ente, sicut est videre apud Arist. 4. Met. t. 5; Et si aliquis adhuc instaret, probando elementa contrariari secundum

suas formas substantiales, & non secundum qualitates, sic ratiotinando, formæ substantiales elementorum intenduntur, & remittũtur, per Auerroem 3. Cœli. C. 67. Sed remissio sit ratione contrarij per Arist. in hoc Quinto t. 19. ergò formæ substantiales elementorum sunt contrariæ; Amplius, vbicũq; est successio, ibi est resistentia, vbi est resistentia; ibi est cõtrarietus, vt 2. Cœli dicitur, & 4. huius. t. 71. Sed in generatione elementorũ est successio, ergò resistentia, ergò contrarietas, vna itaq; substantia contraria dicitur alteri substantiæ, ratione substantiæ; Dicemus, quòd in habentibus contrarium, remissio fit per admistionem contrarij, in non habentibus verò contrarium, magis etminus potest prouenire ex dispositione subiecti maiori, vel minori, ad talem qualitatem, vel formam, vel ex maiori, aut minori virtute agentis, vel ex alia aliqua causa, vt etiam glossat Auerroes. 2. Cœli C. 10. 15. nam in corporibus cælestibus reperitur differentia secundum magis & minus in nobilitate, & tamen ibi non est minus per admistionem contrarij, cum in Cœlo nulla prorsus sit contrarietas, indè partes nõ stellatæ ignobiliores sunt partibus stellatis, & non per admistionem alicuius contrarij; Quód si aliquis vellet in omnibus, in quibus

Intensio, & remissio à quo ꝓueniat.

sit remissio, fieri per admistionem contrarij propter dictum Arist. in hoc Quinto Phy. t. 45. vbi inquit, semper minus fieri per admistionem contrarij. Sciat ille, dictum Aristot. verificari in habentibus contrarium, in carentibus verò contrario vno dictorum modorũ fit. Pariformiter dicimus ad illud, de successione, quòd in habentibus contrariũ successio prouenit ex resistentia, resistentia ex contrarietate, in non habentibus verò contrarietatem, successio erit ex resistentia: resistentia verò ex indispositione subiecti per partem, post partem, cum formę substantiales elementorum habent nõ tantum partes quãtitatiuas, sed etiam graduales, quò non est de alijs formis sustantialibus, sicq; hæc successio in generatione elementorum erit meritò formarum intensibilium, & remissibilium, & non meritò contrarietatis, quia forma substantialis vnius elementi, non contrariatur formę substantiali alterius elementi, cũ substantia non contrarietur substantiæ; Quò fit quòd licet vbicũq; sit contrarietas positiua, ibi sit successio, non tamen cõuertitur, quòd vbicũq; est successio, quòd ibi sit contrarietas: Nec etiam ratio illa valet, quàm isti reputant Achylem in hoc, quæ talis est; operatio arguit formam, sed operationes in elemẽtis

Successio, & Resistentia à quo prouenias.

ris non arguunt alias formas substantiales, nisi istas qualitates primas, ergò ipsæ erunt formæ substantiales elementorum, quòd si sic erit, substantia erit contraria substantiæ, ratione substantiæ; Cum ratio hæc potius concludat oppositum illius quod dicunt, quàm eorũ propositum, quod declaro, operatio namq; super formã accidentalẽ arguit immediatè, at suprà formam substantialem arguit mediatè ratio est, quia forma substãtialis immediatè non agit, sed agit mediante forma accidentali, itaq; principale agens est forma substantialis, instrumentarium verò, & secundarium, est forma accidentalis, actio namq; est meritò contrarietatis, substantia verò vt substantia, non habet contrarium, sed benè qualitas habet contrarium, immò substantia in agendo exigit qualitatem, per quam immediatè agit, quo stante, dicimus, quòd isti sic debebant argumentari: Operatio mediatè arguit formam substantialẽ accidentalem verò immediatè, sed istæ operationes in elementis repertæ immediatè arguunt suprà istas qualitates, ergò istæ qualitates sunt formæ accidentales, & non substantiales. Vt autem argumentemur contrà istos, & probemus has formas in elementis non esse substantiales, sed accidentales, quod pollicitus sum

sum, sic exordiamur; Si caliditas esset forma substantialis ignis, esset natura, sed caliditas non est natura, ergò non est forma substantialis; prima consequentia patet per Aristot. 2. huius in principio, vbi vult naturam dici de materia, & forma, & vtraq; natura est substantia; Secunda consequentia est bona, quia ex destructione consequentis, inferimus destructionem antecedentis; Quòd verò caliditas non sit natura, probatur sic; A quocunq; remouetur descriptio naturæ, remouetur etiam natura descripta, sed caliditati in igne non conuenit descriptio naturæ, quæ talis est, Natura est primum principium motus, &c. In qua dixit (primum) ad differentiam secundarij principij, quòd secundarium principium est semper immediatū agēs, & per consequens instrumētarium, modò caliditas in igne est immediatum agēs, quo circa & secundarium, ac instrumentarium principium, quapropter non erit natura, cum natura debeat esse primariū agens; Vnde Arist. in de Sensu, & Sensili, dicebat, Ignis inquantum ignis non agit, .i. immediatè sua forma substantiali non calefacit, sed inquantum calidus, .i. mediante sua caliditate; quod dico de caliditate respectu ignis, idem intelligendum est de alijs qualitatibus in alijs elementis re-

Rationes probantes qualitates primus non esse formas substantiales elemētorum.

eis repertis; Nec valet illa responsio, quæ ab istis datur, quòd non inconuenit substantias imperfectas immediatè agere, quales sũt substantiæ elementorum; Quia si sic esset, cũ nõ sit maior ratio de actione, quàm de passione, ergò sicut substantia imperfecta immediatè potest agere, similiter substantia imperfecta posset concurrere ad passionem, & non per qualitates passiuas, sed materia prima imperfecta est, & tamen non concurrit ad passionẽ, & transmutationem nisi per qualitates alteratiuas, & passiuas; Amplius, diffinitio naturæ, vel conuenit cuilibet naturæ, vel non, secundum non est dicendum, quia tunc descriptio non conuerteretur cũ descripto, ergò relinquitur primum, quòd conueniat cuilibet naturæ, ergò naturæ ignis, sed natura est principale principium, caliditas verò in igne non est principale principium, cum sit immediatum agens, ergò &c. Rursus, si istæ qualitates essent formæ substantiales elementorum, tunc substantia esset contraria substantiæ ratione sui, & sic vnum elementum non posset immediatè transmutari in quodlibet elementum, quod est contrà Arist. 2. de Gen. & Cor. tex. 24. & 26. nam natura non transit de extremo ad extremum, nisi per medium, si ergò substantia ignis contrariaret substan-

tiæ

tiæ aquæ, ratione substantiæ, cum sit extrema remotio inter ignem, & aquam, non quo ad situm, sed quo ad eorum naturas, cum ignis sit calidus, & siccus, aqua verò frigida, & humida, natura non transiret ex igne in aquam, vel ex aqua in ignem, nisi per medium; Aliqui volentes saluare Alex. qui tenuit in formis substantialibus elementorum esse cõtrarietatem meritò sui, & non meritò qualitatũ; Dicunt, quòd elementa in proprijs regionibus non possunt immediatè inter se trãsmutari, sed extrà proprias regiones, sicq; volunt formas substantiales elementorum contrarias esse ratione sui, absq; hoc quòd sequatur, necesse esse semper elementa inter se transmutari, sic etiam dicunt pró Themistio, Sed hoc nihil est, quia accipio elemẽta extrà proprias regiones, adhuc forma substantialis ignis meritò sui contrariatur aquæ, sed ista cõtrarietas ẽ extremi ad extremũ quo ad sui substantias, & nõ quo ad situm, ergò adhuc extrà propriam regionem, aqua immediatè nõ poterit conuerti in ignem, nisi per medium, cuius oppositum videmus ad sẽsum apud fabros ferrarios, qui cum volũt molificare ferrum, vt ignis in carbonibus magis accendatur, proijciunt aquam super ignem, vt aqua conuersa in ignẽ, ille ignis maior reddatur.

Controuers. 2. super tex. 10. & subsequentibus vsq; ad tex. 17. inclusiuè.

An motus sit in Agere, & Patti.

IN vltima parte istius tex. vsq; ad tex. 17. inclusiuè, probat Arist. in Actione, & passione non esse motum, & hoc per tale medium; Si ad agere, & pati esset motus, cum agere redducatur ad mouere, & pati ad moueri, tunc motus esset ad motum, quod esse impossibile ostendit in tex. subsequentibus, ergó motus concludit nõ erit in agere, & pati; Sed oppositũ huius habetur ab ipso Arist. in Prædicamentis, vbi statuit motum esse in prædicamento passionis; Soluitur hæc controuers. de facili, per ea quæ sepius dicta sũt, quód Motus accipitur dupliciter, vno modo prò fluxu formę, sicq; ponitur in Prædicamẽto passionis; Alio modo prò forma fluente, sicq; est in eodem prædicamento cum forma quæ terminat motum, & sic motus non est in agere, & pati, quia quæ terminant motum nõ sunt actiones, nec passiones, quia si sic esset, tunc motus esset ad motum, quòd per se est impossibile, sicut Arist. probat.

Cur Arist. nõ probauerit in quádo sicut, &

Contro. j. super tex. 18.

COncludit Arist. quòd cũ in substantia nõ sit cõtrariũ, nec in ad aliqd, nec in facere, & pati, nec in ijs etiã erit motus

sed

sed solũ reperietur in quãtitate, qualitate, & vbi; Primõ occurrit considerare, cur Aristot. sicut probauit ad substantiam nõ esse motũ, nec in ad aliquid, nec in facere, & pati, cur nõ similiter hoc probauit de quando, situ, & habere, cum ergõ hæc omittat, videtur diminutus; Bræuiter dicimus Arist. hæc omisisse, quia minus videbatur secũdum ista posse esse motum, quàm secundum illa, ideó non fuit solicitus probare de his, sed benè de illis; Ac quia aliquis posset quærere rationes aliquas super hoc, ideõ ego eas adducam, nè ille talis illas desideret, licet de ijs multa dixerim ex Simpl. in Solut. Controu. super tex. 5. huius Tertij; Et incipio à Situ, & primõ arguo sic, Inter contraria mediata est motus, vt habetur ab Arist. ac Auerroe in frã in hoc Quinto. t. C. 26. at inter sedere, & stare non est medium, quod sit mistum ex sessione, & statione, sed est forma simplex non habens intercipi in medio, ã equã sit ĩ extremõ, ergo &c. Amplius, quod terminat motũ debet esse absolutum, vt quantitas qualitas, & vbi, sed situs non est forma absoluta, cum sit corpus sic ordinatũ esse in loco, vel aliter, ergõ ad ipsũ non est motus per se, sed per accidens, nã licet aliqua moueantur ad locũ per se, per accidens tamẽ mouẽtur ad sic, vel aliter disponi;

Habere non esse motum.

Rões probantes situ non esse motum.

Rur-

Rursus, quòd mouetur ad locum, mouetur ad situm, sed impossibile est duo æquè primò terminare eumdem motũ, ergò si vnum terminat per se, alterum per accidens, sed locus terminat per se motum localẽ. ergò nõ situs, per accidens igitur illum terminabit; Verum

Probat in situ esse se motũ. Aliquis cum Auicenna qui tenuit ad situm esse per se motum, posset cõtrà determinata sic insurgere; Sedens venit paulatim, cũ surgit de vna forma situs in aliam, ergò in situ ẽ motus; Dicendum sicut dictum est, quòd ille qui sic mouetur, per se mouetur secundũ vbi, secundum verò situm per accidens, idcò non valet; Amplius, si quis sic instaret, Cœlum mouetur varians situm, & non locum, ergò motus est in situ; Dicendum est, quòd Cœlum secundum formam mutat locum secundũ totum, & secundum partes, secundũ verò materiam mutat locum tantum secundum partes, vt patet Sexto huius tex. 85. & Octauo huius tex. 76. Rursus, si quis sic obijceret, motus est inter contraria, situs autem differẽtiæ sunt contrariæ, vt sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, & sinistrum, ergò, &c. Sciendum esset, contrarietatem in differentijs situs non esse propter situm, sed propter loci differentias, in quibus situs est, & à quibus causatur, & sic motus qui est inter contraria

ille

ille per se est in loco, per accidens verò in situ; Quo in loco sciendum est, quòd vbi per se est terminus motus localis, situs verò per accidens, nam per vbi locatum est in loco simpliciter, per situm verò est sic, vel sic in loco, vndè situs est posterior vbi, & immò non potest esse motus ad situm, nisi sit ad vbi; Posset dicere ille, satis mihi erit in hoc satisfactum de situ, quo ad hoc, quòd secundum ipsum non sit motus, si etiam hæc alia ratio erit soluta, quæ talis est; Cuicumq; competit diffinitio motus illud tale est motus, sed variationi secundum situm competit diffinitio motus, est enim variatio situs continuus exitus de potentia ad actum, ergò variatio situs est motus; Huic respondetur hoc modo, quòd licet ille qui variat situm, exeat de potentia ad actum, tamen ille actus est eius per accidens, & non per se, sed motus est exitus de potentia ad actum, qui est actus eius per se, modo motus est per se in loco, per accidens verò in situ; Et hæc dicta sufficiant quo ad situm; De quando dicimus, quòd in illo non est motus, quia in illo prædicamento est motus, ad quòd per se est motus, sed ad quando per se non est motus, ergò, &c. Minor probatur, quia sicut ad agere & pati non erat per se motus, quia attri-

Probat in quando non motum.

nebat

nebant ad motum sic nec ad quando, quia quando causatur à tempore, & tempus est numerus motus; Per idem patet ad Habitum non esse motum, quia habitus qui est adiacē-tia eorum quæ circumstant corpori, non terminat perse motum, sed per accidens, si enim alicui vestimenta de nouo debent adiacere, quæ sibi prius non adiacebant, oportet ipsū prius moueri ex vno vbi in aliud vbi, & accidit cum fuerit in illo vbi, quòd ibi sint vestimenta quam sibi adiaceant; Amplius, vt habetur ab Arist. in isto Quinto, omnis motus est de contrario positiuo in contrarium positiuum, & hoc quidem patet ex tex. 7. 9. 12. & 18. ac 26. Sed habitui nihil contrariatur positiuē, nam vestito contrariatur nudū, quod licet affirmatiuē significetur, tamen priuatio est, sed motus non est ex priuatione in habitū, quia inter priuationē, & habitum non datur medium, at motus est de contrario in contrarium, per medium, vel secundū formam, vel secundum magis, & minus; Si autē aliquis super hoc cuperet documentum, per quod valeat cognoscere ad quæ perse sit motus, & ad quæ non est perse motus; Dicat, quòd si ad aliqua perse debet esse motum, necessario illa debēt habere contrarium positiuum, siue modo tran-

Probatur ad Habitum non esse motum.

In quibus sit perse motus & in quibus non.

ſmutatio facta ad ipſa non ſequatur trā-
ſmutationē factā ad alia, qualis eſt tranſmu-
tatio facta ad qualitates primas, ſiuè ſe-
quatur tranſmutationem factam ad alia, qua-
lis eſt tranſmutatio facta ad qualitates ſecū-
das, dum modò illa, à quorum altero in alte-
rum eſt tranſmutatio ſint contraria poſitiua,
hoc ſufficit quòd rario ipſorum non conſi-
ſtat in indiuiſibili, ſicut eſt de relatione, & ſi-
tu, requiretur etiam quòd non aduenianſ
ſubſtantijs ſine mutatione facta in eis.

Contro. 2. ſuper eodem text. 18.

An motus ſit in quantita te, qualitate, & vbi.

Occurrit ſecundo conſiderare, An con-
cluſio Ariſt. ſit vera, inqua ipſe in-
quit, (ſecundum quantitatem, quali-
tatem, & vbi motum eſſe tantum,) Et quia
hæc concluſio eſt vna propoſitio excluſiua,
& quælibet propoſitio excluſiua præſuppo-
nit ſuam præiacentem, ideò prius videndum
eſt, An præiacens iſtius ſit vera, quę talis eſt,
In his tribus prædicamentis eſt motus; De-
indè videbimus dè excluſiua, quę eſt, quòd
tantum in his tribus eſt motus; Quo ad pri-
mum videtur quòd hęc non ſit vera, quòd
in his tribus prædicamentis ſit motus; Et
ratio eſt, quia motus nō eſt in quantitate, nec
in loco, ergò &c. Primò probatur quod motus

non

non sit in quantitate; quia dicebat Auctor in Com. præsenti 18. quòd causa vniuersalis propter quam est possibile vt motus tolummodo sit in his tribus prædicamentis, est hoc quia contraria sunt in his; Sed tunc sic quantitas non habet contrarium, vt dixit Arist. in Prædi. Cap. de quantitate, ergò in quantitate non erit motus; Vnicuiq; difficultati sicut proponitur, sigilatim satisfaciam; Et dico, quòd dictum illud Arist. in Prædic. in quo habet, quantitatem carere contrario, esse secundum famositatem, & non secundũ veritatem; Quod probo, si enim illud esset verũ per eamdem rationem per quam ibi Aristot. probat hoc, possemus etiã nos probare, qualitatem non habere contrarium, quãdo Arist. ibi inquit, si magno esset contrarium paruũ, tunc idem sibi met posset esse contrarium, quia vnum, & idẽ ad aliud, & ad aliud sumptum, poterit esse magnum & paruum vt patet; Per idem possumus ostendere, calidũ & frigidum non esse contraria, quia si sic, idem sibi met contrariaretur, cum tepidum respectu frigidi sit calidum, & respectu calidi sit frigidum, sicq; ratio illa per quam Arist. probauit quantitatem non habere contrarium nulla esset, sed adducta fuit ab eo ibi, quia erat famosa, quocirca famosum etiam erat

An quãtitas habeat contrarium.

quam

quantitatem carere contrario, & immò hoc possunt in Prædic. inquibus vt in pluribus loquitur secundum famosiratem, sicut colligitur de intentione Auerrois, Quinto Met. 18. Sed si quantitas accipiatur, vt à naturali consideratur, verum est ipsam habere contrarium, ab eo enim consideratur, vt est mensura, ac terminus corporum naturalium, quæ habent terminum, & rationem magnitudinis, & augumenti, vt Secundo de Arist. t. 41. quæ corpora naturalia cum attingunt illum terminum, atq; illam magnitudinem, tunc perfecta sunt, & cum sunt extrà illam, sunt imperfecta, & diminuta, sicq; perfectio & imperfectio secundum quantitatem circà idem habent fieri in Physicis, & ratione huius in quantitate est contrarietas: Si autem quis petat, An quantitas vt à Mathematico consideratur habeat contrarium: Dicerem, ex quo Mathematicus considerat quantitatem vt est multiplicabilis ab vnitate sicut est numerus, vel vt est terminabilis à linea, vel lineis in continuo, sic non habet contrarium, cum figura non contrarietur figuræ secundum veritatem, vt habet Tertio Cœli. 75. licet figura diuidatur per contraria secundum apparentiam, vt patet ex primo huius. t. 41. nec numerus contrariatur numero, sicq; etiam veri-

ficatur

ficatur dictum Arist. in Prædic. cum inquit, Bicubito non contrariatur tricubitum secundum considerationem mathematicã abstrahendo à corporibus naturalibus; Ex quibus infero, ambas hoc propositiones verificari, quantitatem habere contrarium, & quantitatem non habere contrarium, prima est vera secundum considerationem naturalem, secũda verò veritatem habet secundum considerationem mathematicam; Probo nunc quód motus non sit secundum locum; Et pró hoc quæro quid intelligas per locum, vel idem quòd vbi, vel quid distinctũ ab vbi, si quid distinctum ab vbi, cum locus sit quantitas, ergó motus localis nõ esset distinctus à motu secundum quantitatem, sicq́; duo tantum essent genera motuum, s. secundum quantitatem, & secundum qualitatem; Si verò per locum intelligis idem quód vbi; Contrà, vbi est quidam respectus, & ad respectum per se non est motus, ergò nec ad vbi erit motus; Vel argumentemur sic; Cum dicis dari tertiũ genus motus contradistinctum à duobus alijs generibus, & illud dicis esse motũ localem; Quæro quid intelligis per locum, vel locum mathematicè acceptum, vel naturaliter, si mathematicè, ille nõ est nisi quantitas, ergò motus localis erit ad quantitatem; Si

natura-

liter, cum locus naturaliter acceptus suprà locum mathematicè acceptum, non addat nisi qualitatem, ergò motus localis sic erit ad qualitatem, sicq; habebo duo tantum esse genera motus; Respondeo, & dico, quòd per locum, audimus locum naturalẽ, qui est terminus extrinsecus motus realis, nam motus localis per se est ad vbi, tãquàm ad terminũ intrinsecum, ad locum verò tamquàm ad terminum extrinsecum, quod sic ostendo; Per omnem motum aquiritur aliquid inherens mobili, vt patet per diffinitionem motus, quæ asserit, quòd motus est entis actus in potentia, secundum quòd in potentia, sed locus non inheret corpori locato, ergò oportet ponere per motum localem aquiri aliquã perfectionem à mobili, aliam à loco, quæ perfectio sit subiectiuè in mobili, & locato; Amplius, si motus localis esset ad locũ tamquàm ad terminum intrinsecum, cum locus sit quantitas mathematicè acceptus, naturaliter verò acceptus, addit suprà locum mathematicè acceptum, solam qualitatem, tunc si motus localis esset ad locum mathematicè acceptum, esset ad quantitatem; Si verò ad locum, naturaliter acceptum, esset ad qualitatem, sicq; motus esset secumdum duo prædicamenta tantum, & non secundum tria, motus

ergò localis est secundum locum, tamquàm secundum terminum extinsecum, secundum verò vbi, tamquàm secundum terminum intrinsecum, & cum locus sit nobis notior, q̄ vbi, dicitur motus localis; Vndè hoc modo intelligendum erit dictum Auerrois Sexto huius 39. vbi inquit, Transmutationē in vbi numerari in quantitate, non meritò termini intrinseci, sed extrinseci; Et cū dicitur, quòd in vbi perse non est motus, quia est quidam respectus; Dico vbi qui est terminus intrinsecus motus localis, esse quamdam formam procedentem à circum scriptione actiua loci, & à circum scriptione passiua locali, per quam formam aliquid dicitur esse in loco formaliter, ó est respectus, & ad respectū non est motus; Dico vt inqt Scotus Tertio Sēt. q. 1. Artic. 3. quòd Relatio tripliciter se habet ad fundàmentum, vnomodo quòd fundamentū nō potest poni sine relatione illa absq; contradictione, quia fundamentum non potest sinè contradictione esse sinè terminò illius relationis, nec ēt sinè relatione ad terminū, quia illa natura necessario requirit illū terminū ad sui esse, & tales sunt relationes creaturæ inquantum creatura ad Deum, inquātum creator, huiusmodi relatio est idem realiter fundamento, sicut patet ex Distinct. 2.

Relatio tripliciter se habet ad fundamē tum.

Primi

Primi Lib. Aliomodo fundamentum potest esse sinè relatione, quia potest esse sinè termino, fundamento tamen, & termino positis, necessario sequitur illa relatio, ita quòd ista duo simul posita, sunt causa necessaria relationis, siuè in vtroq; extremo, siuè in altero, exemplum à similitudine in albo, & albo; Tertio modo relatio potest non necessario consequi fundamentum, quia non necessario coexigit terminũ, nèc habitudinem illam ad terminum, neq; etiam fundamento, & termino positis, necessario consequitur relatio ambo extrema, vel vnum, sed contingenter dicitur aduenire extremò, etiam postquàm quodlibet absolutum in ipso, & termino fuerit positum in esse, hoc modo multæ se habent relationes, vt communiter vniones absoluti ad absolutum, si enim forma perse esset, & materia perse esset, vt corpus organicum, & anima, vel si subiectum esset perse, & accidens perse, vt panis, & quantitas, si dè nouo vniãtur, nullum absolutum nouum est in altero extremo, sed ista relatio contingenter se habet, vt possit inesse, & non inesse, etiam extremis positis; Ad relationem primo, & secundo modo non est motus, sed benè ad relationẽ tertio modo, & vbi est dè respectibus tertio modo acceptis, ad quos potest esse

Quomodo ad Relationẽ sit motus & quomodo non.

motus; Et si adhuc aliquis dicat, non ex toto est mihi satis factum, quia per auctorem ex Principiorum, vbi non suscipit magis, & minus, ergò ad ipsum non erit motus, probatur consequentia per dictũ Arist. Tertio huius, 4. quòd motus non distinguitur à termino motus, nisi secundum magis, & minus perfectum; Notandũ est hic pró solutione huius, quòd cum motus non dicatur vniuocè, vt voluit Auerroes in Com. 4. huius Tertij, diffinitio eius non eodem modo competet omnibus motibus, nam in alteratione quod alteratur, tendit de qualitate remissa, ad qualitatem intensam; quod verò augetur, de quãtitate minus extensa, ad quãtitatem magis extensam, seu dè quãtitate minori, ad quantitatem maiorem; Quod verò mouetur ad vbi magis, & minus appropinquatur ad vbi intentum; Itaq; ad hoc vt ad aliquid possit esse motus, requiritur quòd illud suscipiat intensionem, & remissionem, vel maius, & minus, primum reperitur in qualitate, secundum in quantitate, vel quòd ad ipsum possit fieri maior, & minor appropinquatio, quod reperitur in motu ad vbi; nam cum ignis mouetur ad vbi quod habebit in concauo orbis lunæ à principio motus nó aquisit illud quod tendat dè esse imperfecto, ad

esse

esse perfectum, quia illud non habebit, nisi in concauo orbis lunę, sed benè, cum extrà concauum est, & magis, & magis ad illud approximatur, & cum deserit, & iam per trā-sierit spheram aeris, illud vbi quod habet in concauo, aquiritur in ipso igne qui est ens in actu, quod non contingit in aquisitione formæ substantialis in materia, nam licet ipsa cum disponitur prō receptione formæ sub-stantialis, & magis illi approximetur, secun-dum quōd magis, & magis disponitur, tamen cum erit sufficienter dispo sita, recipitur for-ma in ente in potentia, & non in ente in actu, & ideō ad formam substantialem non erit motus propriè acceptus, sicut est ad vbi, sed benè erit communiter acceptus motus; Sicq; cum Auerroes Com. 4. huius Tertij inquit, tuotum nil aliud esse nisi generationē partis post partem illius perfectionis ad quā ten-dit mobile, donec perficiatur, in motu alte-rationis erit partis gradualis generatio, post partem gradualem; In motu auctionis erit generatio partis quantitatiuæ, post partem quantitatiuam; In motu vero locali, erit ge-neratio vbi magis, & magis appropinquan-tis ad vbi vltimatum, & intentum; Sed benè verum est, quōd in alteratione forma fluens à principio motus vsq; ad finem est eadem

numero, quæ semper magis, & magis perficitur; In auctione verò non est eadem quantitas numero, quæ fluit à principio vsq; ad finem, tendens ab esse minori, ad esse maius; In motu verò locali nõ est idem vbi à principio, vsq; ad finem, sed continuè est aliud, & aliud vbi; Et sic dictum Auerrois intelligendum est disiunctiuè, quòd motus vel sit aquisitio partis, post partem alicuius formæ, donec tota forma compleatur, vel maior, & maior appropinquatio ad illam, sicut in motu ad vbi; Formaliter igitur respondendo ad argumentum, Dico quòd licet vbi nõ suscipiat magis, & minus, tamen ad ipsum fit maior, & maior appropinquatio, & cum aduenit, aduenit enti in actu, & hoc sufficit, vt ad ipsum possit esse motus; Hoc declarato;

An tantũ in quãtitate, qualitate & vbi, sit motus.

Considerandum modo est, An sit vera propositio illa exclusiua, quòd tantũ in tribus prædicamentis sit motus, & videtur quòd non, quia dicebatur quòd in his est motus, quia in his est contrarietas; Tunc sic, in Prædicamento ad aliquid est contrarietas, ergò in illo poterit esse motus; quòd in relatione sit contrarietas, patet ex Arist. in Prædic. in Cap. de his, quæ sunt ad aliquid, vbi asserit aliqua relatiua esse contraria, vt scientia insscientiæ & virtus vitio; Respondeo, quòd illud

illud ad quod debet esse motus, debet habere contrariũ meritó sui, & non meritó alterius, modo relatio habet contrarium meritò sui fundamenti; Et si quis diceret, quód eodẽ modo non deberet esse motus ad quantitatem, cum meritõ sui non hebeat contrarium, sed ratione formæ naturalis, cum qua adinuenitur, & prò quanto est in determinata specie; Dicendum est, quód causa diuersitatis est, quia quantitas secundum suam essentiã, & in se, aliquomõ potest habere contrarietatem, nam circumscriptis per intellectum omnibus formis naturalibus, adhuc linea maior esset aliquomodo perfectior quàm linea minor, sicut totũ est perfectius sua parte, & sic in essentia lineæ adhuc esset contrarietas, quæ posset esse inter formam magis perfectam, & minus perfectam eiusdem speciei, quod non reperitur in relatione, quód secundum se habere possit contrarietatem.

Contro. super tex. 19.

DIcit Arist. (Magis, & minus est ex eo quia plus, aut minus contrarij inest;) Instantia est de lumine, quod intenditur, & remittitur, & tamen non ratione contrarij, cũ careat eo; Ideò sciendum est, quòd hæc propositio verificatur in habentibus contrarium positiuum; In non habentibus

Magis, & minus an sit ratione contrarij.

verò non verificatur, & sic procedit instantia de lumine adducta, quod intenditur vel remittitur propter fortitudinem, vel debilitatem agentis; Adhuc etiam est sciendum,

Magis, & minus in elemẽtis à quo prouenit.

quòd vniuersaliter non verificatur in habẽtibus contrarium positiuum, eo quia est instantia in elementis, quorum vnum respectu alterius est in vna qualitate remissum, vt patet per Arist. 2. de Gen. & Cor. t. 22. & 23. & tamen non est per admistionem contrarij, sed talis intensio, & remissio in ipsis elementis insequitur propinquita em, vel distantiã motui cœli ab eodem, vt patet. 2. de Cœlo, & Mundo. t. 94. vbi habetur propinquitatẽ motui Cœli largiri calidi atem leuitatẽ, & motum; In substantijs verò quæ non habent contrarium positiuum magis, & minus attenditur penes appropinquationem ad primum in genere, & remotionem ab eodem, vt in genere entis, illud est perfectius, quod Deo glorioso magis appropinquatur, illud verò erit inperfectius, quod magis ab eo distat. Quod apparet ex his quæ 4 Met. t. 2. habentur, vbi inquit Arist. (Vnum quodq; maximè est tale, propter quod alijs inest vniuocatio;) Et 4 Met. t. 18. dicebat,) illud est verius, quod est primo vero propinquius; (Et primo Cœli. t. 100. dicebat;) A primo quidẽ

Magis, & minus in substãtijs penes attendatur.

ente

ente omnibus communicatum est esse, his clarius, his verò obscurius; (Pariter secundo Cœli dixit,) Semper id est melius, quod est optimo propinquius; (Et Auerroes Com. 64. dicebat; (Distantiæ entium sunt valdè diuersæ in hoc;) Prò hoc etiam facit, id quod habet Arist. in Prædicamento substantię, vbi dicebat,) (Quòd substantia secunda quæ est species, est magis substantia, quàm substãtia secunda, quæ est genus; (Ratio erat, quia est proximor primæ substantiæ;) (Prò hoc etiam facit id, quod habet Primo Post. vbi docet Arist. per cõparationẽ ad prima principia, quæ sunt prima in certitudine, & cognitione venari præstantiam demonstrationum in scientijs, cum illę quæ procedunt ex proximioribus primis principijs, sint maioris certitudinis, ac nobilioris; Amplius, Sexto Ethic. Cap. Primo dicebat Arist. (In omnibus habitibus quemadmodum in alijs, est quoddam signum ad quod inspiciens rationem habens intendit, & remittit;) Ex quibus omnibus patet, quòd in nõ habentibus contrarium positiuum, magis, & minus attendi penes accessum ad primũ in illo genere, & penes recessum ab eodem; Quod est contrà sophystas asserentes, illud esse penes accessum, & recessum à non gradu, & adducũt

hanc

hanc rationem potissimam, quæ nihil valet, & dicunt, Cum Deus gloriosus sit infinitæ virtutis, ac vigoris infiniti, omnes ergò creature æquali distabunt distantia ab ipso, cũ finiti ad infinitum nulla sit proportio, sicut habetur ab Arist. Tertio huius, & Primo Cœli, vbi dè infinito pertractat; Et hoc est vnũ de potissimis fundamentis dicẽtium, perfectionem in entibus non attendi penes accessũ ad summum, sed penes recessũ à non gradu; Quod dè facili soluitur secundum Auerroẽ, Dicendo quód argumentum nullius est roboris, quia vt vult Auerroes in plerisq; locis finitas vigoris secundum Pylosophos contingit formis, inquantum formę licet finitas durationis competat formis ratione qua in materia sunt; vt patet 2. Cœli. 38. & 70, Et in Tertio Cap. dè substantia Orbis; At nè videar subterfugere argumentum, (Concesso) Scut rei veritas est, (quod Deus benedictus sit infiniti vigoris,) Dico quòd propter hoc non tollitur, quin possit esse mẽtrum, & mẽsura omnium entiũ, quia licet perfectio Dei in se considerata sit formaliter infinita, tamẽ vt estimitabilis, ac participalis à creaturis, non est infinita sub tali ratione, quia nullam creatura potest participare perfectionem infinitam, sub ratione qua infinita est, sic etiã

est

est mensura creaturarum vt imitabilis est à creaturis.

Contron. super text. 20.

An diffinitio quietis, conueniat omni quieti.

INquit Arist. quòd inmobile illud dicitur, quod aptum natũ est moueri potestq; moueri, non autem mouetur tunc, ideſt in illa hora, qua est aptum moueri. Addit, nec vbi, ideſt in illo loco, in quo est aptum moueri. Adpe, nec quomodo, ideſt non mouetur eo modo, quo est aptum moueri; Addit etiam, quòd hoc propriè dicitur quiescere, quod careat motu in tempore illo, quo natũ est moueri, & in loco ac dispositione motus secundum quàm illud natum est moueri, & hæc quies contrariatur motui; Quæ quietis diffinitio non videtur recta, cum non cõueniat omni queti, sed tantũmodo quieti ipsius animalis, ac quieti violentæ, minimè quieti naturali; Quę declarantur. Primo conuenit hæc diffinitio quietis, quieti ipsius animalis, cum talis quies sit inmobilitas eius, quod natum moueti, & in loco, inquo debet moueri, quod patet, si enim animal fuerit in hac parte, est natum moueri; Conuenit etiam quieti violentę cum illud, quod quiescit violenter, careat motu in tempore, quo natum est moueri, ac in loco inquo similiter natum est moueri; At queti naturali minimè videtur

Quies ẽ triplex, Animalis, violẽta, & naturalis.

tur conuenire, cũ illud naturaliter quiescat, quod caret motu in loco, in quo est natum moueri; Possumus dicere, hanc diffinitionẽ conuenire cuilibet quieti; Quòd conueniat quieti ipsius animalis, ac quieti violentæ, hæc sunt satis clara; Quod verò cõueniat quieti naturali, declaratur, nã terra quiescens in suo loco naturali, caret motu, quem potest habere, cũ est extrà illum, & sicut nata est habere.

An esse simul in loco, sit recte ab Arist. diffinitum.

Controuer. I. super tex. 22.

IN prima istius tex. particula habemus àb Arist. quòd ea sunt simul secundum locũ, quæ sunt in eodem loco primo, ideſt proprio, qui locus proprius (addo) erit ille, qui non est locus mediante alio loco, sicut est locus communis, qui continet locatum mediãte loco proprio; At qui fieri potest, quòd illa descriptio sit recta, cum ex illa sequatur dari corporum penetrationem, quam nõ admittunt Philosophi, vt patet ex Quarto huius tex. 53; Dicendum est, descriptionẽ illã esse quid nominis, non autem quid rei, sicut pariter est descriptio dẽ infinito, & de Vacuo; Nulla enim possunt esse simul, ideſt in eodem loco proprio, absq; corporum penetratione, quam abhorrent Philosophi, sicut dictum est in argumento; At secundum fidem, corporum penetratio est admittenda,

quia

quia cum Dominus noster Iesus Christus intrauit ianuis clausis, & dixit, Pax vobis, tunc duo corpora se penetrarunt; Si autem aliquis voluerit illam descriptionem esse entis; Dicat, quòd competit ipsis accidentibus, quæ sunt in eodem loco proprio; Albedo enim, & dulcedo sunt in lacte, vt in eodem loco proprio; Similiter materia, & forma sunt in eodem loco proprio, sed per accidens; Vel dicat quòd hæc descriptio cõpetit toti, & partibus, quæ sunt vnum subiecto, at ratione distincta, totum namq; & partes sunt in vno loco proprio.

Controuer. 2. super eodem tex. 22.

Tactus descriptio, an sit recta.

IN tertia particula istius contex. describens Tangere, Inquit Arist. Tangentia sunt, quorum vltima sunt simul; Prò verificanda huiusmodi tactus descriptione, ac vt insimul tollantur difficultates; Animaduertendum est, duplicem esse tactũ, mathematicum. s. & naturalem; Tactus mathematicus est in ipsis magnitudinibus, quarũ vltima superponuntur, & si magnitudines illæ fuerint corpora, superponuntur superficies eorum contiguæ, & fiunt vna superficies; At si erunt superficies, superponuntur lineæ, & fiunt vna linea, Si verò fuerint lineę, supponũtur pũcta, & fiũt vnũ pũctũ, & idcò

Tactus duplex.

Tactus mathematicorũ quies sit.

Tangentia

Tangentia mathematicè non habent vltima simul, sed vnum; ratio est, quia res mathematicæ, inquamtum mathematicæ non terminãtur terminis proprijs, cum terminus quantitatis in sequatur formam substantialem, à qua abstrahunt res mathematicæ; quapropter in mathematicis vltima semper reuerteuntur in vnum; Tangentia verò Physica cum terminentur terminis proprijs propter suas formas substantiales, habent vltima non vnum, sed simul, ideſt immediata, idcircò dicendũ erit, Arist. hic describere tantum modò tangentia Physica; Quo in loco volo meos auditores scire, quòd (per vltima simul,) poterunt intelligere, quòd sint in eodem loco proprio, quia si poneretur quòd duę lineę tangant se in suis vltimis, duo puncta duarum linearum se tangentium continebuntur sub vno puncto loci continentis, nec ob hoc sequetur, locatum esse maius loco, cum punctum additũ puncto nihil maius efficiat, eadem ratione se habebit in alijs; Nec validum erit dicere, Corpora non possunt esse in eodẽ loco adæquato, ergò nec eorum vltima; Quia & si vltima corporum sint in loco ratione corporum, non oportet tamen illa omninò esse in loco, sicut sunt corpora; Ratio est, quia à corporibus habent quòd sint in loco, A suis verò

Tactus Physicus quid sit.

verō rationibus habent quōd sint taliter in loco, hoc est adæquatē, Vel dicendum erit, quōd per simultatem Arist. intelligit, inmediationem, cum duorum corporum se tangētium superficies sint simul, idest sunt inmediatē, quæ demum cum sint in loco per accidens meritō corporum, quorum sunt extrema, sicut corpora tunc non sunt in eodē loco proprio, sic nēc eorū extrema; Et hoc, quod dictum est, extrema esse in loco per accidēs, intelligatur purē per accidens, ratio est, quia sic locantur ad locarionem alterius, cū meritō sui locari non possint; Quæ verō sic locantur meritō alterius, quæ demum meritō sui possunt locari, sunt in loco per accidens, sed non purē; Et hoc secundo modo Auerroes erit intelligēdus, qui in Primo dē Gen. & Corup. negauit, Vltima esse in loco per accidens.

Controuer. 1 super tex. 33.

An ad vnitatē specificā motus requiratur vnitas termini ad quem ac motus medij.

SAtisfaciendo dubitationi propositæ supra in tex. 23, quæ fuit, An semper motus eiusdem mobilis, & qui sunt ex eodē termino in eumdem terminum sint idē specie, vt cum aliquis ex eodē termino in eumdem terminū nunc recto tramite, nunc gyro transfertur; Respondet, & dicit, quōd determinatum est, quōd si id inquo est motus,

alterum

alterum est spetie, quòd motus in spetie est diuersus; Et per id in quo est motus ne dum intelligit terminum ad quem, sed etiam spatiũ in quo fit motus, & ideò concludit, quòd cum linea recta per quam fit motus, pariter & linea circularis per quam fit motus differant spetie, ideò cum idem mobile ex eodem termino in eumdem terminum nunc gyro, nunc recto tramite tendat, quòd ij motus nõ sunt idem spetie; Quæ responsio non videtur vera; Quia si ad vnitatem motus specificam, requiritur vnitas nẽ dum termini ad quem, sed etiam requiritur vnitas viæ, seũ medij per quod itur ad terminum, tunc sequitur, quòd cum terra descenderet à concauo orbis lunæ ad centrum, motus ille non esset vnus spetie; Ratio est, quia talis terræ motus fit per ignem, aerem, & aquam, quæ media spetie distinguuntur, ergò erunt plures motus spetie distincti, & si sic, talis motus terræ non esset vnus motus continuus, cũ motus spetie distincti non continuentur; hoc autem est absurdum dictu. s. quòd motus terræ à concauo orbis lunæ ad centrum, non sit vnus motus continuus; Breuiter est dicendũ quòd in motu locali recto est duplex medium, aliud essentiale, alterum accidentale; Mediũ essentiale est id, sinè quo non potest fieri

An motu locali recto, datur duplex medium.

fieri motus, vt si terra moueatur motu recto deorsum, non potest non moueri per lineam rectam; Medium accidentale est illud, per quod motus ille potest non fieri, & de hoc tali medio per accidens procedit argumentum adductum de motu terræ per ignem, aerem, & aquam; Et ideo sic dicendum est, quòd sicut motus summit vnitatem specificam à termino ad quem formaliter accepto, ita quoq; summit vnitatem specificam à medio essentiali, non autem accidentali, sicq; patet solutio ad rationem adductam; Et idē erit dicendum, si aliquis transmutaretur ex nigro, in album, per viride, aliquis verò alius ex eodem in idem transmutaretur per fuscū, quòd hæ dealbationes adhuc essent eiusdē speciei, non obstante illa distinctione specifica mediorum, quia illa sunt media accidētaliter ordinata, non autem essentialiter; Sed dicet ille, quod nam erit medium essentiale, cum quis transmutatur ex nigro in album? Dico quòd in tali transmutatione medium essentiale est illa albedo tota, quæ successiuè aquiritur, à non gradu, siue ab illo graduā quo incipit motus, vsq; ad gradum ad quem terminatur dealbatio, medium verò accidētale est rubeum, vel citrinum, accidit enim albedini fluenti, vel sub qua mobile fluit à

cipio motus, donec ipsa compleatur, quòd fit cum tali proportione ad nigrum, & per consequens, quòd resulter talis color medius, Et quia cum Socrates transmutatur ex nigro in album per viride, Plato verò per rubeum, idem est medium essentiale .s. albedo illa remissa, sub qua sunt, donèc in ipsis cõpleatur, ideó hæ duæ dealbationes erunt eædem spetie, licet media accidentalia sint spetie distincta.

Controuer. 2. super eodem tex. 35.

An motus specificetur à termino ad quem.

VIt Arist. motum sumere vnitatẽ specificam ab vnitate specifica termini adquem; Dubitatur, an hoc sit verũ Et videtur quòd non, Ratio est, quia si fic esset, numquàm calefactio esset vnus motus spetie; Quod deducitur, quia illud quod debet fieri magis calidum, oportet prius fieri minus calidum, at magis calidum spetie distinguitur à minus calido, quod probatur, quia magis calidum corumpit minus calidũ, flamma enim maior corrumpit minorem, vt vult Arist. in de Longitud. & Breuitate vitæ. Tum quia magis calidum, & minus calidum plus differunt, quæ duo æquè calida, sed hęc differunt numero tãtum, ergò illa plus quàm numero, sed hoc esse non potest, nisi differãt spetie; Insuper minus calidum est medium in

in aquisitione magis calidi; ergo sunt spetie distincta, cum medium spetie distinguatur ab extremis, teste Arist. x. Met. tex. 23. Dicimus, quòd motus est vnus spetie, ex forma vna spetie, ad quàm est, & omnis albatio cõuenit spetie omni de albationi, pariter & omnis denigratio est eadem spetie cum omni denigratione cum omnis albedo sit eiusdem spetiei, de omniq; nigredine sit idem; Et ad argumentum respondendo, negatur magis calidum, & minus calidum differe spetie; Ad primam probationem respondetur, quòd maior flamma corrumpit minorem, nõ perse, sed per accidens, cum eito cõsummat illud paruum humidum, quod minoris flãmæ nutrimentum existebat, modò quando aliqua debent stabiliri contraria, illa sic se habere debent, quòd alterum perse corrumpat reliquum, sicq; tunc erunt spetie distincta, quòd si alterum corrumpat reliquum per accidens, propter hoc illa non sunt contraria, nèc per consequens dicendum erit, quòd non sint eiusdem spetiei; Ad secundam probationẽ dicitur, quòd duo æquè calida, & dua alia calida, quæ sic se habent, quòd alterum est magis calidum, alterum verò minus, essentialiter, & formaliter loquendo æquè differunt, omniaq; solo numero differunt, cum verò di-

citur, quòd plus differunt calida diformia? Dicimus, hanc diformimatem non esse ex parte caloris, sed ex eo quod diformiter actuat subiectum, quæ diformitas non causat differentiam specificam; Nec etiã tertia probatio procedit, quia peccat, cum mediũ quod spetie distinguitur ab extremis sit mediũ ex extremis compositum, non autem sit medium secundum latitudinem graduum, vt est calor duorum, vel trium graduum, qui non distinguitur spetie à calore decem graduum.

Ad vnitatẽ motus specificã tria requirũtur.

Controuer. 1. super tex. 34. & 35.

DEclarat Arist. quis motus sit vnus numero, asseritq; hoc nobis fieri manifestum diuidentibus, suppleas tu. s. ea quæ concurrunt ad vnitatem motus, quæ tria dicit esse, (Quod, in quo, & Quando,) Per quod, intelligit subiectum quod mouetur, vt homo, vel aurum; Per in quo, intelligit formã secundũ quàm est motus, vt locum, vel passionem; Per quando, intelligit tempus, cum omne quod mouetur, moueatur in tempore? Quæ tria concludit in tex. subsequenti. 35. concurrere ad vnitatem numeralem motus. s. quòd mobile sit vnum per se, & non secundũ accidens, quòd terminus ad quẽ sit vnus, ac indiuisibilis, quòd etiã tẽpus sit vnum, & nõ deficiens; Circà quæ Arist. dicta, Primo

est

est difficultas, quare ad vnitatẽ numeralem motus requiritur vnitas numeralis mobilis, Ad vnitatẽ verò genericá, vel specificá, non requiratur vnitas generica, vel specifica mobilis; Quod esse verũ, cõstat ex Arist. qui in tex. 31. loquẽs de vnitate generica, vel specifica motus, non meminit de hoc vnitate generica, vel specifica ipsius mobilis; Id etiam quod auget difficultatẽ, est hoc, quia motus habet rationẽ formę, cũ sit actus, subiectũ verò eius, seù mobile ipsũ habet rationẽ materiæ, sed vna forma genere, vel spetie, pręsupponit subiectũ vnũ genere, vel spetie, cũ potẽtiæ distinguantur per actus, per Arist. 2. de Ani. t. 33. si ergò ad vnitatẽ motus numeralẽ necessaria est vnitas numeralis ipsius mobilis, etiá ad vnitatẽ motus genericá, vel specificá erit necessaria vnitas generica, vel specifica subiecti; Vel si hęc nõ erit necessaria, nec etiá illa; Bræuiter respondẽdo, dico vnitatẽ genericam, vel specificam motus, esse vnitatẽ formalẽ, & nõ per quantitatẽ; Vnitatẽ verò numeralẽ dico ẽẽ vnitatẽ numeralẽ, & ꝑ quãtitatẽ, Ideò ad vnitatẽ numeralẽ motus requiritur vnitas numeralis subiecti, quęnõ cõcurrit ad vnitatẽ genericá, vel specificá; Et si qs dicat, sicut vnitas generica motus ẽ formalis ita etiá requirit vnitatẽ formalẽ subiecti cur ergò Arist.

Quare ad vnitatem numeralẽ motus cõcurrat vnitas numeralis mobilis, &c.

Arist. non meminit de hac vnitate genetica subiecti? Sciat ille hanc Arist. dereliquisse tamquàm notam ex his, quæ dixerat suprà tex. primo huius Quinti, vbi dixit, (Alterius, & alterius motus, esse aliud, & aliud mobile,) Quod dictum est verum de subiecto formali motus, non autem de materiali, cum omnium generum, ac speciorum motus sit vnum, & idem subiectum materiale; Sed quæret aliquis, An ad vnitatem numeralem motus requiratur vnitas numeralis motoris;

An inmitatem numeralem motus cõcerrat vnitas numeralis motoris.

In isto quæsito tenenda est pars affirmatiua Cuius ratio est hæc, quia Arist. in tex. præcedenti 38. docuit, quòd omnis motus vnus numero est continuus, & econtrà, omnis motus continuus est vnus numero, at motus qui non habet vnum motorem per Arist. octauo huius tex. 82. non est continuus, ergò ad vnitatem numeralem motus, requiritur vnitatis numeralis motoris; Et si ille diceret, ergò per te motus vnus non poterit prouenire à pluribus motoribus; Sciat talis sic obijciẽs, quòd pluralitas motorum simul mouentium idem mobile, non impedit vnitatem, & continuitatem motus, sicut patet de motu nauis tractæ à pluribus mouentibus simul nauim, sed benè pluralitas motorum non simul mouentium nauim, sed successiuè, vt cum vnus

mouet post alium, impedit motum esse vnũ; Sed cur Arist. non meminit hic de vnitate motoris? Dicimus quòd causa est, quia nũdũ erat declaratum, An omne motum sit ab alio motũ, ideò hoc siluit, differẽs vsq; ad octauũ huius, ad quem spectat declarare, An in aliquo casu possit esse vnus motus à pluribus motoribus.

Controuer. 2. super eodem tex. 34. & 35.

An ad vnitatem numerat lẽ motus concurat vnitas numeralis ipsius mobilis.

OCcurit secundo considerare, An dictũ Arist. sit verum dicentis, Ad vnitatem numeralem motus concurere vnitatem numeralem subiecti, seũ ipsius mobilis; Et videtur quòd nõ, quia si canis cadat à turri, & in medio casus moriatur, tunc motus est vnus numero, mobile tamen, non est vnum numero, quia vbi prius erat viuum, nunc est mortuum; Amplius, homo in ambulatione mouetur motu continuo, & tamen non est idẽ subiectũ, cum aliquando quiescat super vnũ pedem, aliquando super alterum sicq; videtur quòd moueatur pulsu, & tactu, cũ motus factus primo pede, dicatur pulsus, quando incipit moueri, motus verò alterius pedis, dicatur tractus, quia attrahitur post primum pedem, & dum quiescit vnus, mouetur alius; Insuper, gutta vna continuè descẽdens super tabulam aridam continuè perdit partes suas,

& ibi motus est continuus, & tamen non est idē mobile numero à principio vsq; ad finē, cū tota gutta moueatur à principio, & in fine nō mouetur nisi pars guttæ, sed pars, & totū non sunt idē numero, ergō ad vnitatem numeralē motus non concurit vnitas numeralis mobilis; Rursus, cadant duę guttæ deorsū, quę in medio casus vniantur, tunc quæro de motu totius aggregati, an prius fuerit, an non: Si dicitur quòd non, ergò illius motus daretur primum sui esse, quod à nullo est cōcessum; Si verò dicatur, quòd ille motus prius fuit, cū non fuerit in illo cōpositō, exquo illud compositum numquàm prius fuit, ergò sequitur, quòd prius fuit in alio subiecto, & per consequens idem motus numero successiuè inveniretur in subiectis perse numero distinctis, quod est propositum; Hæc argumenta dillam ordine retrogrado; Et ad hoc vltimum dicendū est, quòd in tempore præcedenti, quo guttæ mouebantur separatæ, fuit motus illarum guttarum, quę tant duo motus distincti numero, post congregationem earum, in medio tempore sequenti fuit motus ipsius congregati ex duabus guttis, qui motus totalis prius nō fuit in alio subiecto, nèc ōb hoc sequitur, quòd detur primū in motu, quia in motu nō datur primū, quod

sit

sit primũ moueri, vel prima pars motus, sed sed benè datur primũ, ideſt indiuiſibile, antè quod non fuit motus, ſed benè immediatè poſt illud, Et iſte motus totalis, qui in tẽpore ſequẽti eſt, nõ autẽ fuit in tẽpore præcedẽti, diſcontinuus eſt à motu guttarũ ſeparatarũ, non cõtiguus tamẽ illi, cũ inter hunc motũ, & motũ guttarũ dũ mouebãtur ſeorſũ, nulla cadat quies media; Et ideò Ariſt. infrà tex. 40. dicet febrẽ quæ eſt alteratio cõſequẽter ſe habere ad motũ localẽ; Et in Octauo huius tex. 64. dicet, motũ reflexũ nõ eſſe vnũ, dato quòd ibi nõ ſit quies media, quia in eodẽ inſtanti poteſt eſſe finis vnius, & principiũ alterius, vt fieret ſi lapis molaris obuiaret lapillo ſurſũ iecto; Nec dicerẽ ſicut aliqui dicũt hic, quod ille motus totius ita nũc ẽ primò, quòd prius nõ fuit, nec eſſe incõueniẽs alicuius motus dari primũ inſtãs ſui eſſe, vbi ſit motus aggregatus ex motibus prius exiſtẽtibus, & ſit motus mobilis cuius partes prius mouebãtur ipſo mobili nõ exiſtẽte, ſed benè hoc eſſe impoſsibile de motu illius mobilis, cuius nihil prius mouebatur; Hoc vtiq, ego nõ aſſererẽ, quia motus, & quies nõ fiũt in inſtãti, vt patet ex Ariſt. Sexto huius tex. 29. & 30. Et ideò incõueniens eſt dicere, ipſius motus, vel alicuius motus dari primũ inſtans ſui eſſe

In motu quomodo detur primum, & quomodo non.

Id

Id circō dicendum est, sicut prius est dictū; Ad illud de guttis, dicitur, quòd non continuè fit partium de perditio, sed prius vna subitò totaliter de perditur, deindè nihil, sicq; successiuè, quemadmodum accidit in cauatione lapidis per guttas descendentes, quod simul aliquod totum aufertur, sicq; patet, quòd sicut erunt in illo tempore diuersa mobilia totalia sibi inuicem succedentia, sic erunt successiuè diuersi motus ad inuicem non continuati; Ad illud de ambulatione, quòd non sit motus continuus; Dico motum progressiuum animalis non esse continuum, & vnum simpliciter, sed cōponi ex multis motibus, videlicet ex motu pulsus, & ex motu tractus, & etiam possumus dicere ex multis motibus, & multis quietibus, & ideō non est continuus, licet habeat vnū subiectum perse, quod est totum animal; Vel est dicendum, motum animalis esse motum vnum numero, quia compositum est illud, quod mouetur perse, & ipsum est vnum, at partes per accidens mouentur, & ideō licet aliquando fundetur super vno pede, & aliquando super alio, non propter hoc subiectū motus variatur, licet varientur aliquæ partes eius; Ad primum de cane, Dico in via Auerrois, quòd ille motus est vnus continuus à

principio

principio casus, vsq; ad finem, quia licet nõ remaneat idem mobile propinquum. s. canis, remanet tamen idem mobile remotum. s. elementum prædominans, seu corpus mistum graue, & hoc sufficit, cum in corruptione rei non statim fiat resolutio in quatuor elementa, quia elementa remanent in re corrupta, mista, & vnita, vndè corruptio opponitur generationi, putre factio verò resolutioni; Secundum verò tenentes in compositio non esse nisi vnam formam substantialem, aliter est dicendum; Cum enim secundum eos nulla forma substantialis remaneat in cadauere, quæ præfuit in cane, tunc sicut sunt diuersa mobilia, sic erunt diuersi motus numero distincti, non tamen continuati, sed contigui, & sese, cum in eodem instanti sit finis vnius motus, & principium alterius, nam in eodem instanti habet primum non esse canis, & primum esse cadaueris, & cum primo non esse canis, eius motus finitur per remotionem de præsenti, & positionem de præterito, at cum primo esse cadaueris incipit ipsius motus, p remotionẽ dè præsẽti, & positionẽ de futuro.

An mobile, ideẽnumero maneat in motu à principio vsq; ad finem.

Controuer. super tex. 37. & 38.

QVærit Aristot. quomodo sit possibile motum vnum numero habere subiectum vnum, & idem numero, cum corpora

corpora naturalia continuè fluãt, & labãtur? Eadem dubitatio de affectibus corporũ venit faciunda; Quomodo vna sanitas esse possit, si id quod sanescit vnum esse nõ potest? Has dubitationes in verbis tex. 38. subsequẽtis dicit esse extrà præsentem considerationem; Quibus quomodo sit occurendũ, quis petet; Ideõ nè solutio desideretur, ac vt ea, quæ dicta sunt de vnitate numerali motus quoquo pacto habeant debitum complemẽtum, pono hic solutionem illarũ dubitationũ; Et dico duplex esse subiectum motus, alterum commune, alterum proprium; Subiectum commune est materia corporis, ac partes dictæ secundum materiam; Subiectũ verò propriũ est corpus idem secũdum formam ac partes eius secũdum formam; Si ergõ referãtur istæ formæ quæ sunt in corporibus naturalibus ad subiectum cõmune quod est corpus secũdũ partes materiales acceptum, tũc non manent illæ formæ eædem numero, sed secundum speriem; Si autem referantur ad subiectũ propriũ, quod est corpus secũdum cõpositionem suam, quam habet in partibus secũdum formam dictis, tunc formæ istæ eædẽ numero manẽt, quoniã nõ sunt interruptæ per cõtrariũ; Et hanc credidit Albertus esse veram solutionẽ de illis formis; Et ideò etiã nõ

consentis

cõsentit in hoc, quòd esse ipsorũ sit quoddã cõtinuũ fieri, sed vult eas esse quiescentes, & fluxũ fieri in partibus materialibus, quæ sũt sub ipsis, nec sũt subiecta ipsorũ inmediata, sed potius per partes formales acceptas subijciũtur eis; Et immò dicit talia esse subiecta mediata, & cõmunia, ad quorũ variationẽ nõ sequitur necessario variatio ipsorũ, quæ sunt in ipsis; Vndè benè dicit Simpl. hic, dicens hãc quęstionẽ pertinere Lib. de Gen. & Cor. cũ trahat dubiũ secũ p difficile solutu, quo nã pacto quæ augẽtur, vnũ pmaneãt à principio vsq; ad finẽ auctionis; Vbi dicit Arist. quòd id quod augetur à principio vsq; ad finẽ pmanet idẽ secũdũ formã, licet nõ permanet idẽ secũdũ materiã, do exemplũ hoc, dè vmbra alicuius corporis in aqua fluminis, quæ sẽper remanet eadẽ, licet cõtinuè fit alia & alia aqua, in qua reperitur, cum vna aqua fluat, & alia succedat sub illa vmbra, sic est de eo, quod augetur, si enim partes materiales eius cõtinuè fluãt, & labantur per cõuersionẽ nutrimenti in substãtiã nutriti, aliæ tamen partes succedũt, in quibus sẽper remanet eadẽ forã, quæ forma potest remanere eadẽ, nõ quia omnes partes materiæ in qua reperitur, simul recedãt, sed quia vna parte recedente, alia succedit per cõuersionẽ nutrimẽti

sicq;

ficq; numquàm forma illa reperitur sinè materia ; Si autem quis quærat, An sit possibile quòd in processu temporis tota materia quę fuit contracta à principio generationis fluxerit ; Ille talis videat ea , quæ dicuntur à Ioanne Gra. Primo Lib. de Gen. & Cor. Cap. de Auctione de hac re quę nũc gratia breuitatis missa facio ; Et hoc est quod Arist. conuiuendum, & pertranseundum esse dixit, in fine tex. 38. cum huic Lib. non pertineat, sed potius Lib. de Gen. & Cor. Vel dicatur cũ D. Thoma, quòd solutio huius dubitationis spectat ad Metaphy. qui considerare habet de vno, multo, & dè eodem, ac diuerso ; Diluitur etiam & illa difficultas , cum illa innitatur super falso. s. quòd omnia sint in continuo fluxu, sicut opinatus est Heraclytus, quę improbat Arist. Quarto Metaphy. Sat verò est Philosopho naturali hoc scire in loco, quòd si motus fuerit vnus numero, quòd forma aquisita per motum erit vna numero, non autem conuertitur , cum rationi nihil repugnet, sanitatem eamdem esse nnmero mane, & vesperi, sanationem verò secundum quietem interpolatam non esse eamdem numero cum prima, cum tempus sit quiete interlaxatum; Et si aliquis diceret, quid est illud, quod facit continuas possessiones habituum, vt vnus

idemq;

idemq; habitus pridie, & postridie fuerit valetudo; Huic respondet Themist. dicens, scias temporis continuitatem istud efficere, vnde licet homo fiat magis, vel minus sanus, remanet tamen eadem sanitas cum esse sanitatis non intercipiatur, sicut intercipitur, quando totaliter corrumpitur.

Controuer. super tex. 39.

An omnis motus sit cõtinuus.

INquit Arist. omnem motum esse cõtinuũ; Cui dicto videtur repugnare Auerroes Tertio huius tex. c. 6. nec non & Octauo huius tex. Com. 23. vbi vult motum augumẽti non esse continuum Huic respondet Zimara, asserens motui sub ratione qua motus nõ repugnare continuitatem, motui tamen applicato ad materiam sensibilem determinatã, stat cõtinuitatem sibi repugnare, sicut est in casu de motu augumenti, qui non potest esse continuus, sicut probat Auerroes in locis allegatis; Arist. autem in hoc Quinto Phy. ac Sexto considerat motum in communi, non applicando ipsum ad aliqua mobilia determinata, & ideõ omnia quæ verificantur dẽ motu in istis locis verificantur secundũ eius communiratem; Et prõ hoc, quilibet videre poterit infrã in hoc Quinto Com. 45. quòd dicit Auerroes sermonem de motu in hoc Quinto, esse dẽ motu non secumdum quòd

Motus augumenti an sit continuus.

est motus alicuius corporis; Idē habet Sexto huius Com, 15. Hoc quod dicit Zimara, verum est. s. quòd motui augumenti, sub ratione motus non repugnat sibi continuitas; Sed dum dicit, sibi sub ratione speriali continuitatem repugnare, non sum cum eo in hoc; Ratio est, quia cum id quod augetur, necessario moueatur localiter per Arist. Primo dè Gen. & Cor. tex. 25. augumentatio habebit continuitatem saltem partialem, nam licet si consideraverimus totam quantitatē, aquisitam per motum augumenti, continuè non fuerit aquisita à principio vsq; ad finē, sed quietibus pluribus intercedentibus, ita quòd motus augumenti à principio vsq; ad finem conponitur ex pluribus motibus, & pluribus quietibus, vt declarat Auerroes Tertio huius. 6. considerando tamen partem quantitatis, benè illa fuit continuè aquisita in aliquo tempore, & sic illa augumentatio fuit continua; Et si quis dicat, per Auerroem Octauo huius Com, 23. quòd augumentatio fit per minima, quæ continuè non aquirūtur sed in instanti; Sciat ille, quòd in auctione duo habemus, alterum est conuersio in substantiam nutriti, alterum verò est extensio membri, quæ insequitur conuersionem nutrimenti in substantiam nutriti, primum fit in instanti

instãti, ac per minima, at secũdũ fit in tempore, cum enim forma substantialis rei, quę augetur, vt caro generata est in materia nutrimenti, tunc in tempore cõsequenti illud in stãs generationis, potest calor naturalis viuẽtis extẽdere illud totũ cõpositũ ex carne generata, & carne pręexistente dico extensione totius per aliquod tempus, quàmuis fortè illud sit modicum, & paruum, quę extensio continua est augumẽtatio propriè conuersio verò nutrimenti in substantiam nutriti, quam insequitur extensio, est aggeneratio, quæ fit in instanti.

Controu. super tex. 54.

An quies adquã motus peruenit, sit pfectio motus.

DEterminans Arist. in isto tex. quid'rendum sit dè cõtrarietate motus ad quietẽ; vult motum contrari quieti in termino à quo, non autẽ quieti ad terminum ad quẽ; vt dealbationẽ contrari non quieti in albedine, sed quieti in nigredine, cũ albedo sit terminus ad quem dealbationis, nigredo verò terminus à quò; Auerroes autẽ hoc declarãs inquit, Quòd quies ad quã peruenit motus, dignor est vt sit perfectio motus, quã vt sit ei cõtraria; Quod dictũ nõ videtur verũ, eo quia quies, quæ est in termino ad quẽ motus est priuatio motus si sic, ergò quies illa nõ erit motus pfectio,

Insuper, perfectio rei non tollit rem, cuius est perfectio, sed seruat eam, aliter non esset perfectio, sed destructio rei, at per talē quietē motus euanescit, ergò hæc quies in termino ad quem non erit perfectio motus; Istarum dubitationum solutio habetur, habita distinctione ipsius quietis, quæ est hæc, quòd sicut motus dupliciter sumitur, & prò fluxu formæ, & prò forma fluente, sicut diffusè est declaratum suprà in Tertio huius, & præcipuè in Solut. controuer. 2. super tex. 4. Sic quoq; quies bifariam accipitur, vnomodo prò negatione fluxus, alio modo prò permanentia formæ acquisitę per motum in mobili; quæ forma vt terminus motus, conparatur ad motum, vt perfectum ad imperfectum, cum motus prò forma fluente nihil aliud dicat nisi formam acquisibilem sub esse imperfecto, vndè calor, & calefactio nō distinguuntur, nisi sicut calor in fieri, & in facto esse, Sumēdo itaq; motum prò fluxu, & quietē prò remotione, seù negatione illius fluxus, sic quies, & motus opponuntur priuatiuè, nec sic quies existit motus perfectio, quia priuatio non perficit id, cuius est priuatio; At si accipiatur quies secundo modo, sic existit perfectio motus, cum motus sumptus prò forma fluente ordinetur ad quietem in termino ad

Quies dupliciter sumitur.

quem

quem, quæ est duratio formæ perfectę, aquisitæ per motum in mobili, & adhunc ordinatur forma illa impfecta, sub qua fuit mobile, donec sit cõpleta, & perfecta, sicq; quies hoc modo sũpta est perfectio motus; Vndè quãdo quid mouetur ad caliditatem, prius eam diminutè recipit, & imperfectè, quæ vt sic ordinatur ad receptionem caliditatis perfectè, & quandò recipit illam perfectè, in caliditate illa perfecta continebitur remissa caliditas, & tunc calefactum quiescit, & permanet sub esse calefacto aliquo tempore, sicq; dicimus calefactionem esse perfectã, atq; completam; Patet igitur motum sumptum prò forma fluente perfici per quietem in termino ad quem; Quibus habitis; Dico quòd prima ratio concludit quietem sumptam prò negatione fluxus, opponi motui, quo modo non accipimus quietem, cum dicimus ipsam esse potius perfectionem motus, quàm quòd sibi sit contraria; Pariter, & secunda soluitur ex dictis; Licet enim quies in termino ad quem tollat fluxum, non tamen tollit formã imperfectam, quam dicit motus, Immò eam quies continet, ergò in termino ad quem non tollit motũ sumptum prò forma imperfecta, sed includit, sicut calor vt octo, includit calorem vt sex; Et hoc modo intelligimus,

quietem esse perfectionem motus; Nèc à veritate erit remotum hic asserere, quòd cum motus sit à natura ordinatus, vt per ipsum aquiratur terminus motus, perfici motum in aduentu termini, dato quòd desinat ipse motus.

Controuer super text. 56.

Senectus & mors an sit naturalis.

INquit Arist. quòd senescere est secũdum naturam; Cuius oppositum ipse videtur dicere secundo Lib. de Cœlo, & Mundo text. 37. vbi dicit, quòd omnes inpotentiæ, quæ sunt in animalibus, sunt præter naturã, & dat exempla, vt Senectus, & decrementũ; Dicendum est, hæc dicta simul stare. s. senectutem, & corruptionem esse secundum naturam, ac etiam præter naturam; Sunt secundum naturam. s. vniuersalem, eò quia proueniunt ex aliquo naturali principio intrinseco, vt ex contrarietate calidi, frigidi, humidi, & sicci; vndè cum elementa habeant in nopis esse ligatum desiderant dissolui, ad probriaq; ferri loca, quo circà senescere, & mori conuenient nobis naturaliter necessario; Sũt verò senectus, & mors præter naturam. s. particularem, cum natura vniuscuiusq; intendat conseruationem, ac permanentiam proprij subiecti; At etiam scire vos volo, interitum omniũ mistorum non tantum esse naturalẽ,

propter

propter causam vniuersalem, quæ est, desiderium elementorum ad propria loca, sed etiam est naturalis ratione materiæ, per quam res potest esse & non esse, vt habetur. 7. Met. tex. 53; Ac etiam ratione formæ inducendæ: Est etiam naturalis, meritò motus solis in circulo obliquo, vt est perspicuum ex 2. Lib. de Gen. & Cor. tex. 56. Hęc prò nunc sint dicta, cum ex actius hęc sint declarata super tex. primo Primi Lib. de Gen. & Corup.

Controuer. 1. super tex. 58.

An sanitas facta in diebus criticis, sit naturalis.

ASserit Arist. sanationem factam diebus criticis esse naturalem, at illa quæ est præueniens, vel sequens istos dies, dicit, quòd est innaturalis: Prò quorum verificatione, ac difficultatum solutione; Sciendū est, quód in morbis acutis sunt aliqui dies, in quibus victoria expectatur, aut humoris, aut virtutis, qui dies critici vocantur, ideſt iudicatiui; Quidam alij sunt dies, in quibus nō expectatur aut humoris, aut virtutis victoria, sed in eis habetur indicatio huius victorię, qui dies dicuntur indicatiui, nam indicāt victoriam futuram; Quidam sunt alij dies, in quibus nèc expectatur victoria, nèc indicatur victoria futura, sed in eis solent fieri induriæ inter humorem pugnarem, & virtutem, qui tales dicti sunt, indutiarij. Dies criticus

Quid sit dies criticus, & quis sit.

Quid sit dies indicatius, & quis sit.

Quid sit dies indutiarius, & quis sit.

ticus est septimus, indicatiuus eius, est quartus; Si verò quartus quandoq; criticus est, hoc est rarò; Nam Archigenes in toto vitæ suæ tempore non vidit crisim in quarta die, nisi bis, Galenus verò semel, vt recitat ipse Galenus Tertio Lib. de Crisi Cap. 4. Et sic si ambæ istæ ,pprietates in quarto congregantur, quarum vna est, quòd sit dies criticus, altera quòd sit indicatiuus, prima raró, & debiliter in eo reperitur; Decimus quartus dies est etiam dies criticus, eius verò indicatiuus, est dies ũdecimus, adeó, quòd sicut se habet dies quartus ad septimum, sic vndecimus se habet ad decimum quartum, reliqui dies sũt induciari; Ex quibus patet, quód Arist. dictum est verum, nempè quòd si quis sanaretur ab aliqua ægritudine in diebus non criticis, talis sanatio non esset naturalis, cum in illis diebus non expectetur victoria aut humoris, aut virtutis.

An corruptio corruptionis sit contraria an etiá generationi.

Controuer. 2. super. eodem tex. 58.

AFfirmat Arist. Corruptiones esse adinuicem contrarias, nèdũ generationi tantum, hoc q; non esse inconueniens, cũ detur corruptio suauis, alia verò tristis, Prò cuius dicti verificatione, Videnda sunt quæ dicit Arist. in dè Morte, & Vita, vbi declarat qualis mors sit marcor, quæ est mors

Qualis mors dicatur Marcor.

in

in senectute contingens per totalem humidi consumptionem, & inquit, (Quapropter & sinè tristitia est, quæ in senectute fit mors, nulla enim violenta passione animalia corrumpuntur, sed fit omninó insensibilis animę à corpore absolutio, atq; separatio;) Sicq; mors naturalis fit sinè tristitia, cum ibi non sit præsens aliquod tangibile dolorem inferrens, cuius appræhensio nem sequitur sensitiua tristitia; Et si quis diceret, quòd saltem mors naturalis non est sinè tristitia mentali, nam aliquis videns se mori morte naturali, tristatur mentaliter, propter damnum vitæ; Dicendum erit, quòd hoc esset verum, quando tale damnum esset cognoscibile, sed hoc non est cognoscibile, nam ex parte sensus nó cognoscitur, quia animalia cum sunt propè mortẽ lætantur, eo quia calidum pp priuationẽ refrigerationis acuitur, sicq; quodam modo viuaciora videntur esse facta; Et indè est quòd Cycnus propter hanc causam cum moritur morte naturali dulciter cantat, quoniam sentit se vigorosiorem, aucto calido: Licet Pythagoras aliter, sed falsó opinaretur, opinabatur enim inmortalem esse animam Cycnis, ac propterea lętari morte imminente; Nec ex parte intellectus tale corruptiuum cognoscitur, quoniam nullus est adeò senex,

Mors naturalis an sit cũ tristitia sensitiua, & mentali.

Cur animalia cũ ppè mortẽ sunt, lætentur.

Cycnus cur cãtat cũ propè morté é.

qui vno anno non credat se adhuc victurũ; Vndè Arist. 2. Lib. Rethoric. dixit, quòd nullus timet mortem, quoniam vnus quisq; existimat, mortẽ esse procul, Hęc mors itaq; insensibilis est; Ex quibus apparet, non esse dicẽdum, vt dicit hic Auerroes qui vult omnem corruptionem esse necessariò contristabilem, sed violentam esse magis cõtristabilem, naturalem verò minoris esse cõtristationis; Et per corruptionem hic intelligit mortem, animalium .n. corruptio est mors.

Controuer. super tex. 62.

An contraria simul quidẽ subiecto in esse possint; ac in eadẽ subiecti parte.

ELicitur satis clarè ex isto contex. de mente Arist. quòd ea quæ simpliciter contrariãtur, nõ compatiſe, nec simul stare in eodem subiecto posse; Quæ verò contrariãtur quodãmodo, possunt simul in eodem stare subiecto; Et ideò quia motus sursum, & motus deorsum simpliciter cõtrariantur, perfectamq; contrarietatis rationẽ habent, nec secundum totum, nec secundũ partes aliquas se in eodẽ subiecto admittũt at quies in termino à quo, nõ in actu cõpleto, sed secundum quid contrariatur motui, ideò secũdũ partes aliquas se cum motu ex eodem termino in eundem compatitur; Ex his patet, quòd Arist. non sibi contrariatur hic; Et in prędic. vbi dixit, Contraria eidem

simul

simul in esse nequeunt; Quam eamdem sententiam habuit Quar. Met tex. 9. & 21. Ac Decimo eiusdē tex. 13. Eo quia quomodo talis sit intelligenda propositio, ex præsēti contex. clarè colligitur; Et ideō limitando Arist. per ipsūmet Arist. est dicendū, Quōd quæ simpliciter contrariantur, non eidē subiecto simul in esse posse, qa si sic, contradictoria tūc de eodem simul verificarētur; Sed quæ quodammodo contrariantur, se in eodē cōpatiūtur subiecto, absq; hoc, quōd contradictoria de eodem verificentur, nam contrarium simpliciter non denominat aliquid, nisi fuerit in eo in actu completo; Et ideō licet quod mouetur, dū mouetur, prō parte habeat quietem in termino à quo, nō tamen simpliciter dicitur quiescere, sed dicitur simpliciter moueri, nec ob hoc seqtur quod illud moueatur, & non moueatur, qa non habet qetem in termino à quo in actu completo, quæ qes denominat simpliciter aliqd quiescere: Quapropter admirari debemus, q dicunt contraria nullo modo in eadem parte subiecti simul stare posse: Cum tales habeant Arist. in hoc loco cōtrà ipsos; Habent etiā experientiā cōtrà se, qa aer pedalis quantitatis interdicens inter summē calidū, & summē frigidū, simul

calidita-

caliditatē, & frigiditatem suscipere non posset; Insuper, sequeretur contrà eos, quòd ignis calefaciens aquam, totam caliditatē in instanti introduceret, cum per eos ignis nihil causet caliditatis, donec tota frigiditas sit consumpta, ergò post eius interitum causabit totā caliditatē simul, cū non sit maior ratio, quare prius causet vnam partē, quàm aliā, cū non amplius caliditas illa inducenda, vel producenda habeat contrariū in illo subiecto, meritò cuius esset resistentia, & meritò resistentiæ successio, nam vbi contrarietas, ibi resistentia, ibi successio, sicut dixit Auerroes Quarto huius Com. 71. Amplius, si contraria quodam modo non essent composibilia in eadem parte subiecti, sequeretur quòd ignis posset stare sinè caliditate, quod deducitur, sic, accipiatur summè frigidum, & applicetur vni parti ignis, per vos, hoc frigidū antequàm induceret frigiditatem, prius destrueret caliditatē vsq; ad non gradū, sicq; ignis staret sine caliditate, ergò sicut successiuè perditur caliditas, sic successiuè inducitur frigiditas: Amplius, sequeretur nihil posse remitti, contrà sententiā Arist. in hoc Quinto tex. 45. vbi voluit, remissionem semper fieri ratione contrarij; Tunc vltrà sequeretur nihil posse altero calidius, vel minus calidū esse,

cum

cum secūdū eos, nihil frigoris possit admiscari; Admirari etiam debemus de illis, qui dicunt calidū & frigidum eidē subiecto cōsentientia, nullatenus cōtrariari, nec simpliciter, nec sm̄ quid, Sed dicunt, caliditatē tātæ, vel tātæ intensionis cōtrariari frigiditati tātæ, vel tantæ intensionis, & non omnē caliditatem, omni frigiditati; Cum isti habeant Arist. cōtrà se in hoc tex. 62. vbi voluit motum sursum magis esse oppositū motui deorsum, q̄ quietem in sursum motui deorsū, cum motus illi non secūdum totū, nec secundum partes aliquas se in eodem admittant, quod non est de motu deorsum, & quiete sursum, quæ cum secūdum partem, & in actu incōpleto admittit se in eodem subiecto cum motu, ergō quæ in eodem se admittunt, possunt esse contraria quodammodo; Rursus, eorum positio, est contrà veritatem, quia in mistis datur alteratio ab intrinseco, quæ non fit sinè actione, & reactione, quæ prouenit ex cōtrà operatione qualitatū contrariū, quæ stant simul, & ista contrà operatio arguit qualitates, quæ simul se admittunt in mistis esse quodammodo contrarias, sed non simpliciter.

Finis Controu. super V. Lib. Phys.

CON-

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER SEXTVM LIB. PHYS. ARIST.

Io: Ludovici Chartarii.

Controu. j. super Tex. j.

Iesvs *illuminatio mea sit.*

An possibile sit aliq̃ cõtinuum esse ex indiuisibilibus.

IMpossibile est ex indiuisibilibus esse aliquid continuũ, vt lineam esse ex punctis;) Hæc est conclusio quã principaliter intendit probare, & quã probat, præmissa diffinitione continui, & contigui tradita in Quinto huius; Contrà quam conclusionem instatur ratione ista; Partes diffinitiones significant partes rei; diffinitio enim significat essentiã, & principia essentialia, sed partes diffinitionis lineę (de qua in textu exẽplificat,) sunt puncta, sicut constat ex diffinitione lineæ data ab Euclide in principio Primi Lib. Elementorum,, quę est hæc, Linea est longitudo sine latitudine, cuius extrema

sunt

sunt duo puncta, ergò puncta erunt partes lineæ, quæ cum sint indiuisibilia, lineaq; ex punctis constet, ergó continuum componetur ex indiuisibilibus; Quod argumentum concluderet veritatem, si maior propositio accepta vniuersaliter esset vera, quę tãtummodo habet veritatẽ de diffinitione substantiæ completæ, cuius partes sunt propriũ genus, ac propria differentia, at loquẽdo de formis, & accidentibus talis propositio non verificatur, cum talia diffiniantur per additamentum, sicut docet Aristot. 7. Lib. Met. cum autem linea sit accidens, non erit necesse, quòd omne quod ponitur in eius diffinitione sit illius pars; Nec est quód qs obijciat, hanc solutionem repugnare Arist. Primo Post. Cap. Quarto, vbi docens primũ modum dicendi per se dicit, substantiam lineæ constare ex punctis; Cum Arist. ibi loquatur secundum Mathematicos, sicut est declaratum in Lib. Controu. super Libros Poster. in Solut. Controu. j. super tex. 30. ideò ibi vide.

Controuer. super Tex. 2.

IN isto Textu habet Aristoteles pro inconuenienti, Continuum componi ex his, quæ secundum se tota tangunt, Quod tamen non videtur esse inconue-

niens,

inconueniens, cum mistum componatur ex elementis, quæ sunt corpora, quæ elementa in ipso misto secundum se tota tangunt, quælibet enim pars misti est mista, & in qualibet parte misti quatuor ipsa elementa reperiuntur, ergò totum secundum se tanget totum; Omitto solutionem Ioannis Gand. ab ipso datam hic, in Quæst. 4. qui vult quamlibet partem misti esse mistam ex elementis non dræexistentibus, sed de nouo generatis per actiones ipsorum elementorum præexistentium, ita q; particula ignis aproximata particulæ terræ eam transmutat calefaciendo, & quantum ei tribuit de caliditate, tantũ ei tribuit de forma substantiali ignis, consimiliter de parte aeris, & aquæ, & èconuesò est dicẽdum, sicq; vult vnũquodq; elementum producere suam formã in alio, & per consequens quálibet partem misti esse mistam, absq; hoc quód aliquod totum corpus tangat aliud totum corpus; Omitto inquàm hanc solutionem, quia multa supponit falsa, vel saltẽ dubia, supponit enim elementa in misto remanere secundũ suas formas substantiales, supponit etiam substantiam recipere magis, & minus, supponit etiam in eadem materia plures formas substantiales simul esse posse, quę omnia si non sunt falsa, saltẽ dubia sunt, quę

nunc

nunc examinare non intendo, cumq; pertineant ad Primum Lib. de Gener. & Corrup. Et pró nunc, nego elementa secundum se tota tangere, dum veniunt ad mistionem, & ratio negationis est, quia eorum dimensiones, non manét, sicut enim ipsa elementa amittút suas formis substantiales, pariter etiam amittunt quantitatem, sed omnium ipsorum vna, & eadé fit materia, in qua materia forma misti, & quantitas de nouo producta inducitur sicq; elementa secundum se tota non se tangunt, cum eorum inquàm dimensiones non permaneant.

Controuer. super tex. 4.

An tps, motus, & magnitudo sint eiusdé rationis quo ad cópositionem, & diuisioné

EIusdem autem rationis est, & magnitudinem, & tempus, & motum componi ex indiuisibilibus, & diuidi in indiuisibilia;) In quibus verbis asserit Aristot. tempus, magnitudinem, & motum esse eiusdé rationis quo ad diuisionem, & compositionem; Quod dictum videtur esse difficile, cum illa tria differát genere, ergò erit impossibile, illa eamdem habere rationem; Cum ét illorum trium, magnitudo habeat esse permanens, tempus verò & motus habeant esse successiuum, quomodo igitur poterunt eamdem habere rationem? Rectè dixit Ioannes Gand.

Gand. hic in Quæst. 5. dum dixit, illa tria habere eamdem rationē nō genericè, nec specificè, sed quo ad consequentiā, hoc modo quòd si vnū est diuisibile, etiam aliud erit diuisibile; Sed rectius est dicere, quòd inter illa tria sit identitas secūdum proportionem, ita quòd tempus sic se habeat ad suas partes, sicut motus, & magnitudo se habent ad suas, vt si vnum ex indiuisibilibus non componitur, nec alterū ex indiuisibilibus componetur; Aut, quòd Arist. loquantur de identitate simultatis, hoc modo, quòd dum vnum diuiditur, & alterū etiā diuiditur, & hoc est quod in subsequentibus ipse Aristot. ostendit.

Controuer. super tex. 6.

An motus super indiuisibili possit fieri.

SIigitur præsente motu, necesse est moueri quippiā:) In isto textu probat motum non posse fieri super indiuisibili; Cui conclusioni ratio videtur obstare, Cum super illud fieri possit motus, cui mobile potest successiuè applicari, sed ipsi indiuisibili potest mobile successiuè applicari, ergò super indiuisibili poterit motus fieri; mai: nō eget probatione, minor probatur, nā signetur aliquod punctū in magnitudine,

super

super qua mobile mouetur, constat omnes partes illius mobilis pertransire per illud punctum, cum vna pars prius ei applicetur quàm alia, sicut sensu constat, ergò super indiuisibili poterit esse motus; Respõdetur, quòd motum fieri super indiuisibili, contingere dupliciter, vel per se, vel per accidens, per se quidem, ita quòd spatium super quod fit motus, sit indiuisibile, quo modo est impossibile, & hoc est, quod Aristot. in tex. 7. subsequenti probat, si enim sic esset, sequeretur, quòd simul esset moueri, & motum esse, aut quòd indiuisibile esset diuisibile, sicut ipse in textu deducit; Quod adhuc est impossibile, cum super tali spatio non possit signari terminus à quo, nec terminus ad quem, sicq; Aristot. hic est intelligendus; Per accidens verò, adeòq; ipsum indiuisibile sit coniunctum spatio diuisibili, super quo fit motus per se, & hoc modo, motum fieri super indiuisibili est possibile, & hoc est, quod ratio adducta probat, patet enim quòd partes mobilis non applicãtur tunc per se ipsi indiuisibili, sed per accidens, quatenus illud indiuisibile est vnitum cum magnitudine continua, cui partes mobilis successiuè per se applicantur.

Controuer. super tex. 7.

An moueri, & motũ esse, simul esse possint.

SI igitur necesse est id, q̃ mouetur alicũde, aliquo, non simul moueri, & motum esse; In quo textu Arist. habet prõ inconuenienti, simul esse ipsum moueri, & motum esse; Quod tamen non est inconueniẽs per ea quæ docet Arist. in Libello de Sẽsu, & Sensibili, vbi docet, totum motũ in simul posse esse, eo quia stat aliquod totum simul alterari, quod alterari est motus, & verus, & dat exemplum de congelatione, quę tota simul fit; Quam eamdem sententiam videtur habere Primo huius tex. 23. vbi non habet prõ inconuenienti dari mutationes momentaneas, & quæ totæ simul fiunt, si sic, ergõ in simul erit alteratio, & alteratum esse, similiter congelatio, & congelatum esse, & per consequens, in simul erit moueri, & motũ esse; Quod adhuc confirmatur, argumẽto accepto ab illuminatione, quæ est motus quidam, & illuminatum esse est motum esse, & tamen simul sunt illuminatio, & illuminatũ esse, ergõ moueri, & motum esse erũt simul? Respondeo, quòd totum motum esse in simul, stat dupliciter, vel meritõ partium subiecti q̃ mouetur, vel meritõ partiũ magnitudinis super quã fit motus, ac meritõ formę

quæ

que acquiritur, declaro vtrumq; Motum esse simul ratione partium subiecti quod mouetur, vt cum homo, vel aliud quodcumq; mobile mouetur, partes hominis, vel alterius cuiuscumq; mobilis pariter mouentur, tunc quo ad has partes, totus motus est in simul, & quo ad has partes loquitur Arist. locis allegatis, quod enim alteratur, pariter, & quod congelatur, simul quo ad omnes suas partes, quas habet à subiecto, alteratur, & congelatur; Motum verò esse in simul meritò magni uidimus, ac formæ, quæ acquiritur, hoc est impossibile, ratio est, quia illæ partes sùt successiuæ, & motus successiuè per illas fit, sicq; hoc in loco est intelligendus Aristot. dum dicit, non simul esse moueri, & motum esse, quia si sic esset, sequeretur ipsum mobile simul moueri, & non moueri, quod implicat contradictionem, dum enim aliquid motum est ad aliquod, non amplius illud mouetur, quia iam illud habet, & ad id quod iam est habitum, non fit motus, dum verò in aliquo est ipsum moueri, illud tunc mouetur; Et hoc est absurdum ad quod Aristot. deducit dicentem, simul esse moueri, & motum esse.

Contra.

Controuer. super tex. 15.

An omne quòd mouetur cõtingat velocius & tardius moueri.

INquit Arist. (omne autem quod mouetur, contingit & velocius moueri, & tardius;) Contra quam propositionem instat Auerroes, Cœlum mouetur, ergo poterit Cœlum velocius, vel tardius moueri, quàm moueatur; quæ conclusio est falsa, vt patet ex Arist. in Octauo huius tex. 75. mouetur enim Cœlum maxima velocitate, & indè est quòd motus eius est mensura omnium aliorum; Cum igitur conclusio sit falsa, necesse est quòd aliqua præmissarũ sit falsa, non minor vt patet, ergò maior, quæ est ipsius Arist. sic dicentis, omne quod mouetur contingit velocius moueri, & tardius; Quæ adhuc est falsa, quoniam motus naturalis cuiuscunq; mobilis naturalis tàm grauis, quàm leuis remoto omni impedimento est terminatus à natura in velocitate, & tarditate; Huic difficultati rectè satisfacit Auerroes, cuius solutionem aprobat etiam D. Thomas, qui dicit, motum pariter & mobile dupliciter considerari, vnomodo absolutè, vt motus inquãtũ motus, & mobile inquantum mobile, aliomodo limitatè, vt motus inquantum est talis motus, & mobile inquantum est tale mobile; Si mobile, & motus considerentur pri-

quo

mo modo absolutè, sic omne mobile potest velocius, & tardius moueri quàm moueatur, at si mobile, & motus secundo considerentur modo. s. limitatè, scil inquantum motus est in tali, vel tali mobili, sic non omne mobile poterit velocius, vel tardius moueri quàm moueatur, sed hoc naturaliter loquendo intelligatur, sicut Arist. semper loquitur, quia per potentiam Dei absolutam, aliter est; Ratio primi dicti hæc est, quia motus est de genere continuorum, vt dixit Arist. in tex. primo Tertij huius, quod continuum est diuisibile in infinitū, vt ibidem dixit, velocitas verò quæ est in motu insequitur diuisibilitatem quæ est in continuo, at sicut diuisibilitas continui procedit in infinitum, similiter & velocitas quę est in motu procedit in infinitum, quia si velocitas motus inquantum motus finiretur, tunc esset possibile motum fieri in instanti, dixit hic Auerroes, quæ consequentia de se patet, quia si aliter, velocitas illa non esset finita, si sic, non repugnabit igitur motui inquantum motus quòd sit velocior, aut tardior, idem est dicendum dē mobili inquantum mobile; Ratio secundi dicti est hæc, quia mobile quod mouetur maxima velocitate non potest velocius

moueri, eo quia non potest dari maius maximo in eodem genere, at naturaliter loquendo, datur mobile quod mouetur maxima velocitate, sicut est primum mobile, iuxtà Aristotelem Octauo huius text. 75. ergò, &c. Accedit, quòd primum mobile est inalterabile, vt habetur ab Aristot. Primo Cœli, pariter & primum mouens, erunt ergò per se eodem modo disposita ad motum, ergò primum mobile nec velocius, nec tardius poterit moueri, & ad istum sensum procedunt argumenta adducta, iuxtà autem primum dictum verba Aristotelis sunt intelligenda; Sed dicet ille, qui fieri potest, quòd primum illud dictum sit verum, scilicet quòd motus vt motus possit velocitari, cum considerare motum sic absolutè non sit munus Physici, sed ipsius Mathematici? Physicus enim non considerat continuum, nec proprietates continui absolutè, sed quatenus insunt corpori naturali determinato, Mathematicus verò continuum, ac eius proprietates absolutè speculatur; Dicendum est, quòd motus alio modo consideratur ab Aristotele in hoc Sexto Libro, & alio modo in alijs Libris Physicis, hic Aristoteles considerat motum absolutè, in alijs verò

Libris

Libris, vt in Libro de Cœlo, & Mundo, de Generat. & Corrupt. limitatè, ac vt applicatus est corporibus naturalibus; Tunc dico, quòd si Aristot. illud dictum, scilicet omne quod mouetur, &c. pronunciaret in alijs Libris Philosophiæ naturalis, profectò esset reprehendendus, at cum illud sit ab eo dictum in hoc Sexto, in quo motum vniuersaliter considerat, est rectè dictum, eo quia mobile inquantum mobile, & sic reduplicatiuè sumptum, ac absolutè, potest velocius, vel tardius moueri, pariter & motus absolutè acceptus, seù in quantum motus, ac reduplicatiuè potest esse velocior, aut tardior, quæ si illi repugnabunt, hoc erit ratione materiæ, cui est applicatus; Cum verò in argumento dicitur, quòd considerare motum, & continuum, ac eius proprietates absolutè, attinere ad Mathematicum, & non ad Philosophum naturalem; Dico, quòd verum est, Mathematicum illa considerare absolutè, ideſt abstrahendo illa à materia sensibili; At quando dicimus Aristotelem considerare hic motum, ac continuum absolutè, intelligimus (absolutè,) ideſt non applicando motũ, nec cõtinuũ ad hoc, vel illud corpus naturale, ad quæ corpora

naturalia in alijs lib. Philosophiæ naturalis illa applicans sicq; Arist. illa hic cõtemplatur absolutè, idest non limitando illa ad hoc, vel illud corpus naturale, at Mathematicus illa considerat absolutè, idest, abstrahendo illa ab omni materia sensibili.

Controuer. super tex. 32.

An id q̃ mutatur dũ mutatur possit cẽ sub vtroq; termino

INquit Arist. Neq; enim in vtriſq; neq; in neutro esse possibile est) Inquibus verbis intendit dicere Arist. quòd id quod muratur, dum muratur non potest esse in vtroq; termino; Quod dictum videtur esse falsum, quoniam aqua dum calefit, partim est sub frigiditate, partim sub caliditate, sicq; sub vtroq; est termino, sub aliquo gradu; Et ratio est, quia sicut partibiliter aqua recipit caliditatem intensiuè, sic etiam partibiliter deperdit frigiditatem remissiuè, ergõ sequitur q̃ aqua in toto isto motu calefactionis sit sub vtroq; termino quo ad aliquem gradum; Crediderim esse admittendum in motu alterationis idẽ secundum idem insimul esse sub vtroq; termino, sed remissè, sicut ratio probat, quia hæc est Arist. sententia Quinto huius tex. 62. sicut ibi est declaratum, ob hoc tamen

men Arist. nō erit sibi hic, & ibi contrarius cum propositio hic ab eo adducta non simpliciter verificetur dè omni motu, sed tantum modo dè locali, qui verè est continuus, cumq; hic Arist. ipse non agat dè motu, nisi sub ratione cōtinui, dè alijs verò motibus. s. augumenti, & alterationis simpliciter non verificatur, sed quodam modo, dè illis inquàm nō verificatur simpliciter, quia tales motus non sunt simpliciter continui, vt ipse Aristo. declarabit infrà in Octauo huius, de illis verò verificatur vt dixi, quodam modo, vt in motu alterationis, quando. s. vna pars aliam alterat partem, & hoc, quia alterans est paruum, vel debile, secus si alterans sit potens, tunc totum, & quęliber eius pars est sub vtroq; termino, sed remisse, & propter hoc non cessat alteratio, eo quia fit processus ad perdendum perfectiorem gradum termini à quo, & ad acquirendum perfectiorem gradum termini ad quem; Et si aliter videatur dicere Arist: Dico illius verba simpliciter non esse intelligenda de omni motu, sed tantummodo dè locali.

An primū mutatū sit indiuisibile.

Controuer. super tex. 44.

IN quo autem primò primum mutarum est id, quod mutatum est, necesse est impartibile

bile esse, &c. (Inquibus verbis vult Arist. quòd id in quo primò mutatū est id, quod primū mutatū est, esse indiuisibile; Quod dictum videtur esse difficile, cū contingat illud, ad quod aliquid primò mutatū est, esse diuisibile, sicut est videre in motu auctionis, in quo motu id quod augetur, mouetur primò ad quantitatē continuā, quæ tamen est diuisibis, sicut constat; Pariter in motu locali hoc idē est videre, in quo motu locali mobile mouetur primò ad locū exempli gratia A; qui locus est diuisibilis, cū sit superficies, si sic, igitur id in quo aliqd primò est mutatū, stat esse diuisibile; Prò solutione huius difficultatis, primò est notandū, quòd (per primū mutatū esse) intelligit primū esse motus facti, quod esse indiuisibile dicit Arist. esse necessariū: Secūdo, est notādū, q. id ad quod aliquid primò mutatū est, dupliciter cōsiderari, vel secūdū se, ac secūdū sui naturā, quo modo contingit illud tale esse diuisibile, sicut probat argumentū aductū dē motu auctionis, & locali, qui cum sint ad quātitatē continuā, patet quòd illa ratione sui est diuisibilis, & tunc necesse est, quòd id ad quod aliquid primò mutatum est, esse diuisibile, cū mensura semper debeat proportionari mē-

surato

surato, testꝫ Arist. x Metaph. tex. 4. dicẽte, magnitudinũ magnitudinẽ esse mensurã, vt longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, & sic de reliquis; Alio modo potest cõsiderari id, ad quod aliquid primò mutatũ est, nempè quo ad receptionẽ, quæ est in eo quod mutatur, quæ receptio nunc accipitur prò fine acquisitionis formæ, seu rei ad quam est motus, quo modo stat ꝫ id, ad quod aliquid primò mutatũ est, esse indiuisibile, quo. s. ad acquisitionem formæ, ad quam erat motus, cuius ratio est, ꝫ sicut ipsum acquiri continenter, ac successiuè fit, temporeq; mensuratur, pariter & quod primò acquisitum est, necesse est, quòd sit in instanti, ac quòd instans sit illius mensura, quod instans est indiuisibile; Et tunc ad argumentum patet solutio, cum id, ad quod primò aliquid est mutatum sit diuisibile quo ad suam naturam, minimè quo ad receptionem, seu quo ad finem acquisitionis formæ vel rei, ad quam erat motus, ad quem sensum Arist. verba hic sunt intelligenda.

Finis Controu. super VI. Lib. Phys.

CON-

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER SEPTIMVM LIB. PHYS. ARIST.

Io: Ludovici Chartarii.

Contron. j. super Tex. j.

IESVS *illuminatio mea sit.*

An hæc propositio, (omne quod mouetur ab alio mouetur, (sit nota in ijs, quę ab extrinseco mouétur, dubia verò in ijs, quæ ab intrinseco mouétur.

PRoponit Arist. hanc propositionem in primis verbis textus, (Omne quod mouetur, necesse est ab aliquo moueri;) Quam dicit esse manifestam in ijs, quę ab extrinseco mouentur, at in ijs quæ habent principium motus in seipsis, dicit non esse notam, sed dubiam; Contrà eius primum dictum est instantia de proiectis, vt de lapide proiecto à manu, iste motus est ab extrinseco, ist est dubium à quo moueatur, an ab aere, an à virtute impulsa in lapide; Contrà secundum eius dictum est etiam instantia de ipsis animalibus, quæ in seipsis habent principium motus intrinsecum, mouentur, an, ab ipsa

ipsa anima, ergō manifestum est quōd ab altero mouentur, sicq; in ipsis patet, quod nam sit primum mouens, & quod nam sit primum motum, ergō non est dubia talis propositio in habentibus principium motus intrinsecū, nec est nota in ijs, quę ab extrinseco mouentur; Nolo dicere sicut aliqui Latinorum dicunt, nō esse inconueniens vniuersalem propositionem esse certā, ignota particulari, cum non sit simile, quia illa ppositio dicta non est nota nobis, nisi ex inductione, sicut patet ex tex. quare si sit aliquid, quod ab alio non moueatur, est dubitatio; Cum ergō sit instantia dè proiectis, quæ ab extrinseco mouentur, non tamen est manifestum à quo moueantur; Instantia hæc non quidquàm cogit, cum iam sit manifestum, illa ab alio moueri, licet sit ignotum quod nam sit illud à quo talia moueantur; Quo ad secūdum, Dico quōd illa propositio in aliquibus est clara, in aliquibus verō est dubia, at in quibus est dubia? Dicoq; est manifesta in animalibus distinctio motoris à moto, dubia verō est in elementis, ac in mistis inanimatis, sicq; Arist. est intelligendus, quōd talis propositio in aliquibus est dubia.

Con-

Controuer. 2. super eodem text. 1.

An idē ple, primo sit primum mouens, & primū motum.

MAior insurgit difficultas circā veritatem illius propositionis, (omne quod mouetur, ab alio mouetur:) Quæ est, An idem perse primò sit primum mouens, & primum motū, Et videtur quòd sic, Et primò quia Plato (vt habetur ab Arist. primò de Ani. tex. 67.) dixit, Animā esse numerum seipsum mouentem, ergò idē mouet semetipsum; Quod etiam confirmatur, cum finis moueat efficiens, qui finis cū efficienti aliquando coincidit, si igitur finis mouet efficiens, & finis, & efficiens sunt idem, ergò idem mouet semetipsum; Secūdo principaliter argumētor ex dicto Auerrois. 3. Cœli com. 32. & 4. eiusdem com. 22. quibus in locis loquitur dē motu elementorum, & dicit quòd mouens, & motum in illis sunt idem re, quod probat, quia forma est primum mouens, ac primum motum, forma est quæ primo mouet, quia de ratione eius quod mouet, est quòd sit in actu, at forma semper est in actu, idem igitur respectu eiusdem erit primum mouens, & primum motum; Quod confirmatur ex sententia Theologorum, qui dicunt, quòd in intelligentijs sit motus, qui motus in ipsis met recipitur, iuxtà illud, Missus est Angelus Gabriel

briel, &c. Tertio principaliter, & fortius argumentor, subiectum est causa adæquata suæ propriæ passionis, quam passionē subiectum ipsum recipit, vt homo est causa risibilitatis, quæ recipitur in ipso homine & hoc argumento sepius vruntur Scotistæ, cum 9. Met. rex. 19. ab Arist. habeatur quòd omnis potentia merè passiua sit in potentia receptionis actus, cum igitur subiectum sit potentia merè passiua ad suam passionem, ergò erit in potentia ad causandam illā, ad illamq; recipiandam, sicq; sicut subiectum causat passionem, illamq; recipit, ergò idem mouebit se; Sed adhuc argumētor ex dicto Arist. 4. Met. heo. dicētis, quòd omne corpus mistum quantūcūq; vniforme, & quantumcūq; durū sit exse est putrescibile, & corruptibile, si sic, habet ergò in seipso principium actiuū corruprionis, ergò idem semet ipsum mouet; Quinto arguo de motu spirituali, intellectus se ipsum intelligit, vt habetur. 3. de Ani. ergó idem semet ipsum mouet; Quod confirmatur, quia voluntas mouet suos actus, & semet ipsam, aliter voluntas non esset libera, ergó &c. Ex altera parte est Arist. hic, ac in. 8. huius subsequēti, vbi scribit, nihil esse in actu, & in potētia respectu eiusdem, ergó nihil semet ipsū

mouebit

mouebit, quocũq; motu intelligatur, Quod adhuc confirmatur ex. 9: Metaph. vbi Arist. diffinit potentiam actiuam, quam dicit, esse principium transmutandi alterum, inquantum alterum, oportet igitur quod sit alterũ quod transmutat, & alterum quod transmutetur, ergò sententia Arist. hic erit vera, q̃ nihil semet ipsũ mouet; In hac difficultate respondet Scotus, Gregorius Arim. Primo Sent: dist. 6. quest. 2. Burleus q̃; ac multi alij Latinorum, concedunt q̃; idem perse semet ipsum mouere, cum verò dicitur, Arist. dicere oppositum; Dicunt falsum esse, Arist. dicere oppositum; Cum verò dicitur, si idẽ se ipsum moueret, idem respectu eiusdem erit in acta, & in potentia, erit in actu, quatenus dat, erit in potentia, quatenus recipit ipsum motum; Respondent, & præcipuè Scotus. 2. Sent. Dist. 2. Quest. x. quòd aliquod esse in actu, & in potentia respectu eiusdem, contingit dupliciter, vnomodo actione vniuoca, aliomodo actione æquiuoca, impossibile est dicunt, quód aliquod idem sit primo mouens, & motum, actione vniuoca, quæ actio vniuoca est, quando principium, & terminus actionis sunt eiusdẽ rationis, vt ignis cum sit calidus, impossibile est, quód se ipsum calefaciat, quia om-

nis

nis motus est ad id, quod non habet, si.n. ignis se ipsum calefaceret, calidũ non esset calidum, similiter dè frigido, ac dè alijs dicunt, at actione æquiuoca non inconuenit, quód idem respectu eiusdem sit primum mouens, & primum motum, & perche non inconuenit? ratio est dicunt, quia principium, & terminus actionis sunt alterius rationis, Et hoc modo forma elementi producit motũ inse, sed non inducit formã, similiter forma substantialis non producit formam substantialem, sed producit motũ insemet-ipsam, & hoc etiam modo voluntas potest causare motũ in semet ipsam. 1. actum voluntatis quia est alterius rationis à voluntate; Cum veró dicitur, Arist. probasse illam propositionem, quia si sic, idem esset in actu, & in potentia, respectu eiusdem, ergò Aris. ratio concludit vniuersaliter; Respondet Scotus, & dicit, esse impossibile aliquid esse in actu, & in potentia vniformiter, at diformiter potest esse, vndè aliquod esse in actu, & in potentia, stat dupliciter, aut in actu formali, aut in actu virtuali, in primo actu incõuenit, nõ autẽ in secũdo, ignis actu formali est calidus, habet.n. calorem actu, at sol virtualiter est calidus, quia virtualiter calorem continet, po-

Aliquo esse in actu, & in potentia, contingit dupliciter.

potentia formalis est, vt carens albedine est in potentia formali ad eam recipiendã, potentia virtualis quid sit, patet; Cum ergò dicit Arist. si idem moueret seipsum, idẽ esset in actu, & in potentia, si intelligas in actu vniformiter, ita ꝙ principium, & terminus motus coincidat, est impossibile, quia est impossibile quòd idem sit in actu formali, & in potentia formali, hoc.n. implicat at si intelligas diformiter ꝙ idem sit in actu virtuali, & in potentia formali, hoc esse verũ dicunt, sicut patet de sole, sic respondet Scotus, Grægoriusq́; ac multi alij Latinorum respondent; Qui sic dicentes non sunt audiendi, cum eorum responsio non sit peripathetica, quòd vnico argumento ostendo; Eorum.n. distinctio destruit propositionem, quam probat Arist. in hoc. 7. Lib. in tract. subsequenti, qui postquàm inuestigauit propositionem istam; Nihil seipsum mouere, probat demum nõ esse processum in infinitum in mouentibus, & mobilibus, sed dari vnum primum mouens, & vnum primũ motum; probat insuper quòd, in corpore cęlesti sunt duæ naturę. ex hoc, quia in eo sunt duæ potentiæ diuersæ, vna mouens actu, altera verò mota; At si eorum distinctio data est vera negabo Arist. hanc

Potentia duplex, formalis & virtualis, & q̃d sit vnaquęq;

Cõsutatur respõsio Scoti, & Latinorũ.

hanc probationem, & dicam quòd idem erit in actu virtuali, & in potentia formali, sicq; ex eorum distinctione soluam argumentum Arist. sicq; Arist. nũquàm probabit suum intentum, nempè corpus cęleste esse duplicis naturæ; quare patet quòd isti tollunt intentionem Arist. Possem facere plura argumenta, sed hoc contentor; Et dico q̃ propositio Arist. vniuersaliter est vera, omne quod mouetur ab alio mouetur, adeò quòd nihil potest seipsum mouere, de quocunq; motu est vera, & de quacunq; actione, & formali, & virtuali, quia dato opposito, sicut dixi, Arist. non probaret suũ intentum corpus cæleste esse compositum ex duplici natura; Et ideò respondeo argumentis antè oppositum adductis, & quo ad primũ, Dico quòd Plato loquutus est metaphoricè, loquitur. n. de motu quo non cõtingit aliquid seipsum mouere, nisi per metaphoram; Cum dicebatur, finis mouet efficiens, & coincidunt, ergò idem mouet seipsum; Dico pariter quòd ille motus est metaphorius, sensusq; illius propositionis, finis mouet efficiens, est iste. s. efficiens mouet propter finem, qui amatur, & desideratur, mouet. n. ratione amati, & desiderati; Ad argumentum Auerrois dè elementis, in quibus

Soluũtur argumẽta principalia.

Finis mouet efficiens, quomodo sit verum.

bus idem est mouens, & motũ, & forma mouet, ac mouetur; Dico quòd falsum est dictum Auerrois, nisi sano modo intelligatur, si.n. forma facit motum, amplius non recipit ipsum; dicitur ergo forma primum mouens ab Auerroe, quia primo facit motum, & non quia ipsum recipiat, benè est causa quòd materia moueatur, ac quòd recipiat motum; Ad illud de motu Angeli, qui dè loco ad locum mouetur; Dico quòd natura Angeli est lõgè alia, ac diuersa, à natura aliorũ mobiliũ, cum ex Arist. sententia in Sexto huius, omne mobile sit diuisibile, modò Angelus cum sit indiuisibilis est alterius rationis, ac naturæ ab alijs mobilibus, in hoc què Phylosophi, & Theologi adinuicem opponuntur, verum q; dicunt Theologi, falsum autem dicit Arist. sicut & in multis naturalibus falsum dixit; Erat tertiũ argumentũ dè subiecto, & propria passione, Negandũ est, quòd subiectũ sit causa actiua propriæ passionis, cũ sit eius causa passiua; Et si quis obijciat, quòd potentia merè passiua ex 9. Metaph. est in potentia habendi, & non habendi, quia est potentia contradictionis; Dico quòd si intelligis quòd subiectum sit potentia purè passiua, ita quòd passiuè se habeat ad suam passionem,

Aa subiectum sit causa actiua, vel passiua sue proprie passionis.

nẽ, sic ẽ verũ q, subiectũ ẽ potẽtia purè pas siua, quẽadmodũ & materia prima passiuè se habet ad ipsã quãtitatẽ, at nõ hoc modo subiectũ vocatur potẽtia purè passiua, sicut materia prima, qa licet materia prima purè passiuè se habeat ad quantitatẽ, eam tñ non sibi determinat, at subiectũ sibi determinat propriã passionẽ quare &c. Ad argumentũ ex 4. Metheo. desũptũ; Dico quòd verũ est, quòd habet in seipsum principiũ corruptionis, & putrefactionis, quia habet calorẽ intrà se, qui calor est principiũ putrefactionis, qui consumẽdo humidum naturale causat putrefactionem, cum putrefactio (vt ibi habetur) sit humidi consumptio, sicq; aliud est principium agens, & aliud est principiũ patiens, humidũ.n. nãle ẽ principiũ patiẽs à calore nãli, q calor ẽ principiũ agẽs: Argumẽtũ fuit aductũ de motu spirituali hoc, Intellectus cõponit, diuidit, discurrit in semet ipsũ; Volũtas ẽ domina suorũ actuũ, ergò idẽ agit in semetipsũ; Respõdeo, q cõpositio, diuisio, discursus, nõ sũt qualitates, sed sũt modi cõceptuũ, cõpositio nõ est qualitas, qa si dico homo ẽ aĩal, verbũ (est) dicit cõpositio nẽ quã sinè extremis nõ ẽ intelligere, vt dictũ ẽ ab Arist. in Primo de Interpret. i. dicit modus cõcipiẽdi hoc cũ illo, subiectũ cum prædicato; Nec

Conpositio, diuisio discursus, non sunt qualitatus, sed sunt modi cõcipiendi ipsius intellectus

Nec diuisio est qualitas, sed est negatio prę dicati à subiecto; Et notum est omnibus ex Logica, ꝙ termini Syncathegoremarici nõ dicunt conceptum animæ, quare difficultas nulla est; Et ex his manifestatur, quid sit cõsequentia, an sit actio, vel passio, an motus qualitatis, an verò sit qualitas, sicut falsò censuit Strodus, & Paulus Ven. ac multi alij censent; Ex dictis colligitur, quòd Consequentia nil est aliud, quàm modus concipiendi hoc cum illo, adeò quòd nec actio est, nec passio, sed est nouus modus concipiendi, quo concipitur subiectum cũ prædicato, antecedens què in ordine ad consequens; Sint ergò compositio, diuisio, discursus, modi concipiendi, cum nihil supet addant ipsi conceptui; De voluntate, quæ agit in semetipsam, cum sit domina suorum actuum; Maxima est difficultas apud Philosophos de libertate voluntatis, à quo ná causetur, & quæ nã sit sua radix, Prò nunc dico, actum voluntatis causari ab obiecto, & non à voluntate; igitur non erit liberaſ Concedo, ratio què est, quia Arist. possuit libertatem in intellectu, & non in voluntate, & id ó dixit, Omnis ignorans malus, & per che ne dixit? quia maliciam facit intellectus in voluntate, indè est quód si intellectus

Quid sit cõsequẽtia, an sit actio, vel passio, vel qualitas.

Libertas an in intellecto fondetur vel in voluntate.

tellectus malè dictat, voluntas malè eligit; Secúdum Arist. igitur libertas sit in intellectu, si verò alij oppositum tenent, tales nõ loquũtur ad mentem Aristo. sic què remanet conclusio in suo sensu, quòd nihil insemet ipsum agit, quæ vniuersaliter est vera, Et si alij aliter sentiunt, tales non sunt audiendi, cum non loquantur ad mentem Aristotelis.

Controuer super text. X.

PRobat Arist. quòd omne mouens primum, seũ proximum in genere causæ efficientis est simul cum suo moto, seũ cõtãgit suũ motũ adeò quòd inter mouens proximum, & motum, nihil mediat, eã què esse verã probat in triplicj genere motus, & primò in motu locali, cum sit alijs motibus perfectior, siuè motus localis sit à seipso, siuè ab alio, siuè sit secundum naturã à principio intrinseco, siuè præter naturã à principio extrinseco, qualitercunq; sit, semper mouens proximum simul est cum suo moto, ipsumq; contangit; Difficultas est, quæ tacta est ab oĩbus de motu tractus, inqua nõ uerificatur vniuersaliter, quòd mouens proximum simul sit cum suo moto, seũ quód contãgat ipsum motum: Nam magnes attrahit ipsum ferum, ipsumq; non cõ-

An mouẽs proximũ sẽper sit cũ moto, seũ

An mouẽs proximũ sẽper contangat motum.

tangit, & adeò ipsum trahit, quòd Serapio medicus recitat, nauim fuisse dissipatã propter clauos ab ea extractos à montibus de magnete, submersamq; fuisse, quæ nauis distabat ab illis montibus, si sic, quomodo igitur mouens proximum contanget ipsum motum; Similiter, electrum, seù sucinus, seù ambra, (hæc .n. vnum, & idem sunt,) trahit paleas ab ipsa distantes; Pariter & membra naturalia trahunt sibi nutrimentum, quod tamen non contangunt, ergò &c. Huic difficultati Simpl. dat duas solutiones ex mẽte Alex. qui primò dicit, quòd si Magnes, qui ab ipso vocatur Herculeus lapis nõ cõtangit ferrum, potentia tamen per quam ferrum trahit, ipsum ferrum tangit; Similiter est dicẽdũ de alijs, quę naturaliter trahunt quòd si ipsa nõ tangunt, & potẽtia per quã trahunt, tãgit ea, quę ab ipsis trahũtur. Quã solutionẽ confutat Simpl. dicitq; eã nõ esse ad propositũ Arist. qui intẽdit probare de mouẽte corporeo ipsũ simul esse cũ suo moto, nõ autẽ de mouẽte incorporeo, ad quod confugit Alex. in sua solutione; Ideò dat se cũdã Alex. solutionẽ, quã & ipse aprobat, dicitq; magnetẽ trahẽdo ferrũ, ipsũ contangere defluxu quodã corporali multiplicato à magnete ad ferrũ, adeò quòd mouens proximũ

Prima solut Alex. & Quomodo Magnes trahat ferrum, & Ambra paleã.

ximũ est ille spirituũ defluxus corporalis impressus ipsi ferro; Quã solutionẽ nõ probo, quia si magnes traheret ferrũ defluxu illo corporali, sequeretur q̃ magnes trahẽdo hoc, & illud ferrũ, minueretur, cũ continuoã magnete defluxus ille corporalis egrediatur, Ideõ est alia solutio data hic ab Auerroe in sua digressione, quę rectior est, quã insequitur D. Tho. hic, qui succinctè eã accepit. Et solutio quã dat Auerroes cõsistit in hoc, quòd argumenta adducta peccãt per fallatiã æquiuocationis, quia attractio est multiplex, & ideó in aliquibus verificatur, quòd trahẽs est simul cũ tracto, in aliquibus nõ, Attractio tria habet significata, primũ quod est verũ, & proprium, est quãdo attrahẽs, & attractũ simul mouẽtur, & addit, q̃ hoc inuenitur in rebus volũtarijs, do exẽplũ, vt cũ quis ludit, & attrahit numos, vulgò dicitur, (la tirato vna posta) patet tũc q̃ ille, & numi mouẽtur; reperitur ẽt in virtutibus nãlibus, & vitalibus, quę virtus vitalis, pcedit à corde p arterias, sicut dicũt' me dici, nãlis verò virtus secũdũ me dicos ẽ ab hepate, cuius instrumẽtũ sũt venę instrumẽtũ autẽ cordis sũt arterię, p quas fit expulsio aeris calidi, & attractio frigidi, & ideò data sũt fila .j. vili in mẽbris animaliũ

Solutio Auer. ac D. Thomæ: & vera.

qui

qui vili sunt in triplici differentia, quidam longitudinales, aliqui latitudinales, aliqui obliqui, & transuersales, qui vltimi sunt ad retinendum, primi autem duo ad attrahendum, & expellendum; Et hic est notandum quòd Auerroes faciens differentiam inter virtutem viralẽ & naturalem, quòd loquitur secundum medicos, quia. 2. Colliget exmente propria loquendo, vult quòd illę sint vna, & eadẽ virtus, quæ est etiam Arist. intentio; Alio modo dicitur attractio secundum causam finalem, quæ attrahit causam efficientem sicut grauia mouentur ad centrum; & ideó propositio vulgaris est, quòd locus attrahit ad se locatũ, quæ attractio patet quód est in genere causæ finalis, qua efficiens dicitur moueri ad ipsum finem, iuxtà illud Poetæ, (Trahit sua quemq; voluptas,) In qua attractione patet solum attractum moueri, sicut amans ad amatum, vt ab ipso perficiatur. Tertium significatum attractionis habet conuenientiam hanc cum secundo, quòd attractum mouetur ad ipsum attrahens, vt ab ipso perficiatur, ab illo verò differt, quia attractum in secunda significatione nihil recipiebat ab attrahente, sed in isto tertio modo attractionis recipit aliquid

Secũda.

Tertia.

quid, locus.n. deorsum nihil dat graui motoi nec graue quidquam ab illo recipit loco, at si ad magnetem mouetur ferrum, hoc est, quia magnes imprimit qualitatem inferro, sicq; est differentia inter istos duos vltimos attractionis modos, graue.n. nihil recipit à loco, at ferrum à magnete aliquid recipit, Et si quis dicat, vndè habes tu quòd graue nihil recipiat à loco, ferrum autem à magnete sic; Dico q. experimento scitur hoc, quia graue inquacunq; distantia mouetur ad centrum, non sic autem est de magnete quod inquacunq; distantia moueatur ad ferrum, si enim graue alteraretur à loco tunc quanto esset propinquius, tanto velocius moueretur, cum difficilius sit alterare ad remotiorem distantiam, at magnes attrahit solum modo ferrum ad propinquã distantiam, ideò oportet quòd alteretur ferrum à magnete; Comprobatur etiã hoc per aliud experimentum, quia si ferrum liniatur alleo, magnes illud nunquã trahit, quãtũcũq; magnus esset magnes, cuius ratio est, quia actiones sũt in benè dispositis, at quia ferrum est tunc malè dispositum, ideò non attrahitur, quẽadmodum etiam facit amans cũ videt fæminam pulcram, secus autem euenit, si illa sapiat, & malè oleat; Addit Auer

Magnes cur nõ attrahat ferruũ linitum alleo.

roes

roes, quód in tali attractione oportet alterationem præcedere, & ideò ambra non attrahit paleam, nisi ambra calefiat, & alteretur, sicquè attractio tertio hoc modo sumpta fit secundum alterationem præcedentem, in qua alteratum ex se mouetur; Premissis istis tribus significatis ipsius alterationis; Auerroes respondet difficultati propositæ formaliter, dicitquè in vera alteratione, quæ primo modo est dicta, attrahens semper contangit ipsum attractum, sed in alijs duobus modis attractionis non oportet, Aristot. loquutus est de attractione vera; Sed dubitat tamdem Auerroes, quomodo arbor magna recipiat nutrimentum à radicibus sic distantibus, quomodo pariter cerebrum in animalibus nutriatur à sanguine, qui grauis est; Respondet Auerroes, quód cerebrum alterat sanguinem ad sui qualitatem, qui sanguis sic alteratus mouetur ad nutriendum ipsum cerebrum, similiter nutrimentũ, alteratũ in radicibus petit sursum; Drusianus autem plusquàm Commentator, seù Monachus dictus in Tertio Libro, Artis Medicinalis Galeni comentat. 60. contradicit Auerroi, & aliter soluit, Quæ eius dicta gratia brœuitas nunc omittro

mitto, cum multò plura, & pulcheriora, ac etiam fortasse vtiliora de motu isto magnetis, quo trahit ferrum, sint adnotanda; licet autem solito sim prolixior, hoc mihi concedi peto; Primò dubitabit aliquis, An motus ferri ad magnetem sit ab intrinseco, vt videtur dicere Auerroes an ab extrinseco, seù An talis motus sit naturalis, vel violentus; Dubitatio hæc profectò est difficilis, cum quisquam reperiatur concors in eius solutione, Quorum dicta omitto, sed tantum affero id, quod mihi verum videtur, Dicoq́, quòd res ista clarius declarari non potest, quàm per exemplum amoris, & odij, amor en. mouet amantes, odium verò eosdem expellit, pariter reperiuntur magnetes, ferrum attrahentes, reperiũtur quoq́, alij magnetes qui ferrum expellunt, immò vna pars eiusdem magnetis ferrum attrahit, alia verò pars eiusdem magnetis ipsum expellit, sicut communiter experientia patet; quare si intelligitur quomodo fit amor, & odium, sic intelligetur quomodo ferrum aliquod attrahitur & expellitur à magnete; A Poetis multa dicũtur de Amore, & præcipuè, à Francisco Petrarcha, ab ipso tamen, nec ab alio declara-

An motus ferri ad magnetẽ sit ab intrinseco, vel ab extrinsico; seù an sit naturalis, vel violentus.

tur

declaratur qui sit Amor, nec quid sit odium, nec quomodo causentur; Ideò dico vt inquit Augustinus in Lib. de Amicitia, quòd Amor est animæ rationalis affectus, per quem ipsa aliquod cum desiderio quærit, & appetit ad fruendum, & per quem fruitur eo, & cum quadam suauitate interiori amplectitur, & conseruat adeptum; Quòd Amor sit cum desiderio, patet, ille enim amat illam, quia desiderat illa frui, ac vti; Oportet autẽ ad hoc quòd causetur amor, quòd cognitio tale desiderium præcedat, indè dicitur quòd (incognita diligere possumus, incognita nequaquàm) sicq; nisi sit prior cognitio illius, illa non amatur, quare primò necessarium in amore, est cognitio, & conceptio de re ipsa, At neq; sufficit hoc, quòd cognoscatur, sed cognita re, oportet considerare, an res illa representetur sub ratione boni, & vtilis, seu conuenientis vel sub ratione mali, ac inutilis, seu disconuenientis an. s. illa res placeat, vel non; Si res illa erit cognita sub ratione boni, amatur, si verò res erit cognita sub ratione mali, odiatur, post prosequitur illam, vel fugitur ab illa, sicq; stante desiderio mouemur, & isto modo causatur amor, vel odium; Et hæc dicere, mihi nunc liceat, cum Poëta sit

Amor quid sit pariter, & odiũ.

Phi-

Philosophus delectabilis, sicut scriptum reliquit Arist. Primo Metaph; Indè est, quòd Poetæ fingunt amorem esse Phaletratum, habentemq; duas sagitas, vnam feriẽtem amore, aliam odio, vt Ouidius Primo Metamorphos. sic etiam Propertius dixit, Quicunq; ille fuit qui pinxit amorem, &c. Cum igitur duæ ponantur sagitæ vna ratione amoris, altera ratione odij, indè est quòd cognita re sub tali, vel tali ratione boni, vel mali, nulloq, alio prohibente, illã posequimur, vel fugimus, siuè modo illud bonum fuerit vtile, vel honestum, vel delectabile, similiter & illud malum siuè fuerit non deformę siuè inutile, siuè inhonestum, Hæc volui bræuiter dicere de amore, quia sic opus est intelligere de motu ferri ad magnetem, cum idem præcisè hic, & ibi sit, Sit igitur exempli gratia hic ferrũ, ibi Magnes, ferrum est amans, magnes est amatum, quod generat sui cognitionẽ sub ratione alicuius boni, & sicut amicus vadit ad amicam nisi impediatur, etiam sicut formosa mulier inducit re ad amandum eã, sic quoq; Magnes, producit sui speciẽ in ferro & sicut producta specie fit motus amici ad amicam, sic ferrum mouetur ad magnetem, nisi impediatur. Illæ .n. causæ quæ inducunt

Amor quomodo describebatur à Poetis, & quare sic.

cunt desiderans ad desideratum, præcisè sunt ædem in ferro, & magnete, sed est differentia, quòd ibi est cognitio, hic verò est tantum motus ad magnetem sinè cognitione, sed purè naturalis; Et quemadmodum contingit, quòd res cognita non semper amatur, vt videndo mulierem turpem, sic est de qbusdã ferris, aliquod .n. ferrũ fugit à magnete propter sui dissimilitudinem, & disconuenientam, sicq; patet quód exemplum de amore, quomodo quadrat in proposito de motu ferri ad magnetem, Sed adhuc quęret ille, quomodo ferrum moueatur ad Magnetem; Respondeo, & dico quòd ignorantia facit dubitare, vt hebetur ab Arist Primo Metaph. Dicoq; quòd magnes quia induxit sui spetiem in ferro, ideò ferrũ desiderat spetie producta, ac similitudine vniri magneti, vndè aliquando disipatur ferrum à magnete, quemadmodum & amás desiderat ferri, & transmutari in amatum, sed est differentia, quia motus ferri totus est naturalis, at in amãtibus quandoq; est ratio, licet non semper, vt video meliora, eaq; probo, Quare patet quòd motus talis est ab intrinseco, quia ferrum nunquàm mouetur ad magnetem, nisi habeat illam qualitatem, quemmadmodum nèc amans desiderat

Ferrum quomodo moueatur ad magnetem.

rat amatũ, absq; spetie in eo producta, sit q; motus hic ferri ad magnetem sub ista ratione est ab intrinseco, ac naturalis, est verò ab extrinseco, quatenus ferrum non habet tale principium à sui natura, cum ferrum non nascatur cum tali qualitate, sicut nec homo nascitur cum amore illius, vel illius mulieris; Dicitur adhuc talis motus ferri ad magnetem violentus, cum talis motus nõ conueniat ipsi ferro, nec vt graue, nec vt leue, sed quatenus sic est alteratum, mouetur ad omnes loci differentias, ante, retro, sursũ, deorsum ad partemq; dextram, ac sinistrã; At cum ferrum moueatur ad magnetem, vt tali qualitate est alteratum, Dicet ille, vellem scire quæ qualitas sit hæc, ac cuius sit spetiebus sit odor, vel caliditas, & sic de alijs discurrendo; Ratio dubitandi est quia in exemplo dato de amore, patet quód est similitudo rei decens, at illa qualitas patet quòd non est similitudo, quæ res igitur est illa qualitas? Respondeo per coniecturas, & id quod verisimile est, affero; Dico q; nullam de qualitatibus primis esse, nec de secũdis, adhuc neq; est vera rei similitudo, quia ferrum non cognoscit, sed est quid proportionale de prima spetie qualitatis, adeò q; sicut amans desiderat transmutari

Qualitas quæ mouet ferrũ ad magnetẽ, an sit de primis, vel secundis qualitatis, & cuius spẽtiei.

ATENEO VENETO VENEZIA

in amatum, illiq; fieri simili, similiter in ferro est qualitas ista producta à magnete, verum non vt ibi, quia ferrum non cognoscit, nec est verâ qualitas, sed est quid proportionale de prima specie, inquo delectatur, ac perficitur ipsum ferrum, estq; dispositio quædam conueniens ferro, producta à magnete, econtrariò verò quando expellitur, illa dispositio non est sibi tunc proportionalis; Sed adhuc dicet ille; Vellem scire per quid magnes talem in ferro imprimat qualitatem, an per sui formam substantialem, an per qualitates primas, vndè nam habet hoc magnes? & quare non producit illam in auro, in ligno, vel in alio, vndè ná hoc prouenit; Hic duo sunt modi dicendi qui ex toto non differunt; Aliqui dicunt hoc prouenire ratione cuiusdã proportionis, quæ est inter magnetem, & ferrum, quæ proportio oritur à mistione, & hanc sententiam voluit Auuer. Tertio Colliget Cap. 21. ac Quinto eiusdem Cap. 25. vbi etiam dicit, quòd talem proportionem non possumus scire, & hinc est quòd Ars medica non est perfecta, quia ignoratur proportio complexionis humanæ, vt ibidem pariter scribit Auerroes, ac 7. Collig. Cap. 6. vndè etiam recitat Auicenna quòd vnus morcuus est,

Magnes sur sicut agit in ferrum, non agit in aurũ, vel in aliud qd.

propter

propter cliſtere ſibi factum, & hoc, quia nõ aderat debita proportio miſcibilium, ſicut etiam patet dè auibus quæ nutriuntur ex milio crudo, quod ſi tale homo commederet, moriretur, quæ omnia non euenirent, niſi ratione proportionis quæ eſt in tali miſtura, & indè eſt quòd Medici ſepè ęgrotantibus dant Caſsiam vel Mannam, vel Rabarbarum, quas uocant medicinas benedictas, quia ignorant talem proportionem inter miſcibilia requiſitam, quia tanta fit miſtio cum vna re parua, & non cũ alia, adeõ quòd in medicinis vna alteri miſceri nequeat, ſicut etiã recitat Auerroes Quinto Collig. Cap. vltimo; Aliqui verò vltrà hanc proportionem addunt influxum cœleſtem, cuius opinionis fuit Meſue in ſuo Lib. qui inſcribitur Canones vniuerſales Cap. primo, vbi ſcriptum reliquit, (Dotauit enim Deus vnicuiq; hoc proprium, hoc commune:) Sed adhuc dicet ille, cuperem magis ſcire, quod nam ſit illud principium, quod facit ferrũ ad magnetem moueri, an ſit forma ſubſtantialis, an qualitas prima, an qualitas motiua; Forma ſubſtantialis non videtur poſſe eſſe, quia illa non immediatè mouet; Neq; qualitas prima, quia illa eſt alteratiua, non motiua localiter; Nec videtur quòd poſsit eſſe

Ferrũ p q; principium moueatur ad magnetem.

grauitas, quia nèc à dextris, nec à sinistris moueretur, quid ergo est? Respondeo, probabiliterq; dico, quòd non est forma substantialis, nec qualitas aliqua ex primis, sed est grauitas, graue.n. benè alteratũ & quasi in sua conplexione mutatum, sic mouetur, & sursum, & ante, & à dextris, & ad alias loci differentias, quemadmodum & scholaris venit ad lectionem hora solita, qui demũ si mutetur, & amore teneatur, plus non venit propter amorem, similiter grauitas, & illud graue ferrum benè mouetur deorsum, at si alteretur ab vna qualitate, plus non sic descendit, sicuti in amore scholaris dictũ. Ac si ferrum mouetur ad omnes loci differentias, sic alteratum ab illa qualitate, videtur igitur esse quid animatum; Respondeo; quòd perse ferrum mouetur ad magnetem, vt perficiatur, sicq; ad vnum perse fertur, at si cõtingat quòd moueatur sursum, ante, à dextris, hoc est per accidens, do exemplũ quando scholaris est in Ecclesia voluit oculos vbi est amica, & hoc, quia perse mouetur ad amicam, at quòd accedat ad hanc, vel illam Ecclesiam, hoc est per accidens, pariter idem contingit dè ferro, & ideò nõ sequitur quòd sit animatum, quia per se nõ mouetur ad plures loci differentias, sicq;

Instãtia.

Solutio.

ferrum

ferrum mouetur ad diuersa loca solum ratione magneris, quēadmodum & ille scholaris solum ratione amicę fertur ad diuersa loca; Hæc volui dicere, quia satis verisimilia mihi videntur.

Controuer super tex. 11.

An densitas et raritas, asperitas q; ac leuitas sint qualitates.

ENumerans Arist. qualitates sensibiles per quas est alteratio, inter eas enumerat asperitatem, & lenitatem, densitatem, ac raritatem; Sibi contrarius videtur esse hic, & in Prædicam. Cap. de Qualitate, vbi prædicta excludit à qualitate, hic verò inter qualitates illa reponit; Augetur difficultas, quia Auerroes hic contrariatur Arist. ac sibi ipsi; Aristoteli quidem contrariatur, quia Tertio Cœli com. 13. ac Quarto eiusdem com. 20. ac Secundo dè Ani. com. 108. dicit, quòd enumerata sunt de prædicamento Substantiæ, hic verò asserit esse qualitates; Contrariatur sibi ipsi, quia Tertio Cœli. 27. ac Quarto eiusdem com. 29; scribit illa esse dè prędicamento Relationis; At Quinto Metaph. com. 18. connumerat inter accidentia Quanti, igitur Auerroes sibi est inconstans; Respōdeo, dicoq; quòd hic famosè loquitur, dum dicit, quòd asperitas, & lenitas sunt qualitates, eo quia videntur habere modum prædicandi in qua-

le, sunt tamen de prædicamento positionis, vt ibi docet; Ad aliud dico quòd Auerroes in locis ꝑcitatis vult grauitatẽ, & leuitatẽ, & alia prædicta esse in prædicamento substantiæ; Quę opinio est falsa, quia substantia substantiæ non contrariatur, at grauitas leuitati contrariatur ergo non erunt substátiæ; Tum quia asperitas, & lenitas intenduntur, & remittuntur, at substantia non intenditur, nec remittitur; Amplius, si opinio Auerrois prædicta esset vera, sequeretur quòd in substantia esset motus, cum & motus in illis sit, minimẽ autem in substantia secundum Arist. Tum quia nulla substantia est perse sensibilis saltem per sensum brutis at grauitas, & leuitas, à brutis sentiuntur, sicut patet, si enim onorantur, sentiunt grauitatem, si ècõtrà exonorentur, sentiunt leuitatem; Nec valet dicere, quód non sunt sensibiles perse, sed per accidens, mediante motu; Quia & si per accidens sunt sensibiles, imprimunt tamen sibi propriam speciẽ motus, quare idem contrà Auerroes sequitur, Insuper Alex. in tractatu quem fecit de Mistione, recitat hanc opinionem, quã etiã reijcit rãq̃ falsã; Dico igitur secundú Arist. prædicta non esse formas substantiales, sed esse qualitates modo dicto; Quæ si ab eo re

ponantur

ponantur sub prædicamento relationis in loco præcitato, hoc est per accidens, ratione motus, quatenus faciunt maiorem, vel minorem velocitatē; Si verò alibi dixit eas esse in prædicamento Actionis, Dicā quòd accepit grauitatem prò actione grauitatis. Quæ etiam dicentur Passiones, si accipiantur prò actu illo secundo, s. prò passione; Si verò Quinto Metaph. reposuit illa inter accidentia quanti; Dicoq; Arist. loquebatur Platonicè, Plato n. dixit grauitatem, & leuitatem esse accidentia quanti, vt etiā ibi dixit D. Thomas. s. ex vnione plurium superficierum; Vel erit dicendum, sicut etiam dixit Auerroes ibi, quòd connumerantur inter accidentia qnanti, eo quia grauitas, & leuitas diuiduntur manifestè ad diuisionē quanti, quòd si alijs competit qualitatibus, hoc nō est ita manifestum, sicuti est de grauitate, & leuitate, idcircò has qualitates posuit inter accidentia quanti, alias verò non.

Quarta speties qualitatis quare ab Arist. vocetur forma, et figura, ab Auerroe verò qualitas in quātitate dicitur.

Controuer. 1. super tex. 15.

PRobans Arist. quòd omnis alteratio fiat perse secundum qualitates tertiæ spetiei tantum, quæ sunt passiones, & passibiles qualitates, primò vtitur hac ratione, si alteratio fieret perse in alia spetie qualitatis, quàm in tertia, præcipuè fieret

vel in prima ſpetie qualitatis, vel in quarta, at neq; in prima, neq; in quarta ſpetie qualitatis fit perſe alteratio, ergò tantum in tertia; Quòd verò alteratio nec in prima, nec in quarta ſpetie qualitatis fiat, ſic probat quia prædictæ qualitates .ſ. primæ, & quartæ ſpetiei ſequũtur alterationem qualitatum tertiæ ſpetiei, ergò alteratio perſe non terminatur ad illas; Circà hæc eius dicta, duæ occurunt inſtantiæ, prima eſt, Cur Ariſt. vbiq; Quartam ſpetiem duplici nomine appellat, .ſ. formam, & figuram, Auerroes autem eam vocat qualitatem in quantitate, cur non ſic ab Ariſt. etiam nominatur? eadem.n. eſt ratio de ijs, & de illis, nã ſicut qualitas quartæ ſpetiei dicitur qualitas in quantitate, eo quia præſupponit quãtitatem, eadem ratione & aliæ ſpecies qualitatis dicentur qualitates in quantitate, cũ & omnes aliæ præſupponant quantitatem; Secundo dicet ille, quare in ſua ratione Ariſt. tacuit ſecundam ſpetiem qualitatis; Primæ ſatisfacit Ioannes qui dixit qualitates quartæ ſpetiei vocari nomine formæ, quatenus inſ. quũtur formam ſubſtantialẽ, & ſpecificam, nominãtur verò nomine figuræ, quatenus terminant qualitatẽ; Aliter dicit D. Thomas, quòd duplici nomine nominatur

minantur primò dicuntur formę, quia specificãt in esse speciali, vocantur verò nomine figurę, quatenus specificãt sub determinato esse superficiali; Boëtius in Prædicamentis dixit, quòd duplici nomine dicitur quarta species qualitatis, primò dicitur figura, quia est terminus quantitatis, cũ figura ratione materiæ sit superficies corporis, secũdò dicitur forma, quia ex ea sequitur forma, id est pulcritudo cum pulcritudo, & commensuratio ipsius figuræ sit forma; Sed cur Auerroes qualitatem quartę speciei appellat qualitatem in quantitate? Dico q̃ huius ratio est, quia ista qualitas est terminatio quantitatis, licet autem aliæ qualitatis species præsupponant etiam quantitatem, quia tamen non sunt terminationes ipsius quantitatis, sicuti sunt qualitates quartæ speciei, idcirco Auerroes hanc quartam speciem vocauit qualitatem in quantitate, illas autem minimè; Secundæ obiectioni respondet Simpl. ex Alexandri mẽte dupliciter, qui primò dixit Arist. tacuisse secundam speciem, quia qualitates secundæ speciei non sunt qualitates, sed sunt substantiæ rei, & ideò Auerroes infrà com. 20. dicet ex sententia Alex. quòd naturales potentiæ, vel impotentiæ non sunt qualitates

litates, sed sunt substantiæ, licet D. Thomas teneat oppositum. s. quòd sunt qualitates; Secundò respondet Simpl. adhuc ex Alex: quòd tacuit Arist. secundam speciem qualitatis, quia in ipsa non est alteratio, cum nō possit permutare aliquid, nisi permutata rei substantia; Et ideò Conciliator differētia 72. artic. 3. dixit, Apparet etiam satis in secunda specie qualitatis non fore motum alterationis, in tantum quòd Arist. tacuit vt manifestum, eo quòd naturalis potentia, aut impotentia quæ locatur in secundo genere qualitatis nō adducitur, aut remouetur, nisi per alterationem in substantia, gratia qualitatum præcedentium, & tandem per ipsius corruptionem datur, vel remouetur, Et addit quòd Auerroes, Quinto Metaph. in fine Com. 19. dixit, quòd naturales potentiæ, vel impotentiæ sunt præparationes & potētiæ, non qualitates in actu, & istæ præparationes consequuntur qualitates substantiales, & inquantum sunt præparationes, sunt priuationes, & immō non est perscrutatus dē eis in 7. Phy. vtrum in eis sit motus, aut non, Hæc dixit Conciliat. vide etiam ipsum ibi.

Controuer. 2. super tex. 15.

PRima ratio Arist. quia probat quartam spetiem qualitatis non recipere alterationẽ, hęc est; Quod alteratur retinet idem nomen sub vtroq; termino alterationis, ita quòd ipsum alteratum prædicatur in concreto dẽ forma aquisita, & econtrà, forma aquisita inconcreto prædicatur dè suo subiecto, sed quod permutatur in quarta spetie qualitatis, non retinet idem nomen, cum non prædicetur dè forma aquisita in concreto, neq; forma aquisita prædicetur in concreto dè suo subiecto, ergò &c. ambas propositiones, maiorem. s. & minorẽ declarat in textu; Difficultas est in minori propositione, quia Auerroes in primo Cap. de Subst. Orbis dixit, quòd in transmutatione substantiali non retinetur idem nomen, quod in accidentali retinetur, sed tũc subsumo hanc mi: propositionem in quarta spetie qualitatis est transmutatio accidentalis, ergò retinetur idem nomẽ, quia si nõ, tunc non esset transmutatio accidentalis, sed substantialis; Accedit ratio, quę probat qualitates quartæ spetiei magis recipere alterationẽ, quàm qualitates tertiæ spetiei, quia illæ magis transmutãt subiectũ quàm illæ, ergó &c. assumptum declaratur, nam

An rationes quibus Arist. probat Alterationẽ nõ esse in quarta spetie qualitatis sint rectæ.

qualitates

qualitates quartæ ſpetiei tranſmutant, & alterant ſubiectum ſecundum ſuperficiem, & profunditatem, qualitates verò tertiæ ſpetiei ſolum ſecundum ſuperficiem, ergo &c. Quo ad primum, Simpl. multum laborat, reſolutio tandem videtur eſſe hęc, dicit ipſe quòd quarta ſpeties qualitatis abſolutè retinet idem nomen, quia eſt forma accidentalis, ſed quatenus comparatur ad formam aquiſitam, non retinet idem nomẽ, æ.n. ſi tranſmuterur in ſtatuam, non amplius dicitur æs, ſed ſtatua ænea, ſicq; ſubiectum ſi inſe conſideretur, retinet idem nomen, ſi autem reſpectu formæ conſideretur, non retinet, vndè dicit Simpl. quòd permutatio quartę ſpetiei qualitatis eſt media inter trãſmutationem ſubſtantialem, & accidentalẽ, differt tamen à tranſmutatione accidentali; quoniam talis tranſmutatio retinet idem nomen tum inſe, tum reſpectu formæ aquiſitæ, permutatio autem quartæ ſpetiei retinet idem nomen tantum ſi inſe conſideretur, at non reſpectu formæ aquiſitę, differt verò à permutatione accidentali, quoniam permutatio ſubſtantialis perdit nomen, at permutatio quartæ ſpetiei qualitatis illud retinet, quocirca permutatio hæc quartæ ſpetiei eſt media inter has cum aliquo mo-

do

do retineat nomen, & aliquo modo nō; Sed dicet ille, quare ſpecies tranſmutata à calore retinet idem nomen ſecundum ſe, permutata verō ad figuram, non retinet idem nomen ſecundum ſe; Credo quōd cauſa diuerſitatis ſit hæc, quoniam ipſa ſpecies per figuram reponitur in alio genere entis, quia per figuram fit corpus artificiale, at ſpecies permutata per calorem naturalem non reponitur ſub alio genere entis, ſed tunc fit corpus naturale; Cū verō dicebatur, quōd quarta ſpecies magis alterat; Simpl. cōcedit & qualitates quartæ ſpeciei magis alterāt, cū ſint magis ſubijcibiles, & accidētales, at qui reponūt ſubiectū ſub alio genere entis, ideō argumentū nō valet; Notetur aūt prō faciliori intelligentia iſtius tex. 15. particula illa, (Quod autem alteratur à paſſionibus æquiuocè dicitur,) illud (æquiuocè) te decipiet, quia æquiuocè vult dicere, ideſt æqua voce, & hoc eſt quōd ſemper dixi quōd id quod alteratur, retinet idem nomen ſub vtroq; termino trāſmutationis.

Controuer. ſuper tex. 16.

Examinatur ſecūda ratio.

IN vltima iſtius contex. particula, probat ſecunda ratione, qualitates quartæ ſpeciei non recipere alterationem, & ratio talis eſt; Quod perficitur in ſui eſſe, nō

alteratur

alteratur, sed quod permutatur in quarta specie qualitatis, perficitur in sui esse, ergò illud tale non alteratur, maior patet exemplariter, cum enim domus fit, non dicimus domum alterari, similiter cum homo fit, nõ dicitur alterari, Sed dicimus domum, vel hominem generari, quia illud quod alteratur, iam habet esse, at id quod generatur, nundum est; Minorem dimittit Arist. tamquàm manifestam, patet .n. quòd cum res recipit formam, vel figuram, quòd tunc perficitur, & fit, non autem alteratur; Istius autem rationis minor propositio videtur falsa, quia cum æs transmutatur in figuram, iam æs habet esse perfectum, cum ęs sit actu æs, non igitur perficitur in sui esse; Respõdeo, quòd profectò ita est, quòd si æs consideretur inse, quòd tunc habet esse perfectum, quod demum si consideretur in respectu formæ aquirendæ, tunc falsum est, quòd æs habeat esse perfectum; Neq; est simile si æs sit alteratum à calore, seù à qualitatibus tertiæ speciei, & si sit alteratum à figura, quia si æs transmutetur ad calorem non fit noua denominatio, at si transmutetur ad figuram, benè fit noua denominatio, quia tunc ęs transit ad aliud genus entis, sicut nunc suprà dictum est.

Controu.

Controuer. super tex. 17.

IN hoc tex incipit Arist. probare in prima spetie qualitatis, quæ est habitus, & dispositio, non esse alterationē, & primò hoc ostendit de habitibus, & dispositionibus corporis, & vtitur hac ratione; In his quæ sunt ad aliquid non est motus, nec mutatio, adeó quód in his quæ sunt ad aliquod non est generatio, nèc alteratio, sed omnis habitus siuè virtus, siuè vitium sit, est ad aliquid, ergo nèc prædictorum habituum; & pró intelligentia istius rationis vide Diuum Tho. aut Simpl. Sed instat Simplic. quia Aristo. Quinto huius Lib. dixit, quòd ea quæ sunt ad aliquid generantur, & corrumpuntur, quia aliquid est duplū, quod prius non fuit duplum, ergó in his quæ sunt ad aliquid erit motus, & mutatio; Insuper malè videtur dicere Arist. quòd omnis habitus, siuè virtus, siuè vitium sit, sint ad aliquid, quia prædicamenta sunt impermista, adeò quòd id quod est in qualitate, non erit in relatione, sed virtus, & vitium sunt habitus, seù dispositiones, ergó erunt sub prima qualitatis spetie, quomodo igitur nunc dicit illa esse ad aliquid; Simplicius primæ satis facit, dicitq; in his quæ sunt ad aliquid non est perse motus,

An Arist rcte ꝓbet in prima qualitatis spetie non esse alterationem.

nec

nec mutatio, benè stat quòd in illis sit per accidens: quare Arist. hic loquitur perse, & vult dicere, quòd in his quæ sunt ad aliquid non est perse motus, aut mutatio; Secundæ satisfacit. D. Thomas hic, & soluendo instantiam, dicit id quod communiter solet dici, quòd qualitates primæ speciei si absolutè considerentur, & secundum id quod primo significant, sic sunt qualitates, at connotatiuè, & respectiuè sunt in prædicamento relationis, connotant. n. respectum, sic q. non magis sunt in vno, quam in alio prædicamento, non nè etiam Arist. posuit motum in qualitate, & in relatione? At dicet ille, cum istę qualitates habeant duplex esse absolutum. s. & respectiuum, adminus ergò vt absolutè significant poterunt terminare motum, & mutationem in prima qualitatis specie; Dicerem, quòd re vera ita est, quòd istæ qualitates absolutè terminát motum, vt sanitas respectu primi significati terminat motum perse, vt tamen istę qualitates dicunt connotatum, ac vt relatiuè sumuntur, sic non possunt perse terminare motum.

Examinatur secunda ratio.

Controuer. super text. 18.

IN contextu isto probat Arist. quòd in habitibus animi non est perse alteratio, & primò

primò in habitibus animi qui fundantur in appetitu sensitiuo, quia idem probabit de habitibus animi qui fundantur in intellectu, in textu subsequenti; Sed notetur hic, quòd textus Simplic. est amplior quàm sit noster, quia iuxtà textum Simpl. sunt duæ rationes, vult. n. in tex. suo, quód primò Arist. repetat superiorem rationẽ adductam in tex. 17. scilicet quoniam virtus, & vitiũ sunt ad aliqd, &c. At in textu isto supponitur talis ratio, & formatur vna tantum, qua probatur prædicta conclusio, & ratio talis est; Quod perficitur, aut inperficitur in sui esse, non terminat motum aut mutationem, sed habitus appetitus sensitiui perficitur, aut inperficitur in sui esse, ergò non terminat perse motum, aut mutationem; mai: est manifesta, quia generatio, & corruptio terminatur ad esse, sed motus cuius species est alteratio, præsupponit esse, mi: declaratur, quia dicimus hominem esse fœlicem quando habet virtutem ad quam terminatur, sicut etiam dè circulo patet dicit Siml. de quo exemplificauit Arist. Dubitat Simpl. circà istam rationem, & admittit maiorem, sed dicit minorem esse fallam. i. quod terminatur ad virtute sensitiuam, perficitur, aut inperficitur in sui esse, & hoc probat, quia

omnis permutatio accidentalis præsuppo-nit subiectũ in actu, at permutatio quæ est ad virtutem sensitiuam est accidentalis, igi tur præsupponit subiectum actu, probat mi: quia anima cum permutatur ad virtutes aut ad vitia, non perficitur in sui esse natu-rali; Respondet Simpl. & dicit illam mino-rem vno modo esse veram, alio verò modo esse falsam, est quidem falsa in primo esse substantiali, at est vera in secũdo esse, quo .s. ad operari, anima enim sensitiua inclina-tur secundum naturam, ac terminatur in vir tutes, & vitia, sicq; illa mi: est vera in hoc actu secundo. s. quòd anima sensitiua perfi citur, vel inperficitur, eo quia aquirit esse perfectius, aut inperfectius, licet non aqui-rat esse substantiale.

Controuer. super tex. 19.

An' advir tutes mo rales sit alteratio.

INtendit probare Arist. hanc conclusio-nem, quòd & si ad virtutes morales nõ sit perse alteratio, non fiunt tamen absq; alteratione; In primis colligatur hoc, quòd hęc virtutes in Deo, & in intelligẽtiis (pro priè loquendo) non reperiuntur, nisi æqui uocè, cuius ratio est, quia huiusmodi virtu tes, quæ in ipsis sunt, non sequuntur alte-

rationem

rationem, cum nulla in Deo, nec in intelligentijs cadat alteratio, sicut rectè declarant Theologi; Probat autem conclusionem dictam, hoc ratione, (quia virtus autem impassibilitas quędam, aut passibile sic, ideſt, autem mediocritas passionum,) at siuè sic, siuè sic, non potest esse, nec fieri absq; passione, ergò &c. Et hanc rationem intendit, juxtà expositionē Auerrois: Et idem intelligatur de vitijs. s. quòd sequūtur alterationem, dicit Arist. & hoc esse verum patet, nā vitiosus, & intemperatus, & qui cupit ire ad meritrices, si non potest, patet quòd valdè patitur, vndè vitiosi incidunt in omne scelus, dixit Arist. in Ethicis; Sed contrà hanc conclusionem instatur: Si enim virtus causatur ex actibus prędecedentibus, qui laudabiles sunt, ac virtuosi, cum à virtute proueniat actus virtuosus, ac laudabilis, ergò actus virtuosus à seipso causabitur; Insuper & secundo, dicet ille, quare Aristot. loquutus est disiunctiuè, (virtus enim aut inpossibilitas quædam est, aut passibile sic) ideſt, aut est passio temperata, seū mediocritas passionum; Primam difficultatem mouet Auerr. in cōm. cui rectè satisfacit, & dicit, quòd & si actus virtuosus subse-

quatur

subsequatur virtutem, & illam quoq; præcedat, non est tamen vnus, & idē actus do exemplum, antequàm quis sciribere sciat, oportet quòd scribat, si vult addiscere; similiter etiā cum scit scribere, oportet quòd scribat, at est differentia, quia antequā quis sciat scribere, verum est quòd scribit, sed malè, cum verò scit scribere, scribit etiam tunc, sed benè, quare patet, quód non ē idē actus qui præcedit virtutem, & qui subsequitur eam, actus virtuosus qui virtutē præcedit, est imperfectus, at qui illam subsequitur est actus virtuosus perfectus, & indè est, quòd gaudens de re facta bona, dicitur virtuosus; Loquutus verò est disiiunctiuè, quia vt habetur 3. Ethic. duæ fuere opiniones de ipsa virtute, vna Stoicorum, alia ipsius Arist. quę est etiam Christianorum, Stoici voluere virtutem esse impassibilitatē quādam, itaq; nulla lætitia, vel tristitia potest cadere in virtuoso, dicunt etiā quòd virtus non fit, nisi sedatis omnibus perturbationibus appetitus sensitiui, adeò quód ille est verè virtuosus qui nullo modo patitur, qui si non gaudet de prospero, nec tristatur de aduerso, sed in vtroq; semper eodē modo stat, vndè si ipsis denuntiabatur mors filij, respondebant, sciebam ipsum esse mortalem

Actus virtuosus qui præcedit virtutē, nō est idē cū actu virtuoso, qui eā subsequitur.

salem, stabantq; sicut statua nullomodo se mouentes, neq; in gaudio, neq; in tristitia, Et hanc opinionē insequitur Seneca in multis epistolis; Alterius opinionis fuere Peripathetici, quorum princeps est Arist. qui dixit, esse impossibile, quòd homo sit in corpore, & in sensu, & non gaudeat, ac tristetur, sicq; virtus secundum Arist. non est impassibilitas, vt dixere Stoici, sed est mediocritas, sicq; irasci licet, sed non in furore, & ideo dixit Propheta, Irrascimini, sed no lite peccare; Dixit etiam D. Paulus, Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, sicq; nobis licitum est gaudere, ac tristari, quando, quantum, & vbi oportet, cū virtus sit media inter tristitiā, & gaudium; Et quæcunq; detur harum opinionum, patet quòd maxima concurrit passio antequàm veniamus ad demonstrandum quod intus tenemus; Si etiam virtus sit mediocritas passionum, patet etiam quòd non fit nisi magna alteratione præsuppositā, ob hancq; causā loquutus est disiunctiuē; Sed adhuc prō euitandis difficultatibus notetur, quòd illa prædicatio, Virtus est impassibilitas, aut mediocritas, non est vera in prædicatione identica, sed causali tantum, adeō quòd sit sensus; Virtus est impassibilitas, i. causatur

Opinio Arist de virtute.

ex impatsibilitate, similiter vitius est mediocritas idest, causatur ex mediocritate.

Controuer. super tex. 27.

Color an fundetur in superficie.

VIdetur dicere Arist. immò dicit, primum susceptiuum colorum esse superficiem; Quod si est verum, ergò accidens fundabitur in accidente, cuius oppositum in Prædicamentis; Insuper, aliud, substantia poterit recipere contraria cum sui mutatione, quod adhuc repugnat Arist. ibidem in Prædica. Cap. de substantia: Breuiter est dicendum, quòd subiectum accidentium est duplex, aliud secundum apparentiam, & proximum aliud quod ad subsistentiam, & remotum, color fundatur in superficie primodo, & sic hic loquitur loquitur.n.ad mentem Stoicorum, & non secundum veritatem At secundo modo loquimur est locis allegatis.

Controuer. super tex. 28.

Accidentis cuiuslibet an sit vnum primum subiectū.

INquit Arist. (Amplius susceptiuum non quoduis est, sed vnum vnius primum.) Videtur igitur Arist. velle, quòd vnius cuiusq; accidentis sit vnum primum subiectum; Cuius oppositum Auerroes Primo Cap. de Subst. Orbis, vbi dicit quòd materium; Amplius, si omne accidens habet primum susceptium, accipiatur vnum accidēs

Quare

Quæro, q̃nã sit illius propriũ subiectũ, an substãtia, an accidẽs; Si dicas q̃ substantia sit, ergo ad destructionẽ illius accidẽtis destruetur substãtia, quæ est ꝓpriũ subiectũ illius accidẽtis; Siverõ dixeris, q̃ suũ subiectũ sit accidẽs, tunc quærã sicut prius, de subiecto proprio illus accidentis, an sit substantia, vel aliud accidens, si primum, ergõ substantia corrumpitur ad corruptionem illius accidentis, si dixeris secndum, iterum quæram de suo proprio subiecto, an sit substantia, an aliud accidens, & cũ non sit procedere in infinitum, sequitur igitur quõd ad corruptionem accidentis corrũpatur substantia; Vel brævius sic arguatur, si subiectum proprium accidentis est substantia, & cuilibet accidenti correspondet suum proprium subiectum, ergo ad destructionem cuiuslibet accidentis destruetur substantia, quod est falsum; Quo ad primũ Dico quõd materia prima est subiectũ, omnium accidentium, diuersa tamen ratione, secundum.n. quõd substat formis diuersorum accidentium, sic est subiectum diuersorum accidentium, sicq: loquutus fuit Auerroes, non autem eadem ratione; Quo ad secũdũ, quod fui argumentũ Burlei supra;

Porph. Cap. de Accidente; Dicendum est, omne accidens habere proprium subiectũ, ideſt habere ſubiectum cui principaliter cõpetit, non autẽ eſt intelligendum quòd habeat ſubiectum proprium, ideſt adæquatum, ſat ſit igitur quòd habeat ſubiectum proprium, ideſt principale, & quaſi ſibi proprium, non tamen adæquatum, ſicq; nullomodo ſequitur argumentum Barlei, quòd ſubſtantia corrumpatur ad corruptionem accidentium, cum inquàm accidentia habeant ſubiectum proprium. i. principale, minimè autem adæquatum, eo quia tunc ad eorum corruptionem corrueretur etiam ſubſtantia.

Controuer. ſuper text. 30.

An motus volatus, & progreſſus tantũ differãt figura.

VLt Ariſt. quòd motus volatus, & progreſſus non differant ſpetie, ſed figura; Quid eſt dictu figura, cũ figura ſit de quarta ſpetie qualitatis, quæ eſt accidens; Inſuper tale dictum videtur falſum, quia motus volatus, & motus progreſſus nõ minus differunt, quàm motus rectus & motus circularis, at motus rectus, & circularis differunt ſperie, ergõ etiam motus volatus, & motus progreſſus erunt ſpetie differentes; Quod adhuc confirmatur ſic. Formarum naturalium ſpetie differentium, ſunt,

sunt operationes naturales specie differentes cum ergò forma aeris, & forma animalis specie differant, ergò & isti motus, qui sunt earum effectus, erunt specie differentes, quia si aliter, ab animali non proueniret sua propria operatio; Quod adhuc magis confirmatur, in motu progressus plura includuntur, quàm in motu volatus, ergò, pgressus & volatus differũt specie; Assũptũ, declaratur qa in motu progressus includũtur duo .s. linea recta & circularis, at in motu volatus tantum circumscribitur linea recta; Accedit, quòd isti motus fiunt per spatia diuersa, quæ differunt specie, cum aliud sit spatium in aere, in quo fit volatus, & aliud spatium sit in terra in qua fit progressus, ergò isti motus etiam differũt specie; Quòad primum, Dico quòd illi motus differunt figura .i. accidentaliter, quia differunt ex quoddam modo describendi spatium, cum aues, suo volatu aliomodo describant longitudinem rectam, quam alio modo describit homo ambulatu suo, quocircà dicit Aristillos motus differe figura, idest accidentes, sicut etiam dicimus hominem album, & hominem nigrum, qui sunt eiusdem speciei specialissimæ differe accidentaliter. Quòd ad secũdũ, & quo ad alias confirmationes,

dicit

dicit Simpl. quòd isti motus. s. volatus, & progressus, quo ad aliquid magis differunt quã motus rectus, & motus circularis, & quo ad aliquid non differunt, sunt. n. idẽ ex parte longitudinis, ideſt ratione spatij, super quod fit inter ipsos comparatio: immò sic ratione spatij sunt eiusdem spetiei spetialissimę. Ex alioverò isti motus differunt spetie, immò magis differunt quàm motus rectus, & circularis, si considerẽtur ex parte mobilis, & mouentis, ac ex parte loci; Et sic ad argnmẽtũ cum dicitur quòd motus progressus non minus differt à volatu quàm motus rectus à circulari, Concedo si considerentur modo dicto, qui si demùm considerentur ratione spatij, sunt eiusdem spetiei spetialissimæ.

Controuer. super tex. 38.

An si modius milij eadẽs fuit sonũ an quod libet granum simpliciter faciat sonum.

SOluendo cauillum Zenonis, dicit Arist. quòd non est necessarium quòd si modius milij facit sonũ, quòd quodlibet granum milij faciat partẽ soni; Hoc Arist. dictum difficile videtur esse, & ratio est, quia si decem homines faciunt consonantiã, patet quòd quilibet etiam seorsum facit partẽ cosonantiæ, ergó idem erit dicendum de granis; Soluitur negando similitudinem, & ratio negationis est, quia agentia sunt in

triplici

triplici differentia, nam sunt quædã agentia quæ sicut coniunctim concurrunt ad vnum effectum, sic etiam quodlibet eorum seiunctim facit partem illius effectus, sicut in argumento dictum est de decem hominibus in consonantia. Alia sunt agentia, quæ & si simul causent effectum seorsim tamen quodlibet non facit partem illius effectus, sed bene disponunt ad illum effectum causandũ, vt si centum guttę concurruntur ad lapidis cauationẽ omnes tamen non cauãt cũ sit vltima quæ cauat, at præcedentes disponunt. Tertio sunt aliqua agentia quæ concurrunt ad aliquem effectũ hoc modo, quòd non quodlibet eorum facit partem effectus, nec vnum illorum tantum facit effectum illũ, nec quodlibet eorũ disponit, sed omnia simul concurrunt ad causandum effectum, sicut patet de tractu nauis à viginti hominibus, cum nullus illorum seorsim faciat partem effectus, neq; aliquis ipsorum disponat ad illum effectum, sed omnes in simul cõcurrunt, sicq; est in exemplo de modio milij, vt vides.

Finis Contr. super VII. Lib. Phys.

CONCILIATIONES CONTROVERSIARVM SVPER OCTAVVM LIB. PHYS. ARIST.

Io: Ludovici Chartarii.

Contrau. j. super Tex. j.

Iesvs *illuminatio mea sit.*

An hæc propositio, (omne quod mouetur ab alio mouetur,) sit nota in ijs, quæ ab extrinseco mouentur, dubia verò in ijs quæ ab intrinseco mouentur.



NQuit Arist. (Vtrum autem motus sit factus aliquando, cum non esset prius, & corrumpitur rursus, adeò vt nihil moueatur, sed semper erat, & semper erit;) Quorũ verborum sensus satis clarus est; proponit enim quæstionem valdè desideratam, quæ est, An motus habuerit principium, & habiturus sit quoq; finem, an sit econtrà dicendum, quòd motus non habuerit principium, nec etiam finem sit habiturus, sed sit æternus ex omni parte; In quibus verbis superfluus videtur esse Arist. cum satis sit dicere, (Vtrum motus sit aliquando factus,) & non addere illa verba, (cum nõ esset

esset prius,) constat enim vnicuiq; quòd si motus est factus, quòd prius non erat ad quid ergò addidit illa verba? Pariter etiã in subsequentibus videtur esse adhuc superfluus, cum dicit, (& corũpitur rursus,) ad quid addit, (adeò vt nihil moueatur,) cum omnibus sit euidens, quòd si motus corrumpitur, quòd nihil tunc mouetur; Negandum est, Arist. esse in suis verbis superfluum, immò talis loquendi modus quàm maximè sibi nedum vtilis est, sed necessarius, quatuor quẽ de causis voluit sic loqui. Quarum prima est, vt daret intelligere, se seruare suos cannones, quos docuit Primo Post. vbiq;, ibi enim docuit, quód de eo quòd quæritur, semper prænoscendum est, quid significet illud tale, ideò Arist. quærens hic, An motus sit factus, & an corrumpatur vel non, voluit exprimere, quid significet illud ẽẽ factum, illud corrumpi, & quasi dicat, cum quæro, An motus sit factus, intelligo, quód motus prius non erat, similiter cum quæro, An motus corrumpatur, intelligo, quòd tunc nihil mouetur, sicq; prænoscit, quid significent illi termini, esse factum, & corrumpi; Insuper, vsus est tali módo loquendi, vt exprimeret naturam motus, quæ talis est, vt fluat, & intereat,

seu successiuè fiat, motus enim Cœli licet sit æternus, fluit tamen, ac successiuè fit, ideò volens significare Aristot. se non quærere, An motus sit factus, adeò quòd continenter, ac successiuè fiat, dicit, An motus sit factus, adeò quòd non esset prius? Insuper, & tertio ita loquutus est Aristo. vt ostendat, se dubitare de motu in communi, non autem de motu primo, seu de motu Cœli, vt falsò censuit hic Auerroes, ideò dicens, Vtrum autem sit factus aliquando motus, cum non esset prius, & corrumpitur rursus, adeò vt nihil moueatur, sic manifestat se loqui de motu in communi, & non de motu primo, seu Cœli, sicut patet cuilibet consideranti sua verba, & præcipuè illa, (adeò vt nihil moueatur,) Vbi attendas, (per motum in communi,) non esse intelligendum, conceptum abstractum ab omnibus motibus, sed intelligimus motu in communi, scilicet ratione suorum inferiorum. Vltimò, vsus est illo loquendi modo, vt innueret motum non generari, nec corrumpi propriè, sed confusè, & impropriè, quod declaro, Ea enim quæ fiunt, & corrumpuntur, sunt in duplici differentia, sicut ipse Aristot. docet Primo Cœli tex. 111. & 112. quædam namquè sunt, quæ fiunt per

veram generationem, pariter & corrumpũtur vera corruptione, vt homo, bos, & quilibet noſtrum factus eſt vera generatione, & corrumpetur etiam vera corruptione; ſunt quædam alia, quæ fiunt ſinè vera generatione, ſimiliter interreunt ſinè vera corruptione, ſicuti eſt tactus duorum corporum, duo enim corpora nunc ſe tangũt, vt ſupràponendo manum alteri manui, ſe tangunt, qui tactus fit ſinè vera generatione, at poſt nunc dum ſcilicet vna manus ab altera remouetur, non ſe tangunt, tunc deſinit tactus ille, ſed abſquè corruptione, ideò dubitando de motu, non quærit, an motus generetur, & corrumpatur, eo quia vt patet, motus nõ generatur, nec corrumpitur abſolutè, ſeù propriè, ſed confusè, ideò dicit, vtrum motus ſit factus aliquando cum non eſſet prius, &c. vt det intelligere, quòd motus primõ eſt, deindè non eſt, ſed abſq; generatione, & corruptione, ſicut iam exemplificatum eſt de tactu.

Controuer. 2. ſuper tex. 1.

An Ariſto. rectè quærat; An motus ſit factus.

VTrum autem ſit factus aliquando motus, cum non eſſet prius, & corrumpitur rurſus adeò vt moueatur nihil;) Iterum propono hæc verba conſideranda, cum in illis videatur eſſe

implicatio

implicatio satis apparens. Cũ enim dicat (aliquando) quod aliquando significat tempus, & tempus non possit esse absq; motu, dubitando, An motus sit alquando factus, videtur dubitare, An motus sit factus quando reperitur motus; Quod etiam colligitur ex verbis subsequentibus, dum dicit, (cũ non erat prius) quod (prius) denotat etiam tempus, sic igitur videtur quærere, An motus sit factus, cũ ipse motus est, quod est inplicare in dictis; Respondeo, quòd stando in fundamentis Arist. nulla est implicatio, eo quia sic dubitando, dat intelligere motui non posse attribui principium, nec finis; Cuius oppositum secũdũ Theologos est affirmandum, ex quorũ sententia est dicendũ, illa duo aduerbia, (aliquando, & prius,) non significare verum tempus, sicut doctè explicat Sanctus Doctor prima parte Summæ Quæst. 46. Artic. Primo, ad octaui argumenti responsionem, sed significare tempus imaginatum, cum significet quandam successionem in magnitudine cõceptã æternitati correspõdẽtẽ

Controuer. 3. super tex. 1.

RVrsus propono illa prima verba considerãda, (Verum autem sit factus aliquando motus, cũ nõ esset prius) quia

quia Arist. sic loquendo, videtur concedere, motum habere principium, cum positione de præsenti, in hunc modum, Motus nũc est, qui prius non erat, Similiter videtur admittere, Motum habit rum finem, cum positione de præsenti in hunc modum, motus nunc non est, qui posterius erit; Quæ videtur absurda; Est notandum, quód quærere an motus incœperit, vel desierit, potest intelligi dupliciter, vnomodo affirmatiuè, aliomodo negatiuè, Motum incipere affirmatiuè, est motum nunc esse, qui antè nunc non erat motum desinere affirmatiuè, est motum nunc esse, qui post hoc nunc nõ erit; Incipere motum negatiuè, est motum nunc non esse, qui post hoc nunc erit; desinere motum negatiuè est motum nunc non esse qui antè nunc erat; quo secũdo modo quæstio ab Arist. proposita est intelligenda, & tunc non sequuntur absurda, quæ dicebãtur euenire; cum sensus quæstionis propositæ sit talis, An motus incœperit, ideſt an motus nunc non erat, sed post hoc nũc erit; (Et rursus corrumpitur;) ideſt an motus desinat, ita quõd nunc non sit motus, sed antè hoc nunc erat; Si tamen quis voluerit exponere quæstionem affirmatiuè, erit dicendum quód Arist. quærens, An motus sit

Quid sit motũ incipere, & desire affirmatiuè

factusiquòd ipse dubitat eomodo, quo potest dubitari. an motus sit factus, & an habeat principium eo modo, quo potest illud habere, cum positione de presẽti; Sed quomodocunq; exponatur, videbitur alicui quòd talis quæstio non possit pertinere ad naturalem, tali ductus ratione, ille effectus non pertinet ad naturalem, cuius causa nec etiam ad naturalem attinet, cum eiusdem scientiæ sit munus considerare effectum, & causam ipsius, sed causa motus æterni est primus motor, qui cum sit substãtia abstracta à materia, ad naturalem nõ spectat, ergó nèc æternitas motus ad illum spectabit; Respondendo formaliter minor est neganda. Ad eius probationem, communis responsio est, quód substantia abstracta consideratur à naturali quo ad si est, at quo ad quid est, à metaphisico; Cõtrà quam sic poterit quis replicare; Si naturalis Phylosophus considerat substantias abstractas quo ad si est, vel illud si est, est accidentale, vel substantiale, accidentale non potest dici quód sit, erit ergò essentiale, si sic, esse essentiale est esse quidditatiuum, ergó naturalis Phylosophus considerabit illas quo ad esse quidditatiuum, cuius oppositum primo dicebatur; Erit respondendũ, quòd esse essentiale est

Questio an motus sit factus pertineat ad naturalẽ Phylosophũ.

Communis responsio.

est duplex, aliud commune, aliud proprium, naturalis Philosophus considerat substantias abstractas quo ad esse essentiale commune, at Metaphysicus easdem considerat quo ad esse essentiale proprium, quod esse essentiale proprium est quiddirationum, minimè esse essentiale cõmune, sicq; Metaphysicus illas considerabit quo ad quid est; Vel erit dicendum, quòd naturalis Philosophus considerat huiusmodi substantas abstractas sub ratione qua mouent, seù vt sunt causæ efficientes motus, at Metaphysicus easdẽ considerabit, sed sub ratione qua sunt primæ formæ seù primus finis; Sed ad huc quis replicabit; Primus motor, prima forma, & primus finis sunt idem, ergò sicut prima forma, & primus finis consideratur à Metaphysico, sic etiam & primus motor, vel sicut primus motor contemplatur à naturali, sic etiam & prima forma, & primus finis ab eo contemplabitur; Respondendo, semper consequentia erit neganda, & ratio est, quia licet primus motor sit idem re, cũ prima forma, & primò fine, distinguitur tamen ratione.

Alia solutio.

Replica.

Solutio.

Controuer. 4. super tex. 1.

SEquuntur verba hæc, (sed semper erat, & semper erit, & hoc immortale, & finẽ

quiete;) Videbitur alicui Arist. esse superfluum in his verbis, cum id quod semper est, & erit, sit immortale, id verò quod est immortale sit sine quiete, ad quid ergò illa addere? Attendat ille, qui sic obijcit, quòd Arist. volens denotare, se quærere, an motus sit ex omni parte æternus, vsus est illis tribus terminis, (semper esse, & immortale, & sine quiete,) qui sic se habent quòd vnus est explicatiuus alterius, ille enim terminus, (Et immortale) est explicatiuus illius, in quo dicebat, (& semper erat, & semper erit,) ille verò terminus (& sine quiete,) idest nunquàm cessans, est explicatiuus illius (immortale,) Quo etiam modo fecit Arist Primo Post. in principio Cap. Secundi, vbi volens diffinire ipsum scire, Dicebat scire simpliciter, & non sophysticomodo, qui est secundum accidens; Vtebatur ibi pariter illis tribus terminis, prò vt vnus erat declaratiuus alterius, & hoc vt innueret se velle diffinire scire proprium, sicut ibi adnotaui, sic quoq; in præsenti, illis tribus vtitur terminis ob rationem dictã. Et hic erit etiam attendendum illud (immortale) quòd Arist. impropriè loquitur cum mortale, & immortale propriè loquendo de viuentibus dicantur, motus autem non

An motus dicatur immortalis.

non est de numero viuentiũ; Et ideò Arist. volens significare se impropriè esse loquutam addidit illam particulam, (velut vita quædam,) per quam explicat quomodo motus sit inmortalis, Motus enim sic dicitur inmortalis, quia est veluti vita quædã; Sed tunc quæret ille, quomodo motus sit tamquàm vita; Erit dicendum, quòd motus est tamquàm vita, hoc modo, quòd sicut vita se habet ad viuentia, ita motus naturalis se habet ad corpora naturalia, adeò quòd similitudo sit in his, Quòd sicut vita oritur à principio intrinseco, ita motus naturalis emanat à principio intrinseco; Insuper, sicut vita pender à forma, ita motus naturalis pendet à forma naturali; Adhuc sicuti vita est perfectio corporis viuentis, ita motus est perfectio corporis naturalis; Adhuc, sicut vita est quidam motus, seũ operatio quædã ab anima manens, ita motus naturalis est operatio pendens à natura; Ex quibus duo sunt corrolaria colligenda, quorum primũ est, Auerroem hic, & sui sectatores errare, in exponendo sensum quæstionis propositæ, vtrum motus sit æternus, iudicarunt Arist. loqui de motu primo, seũ de motu cœli, & dicunt motum cœli esse illum qui est vita mortaliũ, Qui sic dicentes, quã valde deci-

Motus an sit veluti vita quædam.

Corrolarium.

piuntur, cum expressè contrarientur verbis Arist. dicentis (veluti vita quædam, quæ inest omnibus natura sub sistentibus, at motus cœli non est talis, cum non conueniat, nec insit omnibus naturalibus, sed tantum ipsi cœlo; Secundum quod est colligendũ, est hoc; Simplicium hic errasse, dum censet quæstionem de motu propositam, esse intelligendam de motu naturali, & accipit naturam, vt contrà distinguitur ab anima, adeò quòd Arist. per illa verba nõ denotet motum viuentium, nèc motum animalium, cum ij motus sint ab anima, & non à natura, & Arist. loquatur dè motu, qui est à natura; Hæc inquàm sententia non est probanda, quia si sic esset, Arist. dum quærit, an motus sit æternus, non loqueretur de motu in communi, sicut ipse sustinet, & sicut est rei veritas, sed dubitaret de parte motus tantũ, quod deducitur cum per eius expositionẽ motus cœli excludatur, qui motus cœli secundũ Simpl. est ab anima; Tum quia Arist. sub diffinitione motus ab ipso data Secundo huius voluit etiam animam contineri, quapropter cum Arist. dicit, quòd hic motus æternus est veluti vita quædam conueniens omnibus his, quæ natura constant, dat inquàm intelligere omnem motum naturalem

An motus cœli sit mortalium vita

Corrulatium.

turalem pendentem à natura, siuè modò illa natura sit anima, siuè non; At si Arist: loquitur dè omni motu naturali, cum dicit, quòd hic motus ineſt omnibus, natura ſubſiſtentibus veluti vita quædam; Dicet ille, cur vtitur tali metaphora, veluti vita quædam? Refert Simplicius, Alex. dixiſſe Ariſto. vſum eſſe tali metaphora, adhoc vt tacitè, & latenter manifeſtaret motũ eſſe æternum, ſed quomodo? Hoc ſic explicat, Omnes naturales Phyloſophi dixere corpora naturalia eſſe æterna, ſi ſic, motus ergo eorum etiam erit æternus, eo quia talis motus ineſt ipſis veluti vita quædam, hoc modo, quia ſicut viuentia ſinè vita minimè eſſe poſſunt, ſic nec ſinè motu corpora naturalia poſſunt exiſtere, & ſic ex illa metaphora colligitur latens hæc confirmatio quòd motus ſit æternus; Quæ Alex. ſententia non eſt approbanda, & ratio eſt, quia huc vſq; non conſtat corpora naturalia eſſe æterna, immò hoc eſt dubium, & indè eſt quòd Phyloſopi vtuntur hac diſtinctione, quòd corporum naturalium quædam ſunt æterna, quædam corruptibilia, ex eorum igitur æternitate minimè poterit colligi æternitas motus; Adde, quòd hic eſt locus inquo proponitur difficultas, minimè eſt locus in

Soluttio Alex.

Confut. ſolutio Alex.

quo debeat arguere pró aliqua parte; Dicendum est igitur Arist. vsum esse illa metaphora, (veluti vita quædam) duplici de causa, prima vt doceat quo modo motus conueniat rebus naturalibus, qui est, vt illis conueniat, vt vita quædam; Secunda, vt explicaret verba illa inpropriè accepta, (Et hoc inmortale) cum inmortale tantum viuentibus conueniat, sicut nunc suprà dictum est in controuer. 4. Sed adhuc dicet ille, quare ita limitatè est loquutus, (veluti vita quædam; Dicendum est, quòd limitatè est loquutus, quia motus propriè loquèdo, non est vita, sed est operatio vitæ, dependet enim ab anima, quemadmodum nec sensatio, & intellectio sunt vita, sed sunt operationes vitæ, cum pariter ab anima proficiscantur; Sed qui fieri potest, quód motus sit vita quædam, cum oppositum huius colligatur ab Arist. Quarto huius tex. 128. vbi dixit, quód tempus est causa corruptionis, & dedit rationem hanc, qa motus, cuius tempus est mensura distrahit ipsum corpus quod mouetur, si sic, non erit igitur vita; Est dicendum quòd motus est duplex alius internus, & hic est ille, qui est veluti vita quædam, quia talis motus ab anima dependet; Alius est motus externus, & hic

Vero solutio.

An motus possit dici vita.

est

est ille, qui distrahit partes corporis, quod mouetur, est q; causa corruptionis.

Controuer. 5. super tex. 1.

An omnes Antiqui concedât motum dari.

ESse igitur motum omnes affirmant, &c. (Inquibus verbis dicunt omnes Arist. soluere tacitam obiectionem, quam sibi quis posset obijcere, Posset ille dicere, Arist. quærit, an motus sit æternus, & non declarat, an motus sit, ergo non seruat ordinem, nec sua præcepta quę docuit secundo Post. vbi docuit, quæsitum si est præcedere omnia alia quęsita, ergò Arist. disputaturus de æternitate motus, prius debebat quærere, An motus sit; Respondet Arist. se non quærere, an motus sit, quia, omnes antiqui affirmarunt motum esse, quod declarat, dicens, (propterea quòd mundũ faciunt,) ideſt, quia generant mundum; Sed quomodo omnes antiqui concedunt motum dari, cum Parmenides, & Melissus ipsum negauerint, vt habetur ab ipso Arist. Primo huius; Solutio colligitur ex verbis immediatè subsequentibus, in quibus habet, (de natura aliquid dicentes,) sicq; non omnes antiqui absolutè admittunt motum dari, sed omnes de natura aliquid dicentes, ideſt, omnes Phylosophi naturales, at Parmenides, & Melissus inter naturales

Philosop.

philosop. nõ sunt habiti, eõ quia negarunt motum, qui autem motum negant, inter naturales non sunt connumerandi; At quomodo verum est, quòd omnes antiqui de natura aliquid dicentes, concedant motũ, eo quia faciunt mũdum? cum Caldei posuerint mundum esse æternum? Dicendum est cum Arist. Primo Cœli tex. 102. quòd omnes antiqui Phylosophi dixere mundũ esse genitum, quòd hoc verificatur de opinionibus illorum, qui tunc temporis existerunt; At quòd mundus sit ingenitus, hoc dictum Arist. profert tamquàm sententiam sibi propriam, quæ & si aliorum fuerit, eam tamen sibi ascribit, quia talis opinio fuit de lera, illius q; Arist. fuit restauerator.

Controuer. 6. super tex. 1.

An causa ab Arist. adducta, cur agendũ sit de æternitate motus sit recta.

SEd quot quot quidem infinitos mũdos, &c.) Nè quis credat, quòd quæstio ab ipso proposita dè æternitate motus sit inpertinens, in hac particula textus, affert causam, cur de hac quæstione sit necessariũ agere, & vult dicere, quòd hæc quæstio nõ est inpertinens, quia antiqui inter se fuere discordes in hac quæstione, cum alij ipsorũ posuerint motum esse æternum, alij verò non esse æternum; Quæ causa ab ipso Arist. adducta satis friuola, & leuis videtur esse, immò

immò ipſi Ariſt. contraria; Cum ipſe Ariſt. numquàm huiusmodi cauſas adducere cõſueuerit, nullibi namq; in ipſo Ariſt. reperietur, quòd dicat; Ego quæro hoc, propter antiquos qui inter ſe fuere diſcordes; Leuis verò, & friuola eſt talis ratio, quia adſunt aliæ rationes efficatiores, & præcipuè duæ, quas adducit Auerroes, quarum prima eſt, quia ex ſolutione difficultatis propoſitæ de æternitate motus, ſoluitur aliud quæſitũ longè difficilius quod eſt, An mundus ſit æternus; Secunda eſt, quia ex cognitione æternitatis motus, venamur eſſe ſubſtantiarum abſtractarum; Aſſerendum profectò eſt quòd cauſę ab Auerroe adductæ ſunt efficatiores, eas tamen Ariſt. adducere neglexit, ſed attulit rationem dictam, quia voluit aſſere cauſam manifeſtiorem, licet enim cauſæ ab Auerroe adductæ ſint potiores, sũt tamen immanifeſtiores; quas ſi Ariſt. adduxiſſet, opus fuiſſet ei declarare, quomodo æternitas motus ducat nos in cognitionem æternitatis mundi, & ſubſtantiarum ſeparatarum, quę duo ſi voluiſſet explicare, nimis à ſuo receſiſſet propoſito.

Controuer. ſuper tex. 3.

IN iſto contextu aſſerens Ariſt. vtilitatem, ſeù neceſsitatem quęſtionis propoſit

de

de æternitate motus, duas affert vtilitates, altera quarum assumpta est à fine interno, quæ est, quòd quæstio proposita est vtilis considerõni de natura, idest, phylosophiæ naturali; Alteram accipit à fine externo, dicitq; quæstionem propositam conferre methodo dè primo principio, vbi per methodum de primo principio, intelligit ipsã metaphysicam, quæ agit dè substantijs abstractis, in quarum notitiam deuenimus ex æternitate motus; Quæ dicta ipsi Arist. aduersari videntur Primo Top. dicenti, Theorema hoc, vtrũ motus sit ęternus esse problema dialecticum, cum de eo contingat neutro modo opinari, cum etiam eius veritas non possit haberi, nec demonstrari, quomodo igitur perscrutario dicti quæsiti pręstabit dictas vtilitates? cum eius veritas non possit sciri; Siendum est quòd Galenus sicut recitat Auerroes Primo Cœli Com. 23. fuit istius opinionis, quòd de æternitate motus, & mundi nihil certi dicere valemus, sed solum per probabilia; Et hoc idem sensit D. Thomas prima parte Summę Quest. 46. Artic. primo, vbi dicit, quæstionẽ propositam de ęternitate motus esse problema dialecticum secundum Arist; Et hoc confirmat, eo quia Arist. semper affert testimo-

An quæstio dè æternitate motus sit quæstio dialectica.

nia

nia antiquorum ad probandam ęternitatem motus, quę faciunt ad suadendum, minimè ad demonstrãdũ; Sed contrariũ sentit Simp. & Proclus, & multi alij, immõ ipse met Arist. qui vult hoc nõ esse problema dialecticum, Et quõd Aristot. hoc velit, primo sic ostendo; Si hoc per Aristot. esset problema dialecticum, sequeretur ꝙ Metaphysica nõ esset scientia, quod est absurdum dictu, cũ nèdũ ipsa sit scientia, immõ suprema scientia; probatur consequentia, Illa facultas cuius fundamentum non pertinet ad scientiã, seù non est scientificũ, nèc illa facultas est scientia, at fundamentum per quod constituitur Metaphy. non est scientificum, ergõ nèc Metap. erit scientia, probatur mi: fundamẽtũ per quod constituitur Metap. præcipuũ sũt substãtiæ abstractę, teste Arist. Sexto Meta. tex. 3. dicente, si nõ essent substantiæ abstractæ, Phylosop. naturalis esset prima Phylosop. at substantiæ abstractæ per æternitatem motus probantur esse, igitur si æternitas motus est quid probabile, fundamentum totius Metaphy. erit quod probabile, sicꝙ Metaphysica non poterit dici scientia, Confirmo hoc; Apud Arist. dari substantias abstractas est necessarium, vt ipse affirmat. 12. Metaphy. cum igi-

Cõfut. & Opinio Gręcorũ.

tur

igitur hoc sit necessarium, & inferatur per ęternitatem motus, ergo tale medium erit necessarium, cum non sit rationi consonũ, quòd conclusio necessaria sit, nisi etiã medium sit necessarium. Accedit authoritas Arist. 9 Met. tex. 17. dicẽtis. Non est timendum cœlum quiescere, modo si ęternitas motus non esset quid necessarium, tunc timendum esset cœlum quiescere, & ideò 12. Met. tex. 43. dicebat Arist. ęternitatem motus demõstrauimus in Phy sicis; Placuit quibusdam alijs dicere, hoc esse problema dialecticum, quia de illo varię fuerunt veterũ opiniones, & adeò variæ fuere, quòd nõ potest argumentari prò vtraq; parte, nisi probabiliter; Quorũ sententia minimè probãda est. Ratio est, quia si illud esset problema dialecticum, dè quo varię sunt & diuersæ antiquorum opiniones, tunc multa alia Arist. theoremata essent dicẽda problemata dialectica, vt theoremata de materia prima, de Ánima, de principijs rerum naturalium, cum de illis veterum opiniones lõgè diuersæ fuerint, illa igitur dicenda essẽt problemata dialectica: Insuper, dicere hoc esse problema dialecticum, eo qa nõ possumus argumentari nisi dialecticè, hoc est falsum, Eo quia nulla est res de qua nõ possimus

Opinio quorũ dã recentiorum,

simus probabiliter argumentari, sicut expresse colligitur ab Arist. in primis verbis Primi Top. dicentis, Dandam esse methodū perquam de omni proposito problemate valeamus absq; repugnantia prō vtraq; parte disputare; Aliter igitur est respondendum, dicendumq; est, quòd secundū Aris. quædam dicuntur problemata dialectica, quatenus eorum causas difficile est inuenire, ac de illis demonstrationes formare, dico difficilè, non autem dico impossibilè, & ideó veteres sunt probabiliter loquuti, eo quia ipsis fuit difficilè inuenire causas; Addas, quòd dùm aliqs est ingenio sublimi præditus, qui valeat difficultatem illā superare, ac eius causam inuenire, tūc illud amplius non est problema dialecticum, & ita se habet in proposito de ęternitate motos & mundi, quę censentur problemata dialectica, quia de illis est difficile formare demonstrationes, ac eorum causas inuenire, quorum si quis causas adinuenerit, illa amplius non erunt dialectica, ac cum Aristot. profiteatur se huius rei s. ęterniratis motus formasse demonstrationes, ideō illud non amplius erit dialecticum. Ex quibus patebit solutio, quomodo ditficultas dè æternitate motus sit dicenda dialectica, & quomodo

Vera determinatio.

modo non; Sed addo, quòd & si Arist. putet se demonstrasse æterniratem motus, decipitur tamen, quia accipit principia falsa, sua enim principia nullam habent veritatē de agente super naturali: Deus enim benedictus cuncta creauit ex nihilo.

Controuer. super text. 4.

An mobile, & mouens præcedāt motū tēpore, vel origine, seù natura.

VOlens Arist. probare motū esse æternum, accipit hoc suppositum, quòd motus præsupponit mobile, & mouens, quod suppositum accipit ex diffinitione motus, Ex quo supposito sequitur, quòd mobile, & mouens præcedant motū; Difficultas est, an præcedant motum tempore, vel origine, cum enim duplex sit prioritas, alia temporis, vt cum dicimus patrē esse filio priorem, pater est prior filio tempore; Alia est prioritas causę, seù originis, sicut dicimus, rationale esse prius quàm risibile, est prius secundum causam, seù origine, quia rationale est causa risibilitatis; Cum ergò Arist. dicit mobile, & mouens præcedere motum, difficultas est, de qua prioritate loquatur, an temporis, an originis; In qua difficultate expositores inter se sunt discordes; Simplicius, & Auerroes dixere, Arist. loqui de prioritate temporis, ita quòd Arist. sententia sit hęc, mobile, &

mouens

mouens præcedunt motũ tempore; Et hanc eorum opinionem probãt, primò quia Arist. loquitur de motu nouo, seu de motu generabili, & corruptibili, & per istũ motũ tamquàm per signum elleuat nos in cognitionẽ motus æterni, loquendo q; de motu nouo, dicit mobile, & mouens esse tempore priora ipso motu; Confirmant hoc, & ex verbis Arist. dicẽtis in tex. isto, (prius oportet esse cõbustibile, antequàm cõburatur, & cõbustiuũ priusq; cõburat;) at cõbustibile dicũt est prius tẽpore ipsa cõbustione, pariter & ipsũ cõbustiuũ, ergo sermo Arist. eris intelligẽdus de prioritate tẽporis; Quã sẽtentiã etiã colligũt nõ nulli ex ipso Arist. 9. Met. tex. 13. dicẽte, potẽtiã in eodẽ individuo ẽẽ priorẽ tẽpore ipso actu; Qui sic dicẽtes nõ sũt audiẽdi, cũ eorũ determinatio rõni nõ sit cõsẽtanea, nec fũdamẽtis iactis ab Arist. vtrũq; declato, & primo q; sic dicẽtes repugnent rationi, q; sic ostẽdo, Motus vel ẽ æternus vel generabilis, & corruptibilis, si primũ, pcul dubio mobile nõ est prius tẽpore ipso motu, cœlũ enim nõ est prius tempore sua reuolutione, quia vnũ æternũ non est prius tempore alio æterno, Si vero motus est genitus, nec mobile semp ẽ prius tempore ipso motu quod colligitur ex ipso; Cõfutatio.

Arist. in isto Octauo tex. 22. dicente, quòd ignis statim cum est genitus, sursum fertur, adeò quòd ignis ille genitus non est semper prior tempore latione eius sursum; Insuper Arist. in principio istius Octaui dubitauit de æternitate motus in communi, & non de motu primo, vt censuit Auerroes, & falsò, sicut adnotatum est suprà in solut. primæ, ac quartæ controuersiæ super tex. 1. Si igitur quęrit de motu in communi, ergò debet accipere fundamentum quod sit verum de omni motu, at loquendo de omni motu, non est verum, quòd mobile, & motor sint priora ipso motu, vt iam constat, quocircà nec suppositum factum, erit sic intelligendum; Accedit, quòd Arist. colligit illud suppositum ex diffinitione motus ab eo data Tertio huius, Motus est actus mobilis, vt mobile, ex qua infert, igitur motus præsupponit mobile; at ex illa diffinitione non possumus colligere prioritatem temporis, sed solũ colligitur quòd motus præsupponit mobile, at quòd præsupponat mobile prius tempore, hoc non colligitur; Insuper Arist. in hoc tex. 4. dicit, Motum præsupponere motorem, & mobile, esse notum ex communi omnium consensu, at non omnes veteres concedunt mobile esse prius

tempore

tempore ipso motu, benè asserunt, motũ esse prius origine: igitur, hęc Simpl. & Auerrois opinio est falsa; Niruntur Simpl. & Auerroes soluere has rationes, quæ eorum solutiones nullius esse etiam roboris, ostendo; Erat prima ratio, Si motus est æternus, nõ est verum quòd mobile sit prius tempore ipso motu, quia vnum ęternum non est prius tẽpore alio æterno; Simpl. respondet, quòd motus cœli potest dupliciter considerari, vel quo ad totum, vel quo ad partes; Si quo ad totum, mobile non est prius tempore ipso motu, quia ambo sunt æterna, quia motus si consideretur quo ad partes, sic mobile est prius tempore ipso motu quo ad partes considerato; præsens enim & hodierna circulatio præsupponit ipsum cœlum, quod cœlum est prius tempore hac reuolutione; Hæc solutio non est vera, quia ex Aristot. Quinto huius, id quod est per partem, est per accidens, quod etiam dicet Arist. infrà in hoc Octauo, ergo intelligendus est Aris. quòd loquatur de motu perse, seu quo ad totum cum termo simpliciter prolatus sẽper sit intelligendus perse, & absolutè, cum ergò Arist. dicat, motum præsupponere mobile, & mouens, erit intelligendum ipsum loqui de motu perse, seu quo ad totum; Præ

Euasio Simpl.

terrà, Arist. deducit hoc suppositum ex diffinitione motus, at motus qui fuit ab Arist. diffinitus, fuit motus perse, & quo ad sui totum sumptus, non autem quo ad partes, ergò &c. Auerroes hic com. 4. aliter respondet huic argumento adducto, & præcipuè loquendo de motu corruptibili, erat enim instantia adducta de igne, qui statim quòd genitus est, sursum fertur, ergò mobile non erit prius tempore ipso motu. Respondet Auerroes, q motus habet duplex mobile, seu duplex subiectũ, vnũ proximũ, aliud remotũ, vt motus ignis sursũ, subiectũ eius proximũ est substantia ignis, subiectũ remotũ est lignũ ex quo ignis est genitus, tunc dicit quòd motus præsupponit mobile prius tempore, hoc est verũ, si non de subiecto proximo, saltẽ de subiecto remoto. Quod dictũ. s. quòd motus sit duplex subiectũ, proximũ, vel remotum, licet sit verũ, non est tamen ad propositum, quia Arist. loquitur semper de subiecto proximo, nõ de remoto, quòd esse verũ ostendo, quia Arist. illud suppositũ colligit ex diffinitione motus, at motus diffinitur ab Arist. per subiectum in quo est, motus autẽ semper est in subiecto proximo, nõ in remoto, ergo suppositũ factũ erit intelligendũ de subiecto proxi-

Euasio Auer.

mo, latio enim ignis sursũ est inigne nõ autẽ in ligno, quare sic fotmo rationẽ, Aris. loquitur de illo subiecto, per quod diffinitur motus, sed motus diffinitur per subiectũ ꝓximũ, &nõ per remotũ, ergo &c. Quod adhuc colligitur ex exẽplo, quo ipse vtitur Arist. in declarãdo illud suppositũ, vtitur nãq; subiecto ꝓximo, dicit enim, ꝙ cõbustibile est prius quàm cõbustio, at cõbustibile ẽ subiectũ proximũ: Cũ etiã Arist. loquatur de motu in cõmuni, vt ẽ adnotandũ in solut. cõtrouer. primæ, ac quartę sup tex. primo, ergo de subiecto ꝓximo loquetur Arist. nõ autẽ de remoto; Quare melius erit dicere, ꝙ cum Arist. dicit, motũ ꝓsupponere mobile, ipsũ loqui nedũ de prioritate tẽporis, sed etiã originis, seũ naturæ, cũ hoc ipsũ Aris. nihil refert; Et tũc ad obiecta respõdere nõ ẽ difficile; Erat primũ, qa Aris. loquitur de motu nouo, & per ipsũ tãquã per signũ ducit nos ad motũ ętternũ; Vtrũq; dictũ est falsũ, & primo primũ ꝙ Aris. loquatur de motu nouo, seũ corruptibili, immõ loquitur de motu in cõmuni, de quo loquẽdo, accipit id ꝙ cuilibet motui ẽ cõmune. s. ꝙ motus prę supponit mobile, ꝙ colligit ex diffinitione motus ab ipso assignata, quę diffinitio (vt etiam fatetur Auerroes) conuenit omni motui, & nouo

Determinatio.

&

& æterno, igitur etiam erit falsum, quòd vtatur motu nouo, tamquàm signo vt eleuet nos ad motũ æternum; Erat aliud, quia potentia in eodem individuo est prior semper ipso actu; Respondeo primo hoc esse verũ vt in pluribus, iuuenes enim sunt prius in potentia ad scientiam, quam denũ in processu aquirunt, talis ergò propositio est vera vt in pluribus, sed non in omnibus; Dico secũdo, quòd Arist. propositio dict. habet veritatem de potentia relata ad actum primum, hoc est ad ipsum habitum, veritatẽ tamen non habet, si potentia referatur ad actum secundum, seũ ad ipsam operationẽ, sicut patet de anima nutritiua quæ semper nutrit, & operatur, vt dicit Arist. secundo de Ani; At si Arist. suppositum, quòd motus præsupponat mobile est intelligendũ de quacunq; prioritate, & temporis, & naturę attendatur quòd tale suppositum habet tamummodo veritatem de agente particulari, & in productione particulari, in qua semper præsupponitur aliquod subiectum, at de agente vniuersali nullam habet veritatem, nec in productione entis vniuersalis, quæ est simplex emanatio, cum Deus ipse cuncta ex nihilo creauerit, & hoc est, quod etiam suprà in fine solutionis controuer-

super tex. 3. dixi Aristot. fuisse deceptum.

Controuer. super tex. 5. 6. & 7.

An prima Arist. ratio qua probat motum esse eternum. sit recta

INistis tribus contex. format Arist. suam primam rationem, qua probat motũ esse æternum, quæ innititur in supposito facto in tex. 4. præcedenti, & ducit aduersarium dicentem motum esse factum, ad hoc absurdum, quòd idem motus erit primus, & non primus, & sic argumentatur, Ex quo motus præsupponit mobile, si mobile illud est factũ, ergó idem motus erit primus, & non primus, probat consequentiam, si enim mobile quod præcedit motum natura, vel tempore, est factum, ergo præcessit alia mutatio, & alius motus, ergo motus ille qui ab aduersario dicebatur primus, non erit primus, cum illum motũ præcesserit alius motus, generatio. s. illius mobilis, quæ generatio non est absq; motu; Quæ ratio ipsi Arist. aduersari videtur Primo Cœli tex. 111. & 112. vbi docet esse aliqua, quæ incipiunt, & desinunt esse, absq; tamen ortu, & interitu, & dat exemplũ de tactu qui incipit esse & desinit esse, absq; generatione, & corruptione, similiter nunc dicam Aristoteli, diceret ille, quando enim Arist. argumentatur sic, Ex quo motus præsupponit mobile, tunc accipiatur primus motus, qui incœpit

ille ergo motus præsupposuit mobile, Concedo, cū quærit, vel illud mobile est factū, vel æternū; Dico esse factū. Dicit Aristot. si mobile illud fuit factū, ergò motus qui dicebatur primus, non fuit primus. Hoc negabo dicet aduersarius, quia dicā, quòd illud mobile prius non erat, deindè est, sine tamē generatione; pariter si nūc ē, & posterius nō fit, ergò est corruptū. Hoc negabo dicet aduersarius, quia dicā; quòd post nūc nō ē, sed absq; corruptione, ex quo multa sūt, quæp Arist. loco allegato, incipiūt esse, & desinūt esse absq; generatione, & corruptiōe, ergò &c. Cō firmatur, quia dicā, dicet aduersarius, quòd illud primū mobile si prius non erat, deindè est, nō tamē est genitū, sed dico illud esse creatū; pariter si nūc ē, & posterius nō erit, ergò ē corruptū, negabo hoc, sed dicā (dicet aduersarius) illud esse annihilatū; Et p huius intellectione, nota quód generatio differt à creatione, eo quia generatio sēper prēsupponit subiectū saltē in potētia esse, at creatio nihil penitus præsupponit; Pariter & corruptio differt ab annihilatione, cū corruptio sēper desinat in aliqd, annihilatio verò in nihil prorsus terminet. Dicerem, quòd stando in fundamentis naturalibus, rationē Arist. esse firmissimā; Et cū

dicitur

dicitur, illud primũ mobile esse, & nõ esse, sed absq; generatione, & corruptione, Dico hoc nõ posse dici stãdo in via naturali, duplici de causa, & prima est, quòd & si sũt Arist. sint multa, quæ incipiũt esse, & desinũt esse absq; generatione, & corruptione, nõ tamẽ incipiũt esse, nec desinũt esse absq; motu, immò motũ necessario præsupponũt, eo quia talia, quę sic incipiũt esse, & desinũt esse, sũt termini alicuius motus, vt exẽpli gratia, si manus mea nõ tangit nũc aliã, deindè se tangũt, & sinè generatione, hoc cõcedã, ergò sine motu, hoc sẽper negabo, ratio negationis est, quia vna manus aliã non potest tãgere absq; motu locali cũ sit necesse, q; vna alteri aproximetur, sic q; localiter mouẽtur; Secũda causa est, quòd licet sint multa, quæ incipiũt esse, & desinũt esse absq; generatione, & corruptione, hoc esse verũ dicã, quia talia nõ sũt apta generari, nèc corrũpi, vt pũctus nõ ẽ aptus generari, nèc corrũpi; At si sermo sit de his, quę sũt apta generari, & corrũpi, illa nõ possũt trãsire de nõ esse ad esse, nèc ecõtrà de esse ad nõ esse absq; generatione, & corruptione, q; nũc in ꝓpósito nostro ẽ, tũc enim loquimur de substãtijs quæ aptæ sũt generari, & corrumpi; Quo ad secũdũ in quo dicebatur illud mobile esse

esse factum per creationem & non per generationem; Dico pariter hoc non posse dici, stando in via naturali, cum creatio transcendat naturam, quocirca in via Arist. qui lumine naturali incedit, creatio est neganda, sed lumini super naturali inherentes sicuti de facto est inhærendum, creatio est admittenda, immò totis viribus est sustinenda, & dicat Arist. quicquid velit, semper dicam, quòd ipse est deceptus

Controuer. 2. super eisdē cōtex. 5. 6. & 7.

An motus semp supponet aliū motum.

ADhuc sibi Arist. videtur contradicere hic, & Quinto huius tex. 11. Hic dicit quòd omnis motus alium supponit motum, si sic, igitur videtur sequi, quòd motus terminetur ad motum, cuius oppositū Quinto huius tex. 11. docuit quòd motus non potest terminari ad motum, nec per se, nec per accidens, per se nō, vt ibi probat, nec per accidens, quia quod est per accidens, potest non esse, vt ibi docet, ac pariter Primo Post; Respondetur, quòd aliud est dicere, motum supponere alium motum, & aliud est dicere, motum prō termino habere alium motum, primum dictum est verum secundum est falsum, motus enim supponit necessario alium motū, sed licet motus aliū motū supponat, ille tamen secundus motus

non

non est terminus præcedentis motus, do exemplum, conburitur lignum, per illam conbustionem generatur ignis forma ignis est terminus perse illius generationis, quī ignis statim quōd est genitus, sursum fertur, motus ille sursum supponit alium motum. s. generationem ignis, eccè quód motū ignis sursum generatio ipsius præcedit, qui tamē motus ignis sursum non est terminus generationis illius, vel conbustionis, sed est forma ipsius, quæ terminat illius generationē, sicq; Arist. sententia Quinto huius est vera, dicentis motum non esse ad aliud motum, tamquàm ad terminum, At hic dicit, vnum motum supponere alium motum, quod colligit ex diffinitione motus, qui cū sit actus ipsius motoris, ac ipsius mobilis, sequitur motū supponere motorē, & mobile, ex quibus sequitur quōd motor & mobile, siuè sint æterna, siue corruptibilia, quód motus præcedat alium motum.

Controuer. 1. super tex. 8.

Quos diuidat motores Arist. in tex. 8.

ALia enim mouent singulariter, alia autē secūdū contrarios motus;) Super quibus verbis quā plurima se offerunt cōsideranda; Et primō, cum Arist. diuidat ipsos motores, est difficultas declarāda, quos motores diuidat Arist. nam quidam sunt interni

interni, sicut est anima, quidam verò sunt externi, vt patet, quos igitur diuidit motores? Non est dicendum sicut dicunt quidã recentiores, Arist. tantũ modo diuidere motores externos, Hoc inquã non est dicendum, quia si sic, ratio Arist. in textu esset manca, & diminuta, nec Arist. esset assequutus suum propositum, Intendit enim in hoc textu ostendere suam rationem adductam in tribus contex. præcedentibus esse veram de omni motore, at si tantummodo diuidat motores externos, patet quòd Arist. non erit assequutus suum intentum, cum aduersarij dicere possint motum recepisse principium à motore interno; Quocirca dicendum est, Arist. diuidere motores incommuni, adeò quòd omnis motor sub aliquo illorum membrorum continetur; Sed si diuidit motores in cõmuni, quomodo est verum aliquos motores mouere motibus oppositis? cum ab vno agente, seu mouente tantum vnus proueniat effectus; Dicendum est cum Arist. Nono Met. tex. 3. & 10. dicente, motores mouere motibus oppositis, non in eodem tempore, sed in diuersis temporibus, adeò quòd homo sua libertate in diuersis temporibus varias potest producere operationes; Et si quis obijciat, quòd

idem

Idem motor in eodem tempore potest mouere motibus oppositis, sicut patet de anima nutritiua, quæ auget ipsum corpus ad omnes positionis differentias, demandat enim alimentum sursum ad nutriendū partes capitis, & pariter deorsum ad nutritionem pedum; Erit dicendum, quòd quando Arist. loquitur de motibus oppositis, ipsū tunc considerare motum quo ad sui totum & non quo ad partes, quocirca oppositio etiam erit considerandā in toto motu, non autem quo ad partes, quia id quod est per partes, est per accidens, quod non considerat, sed tantum id quod est perse; Accipienda est igitur oppositio in toto motu, totus motus est auctio, cui opponitur diminutio, tunc patet quòd anima nutriens non mouet motibus oppositis eodem tempore, cum corpus non simul, & semel augeatur, & diminuatur, motus itaq; quo ad sui totum est accipiendus, non autem quo ad partes, quia si consideretur quo ad partes, stat quòd alimentum moueatur ad diuersas partes oppositis motibus, sed talis motus non causabit oppositionem, cum non sit respectu eiusdem partis, sicut patet.

Controuer.

Controuer. 2. super eodem tex. 8.

Quæ sint illa mouentia, quæ mouent contrarijs motibus.

ALia enim mouent singulariter, alia autẽ secundũ contrarios motus; (Quæret aliquis, quæ sint illa mouentia, quæ mouent contrarijs motibus; Dicendum est secundum Arist. Nono Met. tex. 3. & 10. quòd isti motores, qui mouent motibus cõtrarijs, sunt motores rationales, homo nãq; sui libertate potest mouere, immò mouet motibus contrarijs; Sed dicet ille, hoc nè dum esse verũ dè motoribus rationalibus, sed etiam hoc verificari dè motoribus irrationalibus, vt dè animalibus brutis, quæ mouere motibus contrarijs etiam patet, nã modò ad vnam partem tendunt, modò ad oppositam; Dicendum est, quòd huiusmodi mouentia sunt in tres gradus diuisa, nam quædam sunt similaria, vt sunt omnia elementa, quemadmodum etiam sunt lapides, & metala, quę vnico tantum motu mouentur, vt leuia sursum, grauia deorsum; Sunt quædam alia mouentia quæ sunt ratione prędita, sicuti est ipse homo, qui propriè, & verè loquendo mouet motibus contrarijs; Sunt quædam alia mouentia, quæ medio quodam se habent modo, in numero quorũ sunt animalia bruta, solus tamẽ homo propriè est ille, qui dicitur mouerè contrarijs motibus

motibus, & efficere contraria; Sed huius quæret quis causam; Causa cur solus homo moueat oppositis motibus, hęc est vna, quia homo in suo motu, in suaq; operatione semper debet considerare finem, ideò finē inspiciendo, cogitur homo mouere motibus contrarijs, etiam quòd eodem motu moueat, quod exemplo declaro, Medicus accedit ad laborantem febre, in ipsum curando, dū febricitans eget euacuatione, euacuat, dum eget repletione, replet, dū eget calefactione, vel refrigerio, ipsum quoq; calefacit, ac refrigerat, istæ operationes absolutè loquēdo, non sunt contrarię, eo quia omnes ad eumdem tendunt finē, contrarietas autem absolutè accepta attēditur penès fines oppositos, quia autem solus homo cognoscit fines oppositos, propter quos operatur, bruta nequaquā, sed naturæ instinctu agūt, ideò solus homo absolutè, & propriè loquendo mouet ad oppositа, eo quia solus ipse homo suas valet operationes dirigere ad fines oppositos, bruta autem minimè, cū puro naturæ instinctu agant; Alia adhuc istius est causa, quæ est, quòd homo discurit, & ratiotinatur fine suppositо, quod nō faciunt animalia bruta, ideó Arist. iure tribuit agenti per rationem, posse agere ad

oppositа

opposita; At si agens per rationem agit ad oppositа, quæ est causa, quòd agens per naturam vnum tantum agat, seu quòd vno tantum moueat motu; Dicendum est huius duplicem esse causam, quarum prima est desumpta ab Arist. Nono Met. tex. x. quæ initiatur in hoc fundamento, quòd agens operatur vt est, adeò quòd si agens est vnũ vno modo agit, & operatur, inde è, quòd ab vno inquantum vnum non prouenit nisi vnum, & si agens sit multiplex, tunc multipliciter, & variè potest agere, at quia natura est ipsum agens naturale, quæ natura iantum est vna, est enim ipsa forma, quæ nõ ratiocinatur, non discurit, & ideò cum natura sit tantum vna forma, solum vno modo operatur, & vnum tantummodò producit; At agens per rationem non est vnũ, sed est multiplex, licet videatur vnum esse est enim multiplex ratione suæ cognitionis, multa namq; cognoscit, & ideò Arist. Tertio de Ani tex. 8. dicebat, quòd homo sapiens factus est omnia, & ibidem tex. 39. dicit, quòd homo est quodammodo omnia cum per sensum sit omnia sensibila, per intellectum verò omnia intelligibilia, pariter cum agens per rationem operatur per cognitionem, quæ cognitio est multiplex,

Quæ sit causa ꝙ agens ꝓ naturam vno tantũ mouet motu.

quia

quia dirigitur ad diuersos, immò oppositos fines, sic quoq; agens per rationem erit multiplex, ideò ad vnum non determinabitur, sed ad plura, poterit q; mouere motibus oppositis; & hæc ratio tangitur quodam modo etiam ab Arist. in præsenti textu, dũ dicit, contrariorum vnam, & eamdem esse scientiam, quòd cũ ita sit, iure meritò agens per scientiam nõ erit vnum, sed multiplex, ideò multa, ac diuersa poterit operari; Secunda causa est hæc, quòd agens per naturam tantum agit vnum, quia omnia dirigit ad vnum finem naturalem, & agens per rationem agit ad opposita, quia ratio per quã agit potest tendere ad oppositos fines; At si agens per rationem valet opposita efficere, Quæret aliquis, an possit vtrunq; oppositorum per se efficere, an potius sit dicendum, quòd vnum per se efficiat, alterum verò per accidens; Auerroes hoc in loco dixit, agens per rationem vtrunq; essentialiter, & per se efficere; At Vicomercatus conatur ipsum reprehendere, dicitq; Agens per rationem vnum per se efficere, alterum verò per accidens, Et hanc suam probat opinionẽ ex Arist. Nono Met. tex. 3. dicente, quòd agens per rationem vnum agit per se, alterũ quodam modo per accidens; Insuper, quia

Opinio Auer.

Arist. in tex. dicit, (peccat voluntarius sciens,) & hoc declarans dicit, (quando econtrariò vtitur scientia;) at vti econtrariò scientia, dicit Vicomercatus, hoc est per accidens, cum illud dicatur perse ab aliquo agi, quando fit illud tale per rectum scientiæ vsum, & quòd hoc ita sit, patet considerando exemplum datum ab Arist. Nono Met. tex. 3. de ipso medico, qui agit sanitatem cõferentia per rectum Artis medicæ vsum, qui pariter interficit, cũ ipsa abutitur arte, qua abutendo, est per accidens, quia Medicus, vt medicus semper agit conducentia ad sanitatem; At Vicomercatus malè Auerroẽ redarguit, cum ita sit, quòd agens liberum vtrunq; oppositorum perse efficiat; Quod esse verum, probo primò hac ratione, illud agi perse ab agente dicitur, illud inquàm quod fit cum cognitione, vel appetitu, vel electione, at homo suo appetitu, suaq; electione, vel cognitione vtrumq; potest agere ergò vtrumq; perse poterit efficere; Confirmatur, si agens per rationem vnum perse agit, alterum per accidens, ergo agens per rationem non esset differens ab agente per naturam, cum pariter agens naturale vnum perse operetur, alterum per accidens; At Vicomercatus respondet, conatur q; saluare

Confutatur opinio Vicomer.

differentiam

differentiam inter agens naturale, & per rationem etiam, quòd agens per rationē vnū perse, aliud per accidens efficiat, sicut agēs naturale; Inter quos agentes differentia est hęc, dicit ipse, quòd licet agens per rationē vtrūq; agat modo dicto, agit tamen vtrūq; ad libitum suum, quod non fit ab agēte naturali, quod non agit vtrumq; modo prædicto, nec ad libitum; Quæ responsio est reijciēda, & primò, quia id quod fit ad placitum, fit sponte. & cum prævllectione; at id quod sponte fit, non fit per accidens, igitur cum agens per rationem vtrumq; ad libitū, seù sponte agat, vtrumq; igitur perse aget; Accedit, quòd falsum dicit, dum inquit, agens per rationem vtrumq; efficere ad libitum, cum Arist. hic in tex. precedenti docuerit, nullum dari agens quod agat, nisi sit certo quodam modo affectum, igitur agens per rationem dum erit certo modo dispositum, solum vnum aget, non autem vtrumq; ad eius libitum; Adde, & tertio, quòd ages per rationem vtrumq; oppositorum potest perse cognoscere, potest igitur de vtroq; opposito perse ratiocinari, igitur & vtrūq; oppositorū poterit perse producere. Quod confirmatur ex Auerroe Secūdo huius com. 28. dicente, voluntatem, & apetitum esse

Reijcitur solut. Vicomer.

virtutes passiuas, cum ab alio moueantur, virtutes autem passiuæ æqualiter se habent ad opposita, & ideo dicebat Arist. quòd materia prima æqualiter se habet ad formas oppositas, ad caliditatem, & frigiditatem, eo quia proprium ipsius materiæ primæ est pati, ergò non vnum perse, alterum per accidens respiciet; Vltimò, si agens per rationem vnum perse agit, alterum verò per accidens, igitur libertas humana periret. Soluendo itaq; dubitationem, Est notandum, quòd ea quæ efficiuntur ab agente per rationem, sunt in duplici differentia, vel enim talia sunt ordinata ad finem, vel sunt ipsi met fines, si erunt ordinata ad finem, procul dubio agens per rationem poterit vtrumq; perse agere, & hoc esse verum patet, quia Medicus pró introducenda sanitate aliquando calefacit, aliquando refrigerat, quæ ambo opposita perse cum intentione agit, Si verò erunt ipsimet fines, & quæratur, an agens per rationem perse possit ambo opposita efficere; Notandum est tunc quòd opposita ad duo possunt referri, vel ad habitum ipsius scientiæ, seù artis, vel possunt referri ad ipsam voluntatem, seù libertetem illius agentis, Si illa opposita referãtur ad habitum artis, tunc

agens

agens per rationem non potest perse opposita agere, ratio est, quia habitus artis, seù scientiæ ad vnum tantum dirigit, sicut Ars medica tantum ad sanitati conferentia dirigit, at si Medicus interficiat, hoc est per accidens; At si illa opposita ad artis habitum non refferantur, sed ad voluntatem, seù ad libertatem illius agentis per rationem; Notandum est, quòd hoc contingit dupliciter, vel primò quo ad principalem naturæ operationem, vel secundò hoc erit, quo ad illum hominem sic appetentem, & elligentem; Si primo modo, tunc vnum tantum agit, ratio est, quia libertas est nobis data tantum ad bonum, non autem ad malum, quòd si quis ad malum vertatur, tunc abutitur libertate; At si illa opposita refferantur ad hominem appetentem, vel sic elligentem, tunc agens per rationem est ad vtrumq; oppositorum indifferenter; Et si alicui videatur Aristo. dicere, agens per rationem vnum perse, alterum per accidens producere; Hoc admittatur considerando illa opposita, quatenus producuntur ab agente abutente ipsa arte, vel scientia, sicquè illud dictum sit verum quo ad artis, vel scientiæ abusum, Quæ demum si refferan-

tur ad hominem sic appetentem, vel elligentem, sic poterit vtrumq; efficere essentialiter, & per se, vt dicit Auerroes, sicq; seruatur differentia inter agens naturale, & per rationem.

Controuer. 3. super tex. 3.

An contrariorũ sit vna, & eadẽ scientia.

SCientia autem cõtrariorũ videtur vna) quod dictum non videtur esse verum, cum contraria cõtrariq; sint scientiæ, cum etiam quælibet scientia per obiectum à quolibet alia distinguatur; In primis noto Arist. dixisse, (Videtur) eo quia tale dictum protulit tamquàm notum & absq; demonstratione: Insuper, dixit (videtur) quia talis propositio aliquomodo est falsa; Est primò vera, considerando ipsa contraria, quatenus pertinent ad vnam, & eamdem facultatem, seu potentiam, & ideo Arist. Secundo de Anima dicebat, potentiam visiuã posse videre lucem, & tenebram; Quę adhuc verificatur, quatenus ipsa contraria sũt sub eodem genere contenta; Insuper & tertio adhuc talis propositio habet veritatem, considerando ipsa contraria, ratione qua pertinent ad vnam, & eamdem scientiam; Quarto adhuc contrariorũ est vna, & eadẽ

scientia

scientia ratione subiecti, quia contraria sũt apta fieri circà idem subiectum; Vltimò talis propositio veritatem retinet, ratione qua vnum contrarium cognoscitur per alterum, & hæc est potissima ratio propter quã contrariorũ est vna scientia, quæ ab Arist. Decimo Met. fuit explicata, per sonum enim cognoscitur silentium, per lucem ipsam tenebram cognoscimus, sicuti per vigiliam ipsũ somnum, hinc oritur illa regula vulgatissima, opposita iuxtà se posita magis elluescũt, ratio est, quia cognitio vnius pendet à cognitione alterius; Ex altera verò parte, contrariorum contrariæ sunt scientiæ, quod etiam est verissimum, considerando ipsas scientias ratione obiectorũ, & hoc est quod probat ratio adducta, cum quælibet scientia determinetur ab obiecto.

Controuer. 4. super text. 8.

An sciẽs sua volũtate possit peccare.

IN isto contextu, adhuc se offerunt illa verba consideranda, (peccat voluntarius sciens,) Quomodo sciens possit sua voluntate peccare: Cum huius oppositũ colligatur ab Arist. Tertio Ethic. cap. primo vbi dixit, (Ignorant homines improbi quid fugiendum, quidq; eligendum;) Si improbi homines hæc ignorant, quomodo hic dicit Arist. Peccat voluntarius sciens?

Est

Est sciendum quòd improbus est duplex, vnus qui actu est vitiosus, vt homo intemperans, intemperantia enim est vitium, Alius est improbus non absolutè, eo quia non habet habitum vitij actu, sed tantummodo potentia eum habet, qui talis non est vitiosus, sed dicitur potius incontinens, incontinentia autem non est vitium, sed est via ad vitium; Si sermo sit de improbo homine primo modo, de eo .s. qui est actu vitiosus, sic vera est Arist. sententia allegata ex Tertio Ethic; quia vt ipsemet Arist. docet in Sexto Ethic; ac in Septimo eiusdem; In viro vitioso est deprauata ratio, cum id quod est malum, iudicet bonum, sicq; improbus homo, qui actu .s. est vitiosus, ignorat quid eligendum, & quid euitandum; At si loquamur de improbo homine secundo modo, de eo .s. qui nõ habet habitũ vitij actu, sed est in potentia, qui talis dicitur incontinens, sicuti sunt multi iuuenes, qui habẽt rectam rationem operandi, & noscunt meliora, non tamen persistunt in sententia, illi sunt de quibus loquitur Arist. cum dicit, Peccat voluntarius sciens; Sed quomodo potest sciens peccare? Dicendum est cum Arist. Sept. Ethic. Cap. 3. quòd homo dupliciter potest dici sciens, primo modo habitu,

bitu, seu actu primo, & est quatenus habet habitum scientiæ, alio modo est sciens actu .s. secundo, & est ille, qui actu speculatur, Sciens actu primo, seu habitu, potest peccare, qui talis si reddatur sciens actu secundo ille talis nõ peccat, cum talis sciens sit ille, qui vtitur ipsa scientia, & sicut à luce non pendent tenebræ, sic nec à tali qui vtitur ipsa scientia peccatum non potest proficisci, multiq; sunt qui sciunt habitu, sed nõ actu, sunt ét multi qui malè vtũtur ipsa scientia.

Controu. j. super tex. 10.

An secũda Arist. ratio, quæ probat motum esse æternum sit recta.

ADhæc autem prius, & posterius quonã modo erunt, tempore non existente, aut tempus non existente motu?) Probat Arist. secunda ratione motum esse æternũ, & est ratio desumpta ex parte temporis, & sic argumentatur, Tempus est æternũ, ergo motus est æternus; Quæ consequentia non videtur valere, immõ Aristo. sic arguendo videtur immemor suorum præceptorum, quę docuit Primo huius tex. 2. vbi tradidit hãc regulã, Progrediẽdũ esse ex nobis notioribus ad notiora natura, hic modo ècõtrà facit, cũ à minus noto ad magis notũ procedat, seu p nobis ignotiora procedat ad notiora, quod

quod declaratur, motus enim est nobis notior quàm sit tempus, cum motus sit vnum ex sensibilibus communibus, cum etiam motus ab omnibus sensibus exterioribus percipiatur, præterquàm à gustu, & olfatu, tempus verò nullo sensu percipitur, sicut est declaratum suprà Quarto huius in fine solut. controu. 2. super tex. 87. progrædiens igitur Arist. à tempore ad motum progreditur per ignotiora, ad notiora, sicq; suã destruit regulam; Quòd adhuc ista consequentia non valeat, sic declaro; Anaxagoras posuit tempus esse æternum, non autem ipsum motum, Empedocles quoq; idem asseruit, ergò Arist. dum talẽ format consequentiã, videtur errare; Respondetur negando Arist. errare; Cum dicitur, quòd per ignotiora ducit nos ad notiora; Respondetur, quòd si tempus absolutè acceptum comparetur ad motum, profectò ita est, quòd tempus est ignotius ipso motu, sicut argumenta probant, at si tempus motui comparetur non absolutè, sed quò ad esse æternum, econtrà est, æternitas temporis est notior, quàm sit æternitas motus, cuius ratio est, quia temporis differentiæ manifestant eius æternitatẽ, quam temporis æternitatem etiam ipsum nunc declarat, at de motu non sic se habet,

idcircò

ideircò Arist. non est damnandus; Quo ad secundum, Dico quòd Anaxagoras, & Empedocles dum dixere tempus esse æternũ, rectè sunt loquuti, at errarunt, ac decepti sunt in cognitione temporis, ac dum dixere tempus esse æternum, motum verò nequaquàm.

Controuer. 2. super tex. x.

An prima ratio Arist. recte probet tempus esse æternũ.

TEmpus esse æternum, quod fuit antecedens assumptum in secunda ratione adducta in principio primæ controuer. super hoc textu probat Arist. argumẽto accepto à differentijs temporis, & sic arguit, Prius, & posterius quæ sunt differentiæ diuidentes tempus, sunt æternæ, ergo & tempus erit æternum; Quæ Arist. ratio leuis videtur esse, propter argumentum quo Ioannes Gra: arguit contrà Proclũ, & Arist. quod tale est, In placitis Dei consideratur prius, & posterius, non tamen tempus, ergo &c. Antecedens declarat Ioannes dicens, Deus cognoscit omnia, vt ordinata sunt, cognoscit enim priora, vt priora, ac posteriora quatenus posteriora sunt, cognoscit enim quòd animal est prius homine, & ecõ trà, quòd homo sit posterior animali, constat, etiam Deo, totum esse posterius partibus, præmissas esse priores conclusione, scit etiam

etiam Deus quód Saturnus lõgius tempus apponit in suo motu, quàm cæteri planetæ, sicq; in Dei placitis cadit prius & posterius, non tamen tempus, ergo prius, & posterius non erunt differentiæ temporis; Quod etiam confirmatur, quia sicut hoc aduerbium (extrà) non est semper loci differentia, nec semper locum indicat, eo quia aliquãdo accipitur negatiuè, sic quoq; in proposito, prius, & posterius non semper erunt temporis differentiæ, nec semper tempus indicabunt, eo quia negatiuè accipientur, & non positiuè; & propter hoc Moyses dixit, prius, & posterius non significare tempus propriè, sed potius significare tẽpus quodam imaginatum; Erit concedendum, prius & posterius non semper significare tempus sicut dicit Ioannes, quod præcipuè erit verum cum prius, & posterius significabunt ea, quæ suprà tempus sunt, seù ea, quæ tẽpori non subijciuntur; At si prius, & posterius significent ea, quæ tempori subijciuntur tunc necessè est, quòd tempus significent, & de his erit Arist. intelligendus in præsenti, sicq; eius sententia plenissimam habebit veritatẽ, quòd illud prius, & posterius quatenus tribuũtur rebus, quæ tẽpori subijciuntur, significare tẽpus, & tempus

verum

verũ, non autem imaginatum, & hoc etiam fortaſsè voluit Simpl. hic ſignificare, dum dixit, Deum prius concipere vnum, quàm aliud, nõ ratione ſui, ſed ratione obiectorũ.

Controuer. 3. ſuper eodem tex. 10.

AT vero dè ipſo quidem tempore, præter vnum, ſimul concordes videntur eſſe omnes, (Probat iterum illud antecedẽs acceptũ in ſecũda ratione adducta, ꝙ fuit, tẽpus eſſe æternũ, Et arguit ex omniũ veterũ cõſenſu, dicitq: omnes vno excepto .ſ. Platone, dicũt tẽpus eſſe æternũ, ergo &c. Cõtrà Ariſ. inſurgit multiplicitet Ioannes Gram. Et primo dicit Ariſt. errare, ſi credat aliquid ꝓbare ex multitudine illud ꝓferentiũ, cũ ex multitudine aliquid ꝓferentiũ nõ habeatur rei veritas; Amplius ſi ſic eſſet, multę Ariſt. opiniones eſſẽt falſæ, cũ illarũ oppoſitũ ſentiãt antiqui, immõ omnes ipſi Ariſt. cõtra dicãt, Accedit, ꝙ Ariſ. Primo Cœli tex. 102. dicit, (oẽs dixere mũdũ geniti, at ego dico ipsũ ingenitũ,) cõtrà inſurgit Ioan. Si omnes ſic dixere, ergò tu qui oppoſitũ aſſeris, dices falsũ; Addit Ioa. Vbiq: impugnat Ariſ. opiniones antiquorũ, quomodo ergo nũc eos accipit ꝓ ſui cõꝓbatione, Quinto, & vltimo dicit Ioan. ſic argumẽtatur Ariſ. oẽs vno excepto, dixere mũdũ ẽẽ ingenitum

An ratio deſumpta à cõmuni antiquorũ opinione, qua Ariſt. ꝓbat tẽpus eſſe æternũ, ſit valida.

nitum, ergò & tempus ; Contrà insurgit Ioannes, & dicit, Si Arist. enumerabit (exẽpli gratia decem) qui hoc dixerint, & ego dicit Ioannes enumerabo alios decẽ, & fide digniores, qui oppositum dixere, ergò, &c. Simplicius multum de Ioanne admiratur, quód adeò temerarius fuerit, contrà Arist. hæc proferre, multis q; calumnijs ipsum afficit, quas omitto, sed afferro quæ faciunt ad propositum ; Simplicius antequã his respondeat rationibus, vnum notat, quod non est omittendum, quod est tale, Quod Arist. adducens hanc secundam rationem ab opinione antiquorum desumptam, non adducit eam, vt demonstratiuam, sed vt confirmatiuam rationis primæ adductæ in tex. 5. 6. & 7. Et ita de facto est, quia non valet dicere, Omnes vno excepto dixere mũdum esse ingenitum, ergò & tempus, semper enim aduersarius negabit consequentiam, At contrà hoc Simpl. fundamentum insurget aliquis sic, Si ratio Arist. desumpta à communi veterũ Phylosoporũ cõsensu non est demonstratiua, sed probabilis, ad quid ergò illam Arist. adducit? sic enim facit nos transire à scientia ad opinionem; Dicendum est, quòd rationes topicæ pòst demonstratiuas adductæ, non generãt

opinionem

opinionem, sed scientiam veram, quia cõfirmant id, quod habitum est per rationes demonstratiuas, quæ si adducantur antè demonstratiuas, sic verũ est, illas tunc generare opinionem; Addas etiam, quòd Arist. consueuit eas aducare pòst demonstratiuas nedum ad confirmandum, sed etiam, quia si essent aliqui, qui rationes demonstratiuas percipere non possent, nec illis fidem præstare, saltem probabiles percipient, illis quæ fidem præstabunt, si demonstratiuis inquàm non poterunt assentire; Quo stante fundamento, soluit Simpl. dè facili omnes instantrias, Et primas tres diluit dicens, Arist. talem adduxisse rationem, non vt demonstratiuam, sed vt præcedentis cõfirmatiuam; Ad quartam respondet Simpl. dicitq; quòd si vbiq; impugnat antiquos, in omnibus tamen illis non contradicit, sed in multis; Rectius forsasse dicendus, si dixerimus Arist quandoq; magnificere antiquos, & hoc est quando ipsi cum ratione loquuntur, ac rationi consentiunt, àqua si recedant, tunc eos parui pendit; Si etiam aliquando dissentiat omnibus antiquis, rationi tamen non dissentit, sed illi adheret; Ipsis insuper dissentiens antiquis, tunc dat intelligere, quòd sua sententia non est penitus noua,

sed

sed quòd est opinionis deperditæ quædam innouatio, sicut colligitur ex Primo Cœli tex. allegato ac ex Primo Metaph. Quod ad quintam, Simpl. deridet Ioannem, dicitq; ipsum esse fatuum, cum nullum antiquorum nominauerit; Et si quis dicat Simpl. Attendas quòd Ioannes adducet authoritatem Legislatoris Iudeorum, qui dixit, (In principio Cœlum, & terrã Deus creauit,) & quæ sequuntur, quam authoritatem allegat Simpl. de verbo ad verbum; Si ergò Deus prima die creauit Cœlum, & terram, & distinxit lucem à tenebris, & lucem vocauit diẽ, tenebras verò noctem, eccè ergò quòd tempus cũ mundo erit factum, Respondet Simpl. hanc esse fabulosam traditionem, & è fabulis Ægiptiorum desumptam, Et conatur hanc suam erroneam responsionem comprobare, adnotando contradictionem in dictis Moysis, Si enim quarta die Deus creauit duo luminaria magna, s. solem, & lunam, quæ præessent ipsi diei, & nocti, quomodo dicit Moyses, Deum prima die separasse lucem à tenebris, & lucem vocasse diẽ tenebras noctem, si duo luminaria magna nundum erant creata? quæ quarta die demum erauit; Sed Simplicius sic respondẽs, mentitur in gutture suo, & eo magis mẽtitur

dum

dum dicit, hanc esse fabulosam traditionem, cum hæc sit traditio verissima, cumq; sit ab ipso Moysi in principio Geneſis desumpta, coacti summus dicere esse desumptã à fonte veritatis, quę ignota est ipsi Simplicio, ac cæteris ipsum falsè insequẽtibus: Quòdq; Simpl. adhuc magis mentiatur, ac deliret, dum dicit, hanc esse fabulosam traditionem à Moysi desumptam, magis declaro, Non enim est credẽdum, quòd Moyses, qui fuit hebreus hanc veritatem ab Ægyptijs desumpserit, cum ècontrà sit, quòd Ægyptij scientias ab Hebreis acceperint, Quod declaratur, si enim hystorijs adhibenda est fides, & præcipuè veris, sicut adhibere debemus, Ex hystorijs habetur, quòd scientia delata est ad Caldeos ab Hebreis, & primum per ipsum Ioseph, deindè per Iacob qui AEgyptum peragrauit, deindè ab AEgyptijs ad Græcos, postremò à Græcis ad nos delata est, Ideò hac in re Simplic. mentitur, ac decipitur, dum dicit Moysen illam traditionẽ ab AEgyptijs desumpsisse, cum ècontrà sit, AEgyptios ab Hebreis scientias accepisse; Sed adhuc Simpl. aberrat, dum dicit, AEgyptios dixisse mundum esse creatum, cum ipsi oppositum senserint, ipsi enim Thaletem Milesium inse-

quuti conſpicientesq; etiam aquæ excedẽ
tiam ex inundatione Nyli poſuere aquam
eſſe principium, dixereq; mundi partes eſſe
ex aqua genitas, minimè creatas; Adhuc
Simpl. quàm maximè decipitur, cum nõ in-
telligat quales fuerint dies Geneſis, credit
enim illos eſſe dies ſolis, quod eſt falſum,
cum ſint dies operum Dei, ſeu dies indicã.
tes ordinem in rebus à Deo creatis, & vt di-
xit D. Auguſtinus ibi ſuper Geneſis, sũt di-
es in cognitione angelica rerum creatarum
à Deo, ordinem naturalem habentium; In-
ſuper, errauit Simpl. dum credit dies conſti
tui à ſole, hoc namq; eſt falſum, quia dies na
turales, qui propriè ſunt dies, conſtituti ſint
à motu diurno primi mobilis, at dies qui à
ſole conficiuntur, ſunt dies artificiales, qui
bus ſol præeſt; quõ circà ipſe Simpl. volẽs
damnare Moyſen, verè indicat ſe damnatio
ne dignum, & mentitur, dicens Moyſen ſi-
bi contradicere, cum nullo modo ſibi con-
tradicat, ſed talis cõtradictio proueniat ex
ipſius Simpl. ignorantia, non intelligentis
dicta Moyſis, ſicuti iam eſt declaratũ; Ar-
gumento autem ſuo faciendo ſatis, Dico q
Deus ipſe omnia in vno, & eodem die, im-
mõ in vno, & eodem inſtanti creauit, ſi aũt
Moyſes dicat Mundum in ſpatio ſex dierũ
fuiſſe

fuisse creatum, sic sunt eius intelligēda verba, quōd .s. in illis singulis sex diebus vni cuiq; rei creatæ suam, ac propriam tribuit virtutem; In hac tamen re semper me subijcio determinationi Theologorum, cui stare in hoc, & in omnibus alijs intendo.

Controuer. super tex. 11.

An ipsū nunc sit medium inter tēpus præteritum, & futurum.

SI igitur impossibile est, & esse, & intelligere tempus sinè ipso nunc;) In isto contex. tertia ratione probat tps esse æternum, quod fuit antecedens acceptū in suprà dicta secunda ratione, qua probabat motum esse ęternū, quæ tertia ratio desumpta est ex parte ipsius nunc, cuius nunc naturam hanc esse, dicit Arist; vt medier inter tempus præteritum, & futurum, quo stante, argumentatur sic; Si tempus nō esset æternum, addas, à parte post, sequeretur dari nunc, quod solum esset finis, & non principium, pariter si tempus non esset æternū à parte antè, daretur nunc, quod solum esset principium, & nō finis, hæc autem sunt impossibilia, igitur est impossibile dicere, tempus non esse æternum, consequentiæ hę probantur, si enim tempus habet principiū, illud principium erit in aliquo nunc, igitur dabitur primum nunc, quod solum erit principium.

cipium, & non finis: pariter si tempus haberet finem, eius finis erit in aliquo nunc, igitur dabitur vltimum nunc, quod solum erit finis, & non principium, quæ oia sunt impossibilia, cum repugnent naturę ipsius nunc, de cuius essentia est, vt mediet inter tempus præteritum, & futurum; Contrà quã rationem insurgit Ioannes Gram. dicens, Arist. sic rationem formantem committere petitionem principij, seù assumere in principio id, quod ab ipso est probandum, accipit enim Arist. omne nunc esse mediũ inter tempus præteritum, & futurum, seù omne nunc esse principium, & finem, at quinegat tempus esse æternum, negabit etiam omne nunc mediare inter tempus præteritum, & futurum, & hoc ipse accipit, igitur accipit id, quod ab ipso est probandum; Quod etiam sic ostendit Ioannes Gram. Sit aliquis qui protrahat lineam in longam distantiã, adeò quòd eius extrema non videantur, dicatq; talem lineam esse infinitam, eo quia punctum quodlibet est medium inter duas partes illius lineæ, talis similiter petet id, quod ab ipso est probandum in principio, quia ille qui dicit lineam illam esse finitã, negabit punctum quodlibet mediare inter partes illius lineæ, quod accipitur ab aduersario

sario; Quibus argumẽtis respondet Simpl. dicens, Ioannem Gram. nimis temerariũ esse, cum audeat hæc contrà Aristo. proferre, qui Logicam ipsam adinuenit, & perfecit, demum audeat dicere Arist. in suis demonstrationibus committere petitionem principij; profectò nimis audax, & prosuntuosus est Ioannes proferrens hæc in Aristotelem; Addit Simpl. magis ostendens huius viri temeritatem, & audatiam, Quód tribus modis contingit petere id, quod est in principio probandum, iuxtà Aristo. sententiã Secundo Lib. Priorum, & Primo, cum accipitur idem prõ ostensione suimet, vt si qs probaret, omnia bona reddere hominem morigeratum, eo quia principatus facit homines bonos, & morigeratos, & sic de singulis bonis; qui sic argueret, peteret id quod in principio ab ipso est probandum; Secundo modo petitur principium, quando demonstratur antecedens per consequens, vt si qs ostenderet triangulum habere tres angulos, quia quadratum habet quatuor angulos, cũ econtrà sit procedendum, & demonstrandum sit, quadrangulum habere quatuor angulos, eo quia triangulus habet tres; Tertio modo committitur petitio principij, probando aliquid per terminos conuertibiles, vt si

quis probaret diametrum esse incommensurabilem lateri quadrati, eò quia latus quadrati est incommensurabilis ipsi diametro talis adhuc peteret; Discurrat Ioan. (dicit, Simpl.) & videbit rationē Arist. nullo istorum modorum petere quod est in principio probandum, cum non ostendat idem per idem, nec secundo modo, cum non demonstret antecedens per consequens, sed potius ècontrà, cum magis sit dicendum, æternitatem temporis consequi ad ipsum nunc esse medium inter præteritum, & futurum tempus; nec etiam tertio modo, cum non vtatur terminis conuertibilibus, ergó Ioannes valdè temerarius erit talia in Arist. proferrens; At dicet ille, immó Ioannes dicet, rationem Arist. tertio modo petere quod est in principio probandum, cum sit in terminis conuertibilibus, ipsum enim nunc, & tempus conuertuntur, si sic dicat Ioannes, insurgit contrà eum Simpl. & dicit quòd talis non est vera principij petitio, quia si sola terminorum conuertibilitas causaret petitionem principij, tunc sequeretur quód in omni demonstratione potissima committeretur principij petitio, cum diffinitio subiecti, vel passionis sit in ea medium, quod ostendit, si enim demonstrationis medium erit

diffinitio

diffinitio passionis, in maiori propositione assumetur quod in principio est probandū, si verò eiusdem medium erit diffinitio subiecti, in minori propositione adhuc erit petitio; Ideō dicit Simpl. quód ad petitionem principij causandam non requiritur sola terminorum conuertibilitas, sed aliud adhuc concurit, & est hoc, quòd vnus terminus non sit notiori altero, adeō quód si termini erūt conuertibiles, & æquè ignoti, vel æquè noti sint, in illis arguēs qs, accipit tunc quod ab ipso est in principio probandum, quod non contingit nunc in ratione Arist. licet enim termini fortassè sint cōuertibiles, vnus tamē est altero notior quod declaratur; quotiescunq; enim in formanda aliqua demonstratione, accipitur aliquid, quod sit de intrinseca ratione alicuius, tunc non dicimus petere quod est in principio, sed dicimur accipere id, quod est de intrinseca ratione rei, & id quod est notius, vt si ostenderemus hominem esse rationalem, cō quia est rationis particeps, non peteremus id quod est in principio probandum, quia sic arguendo, procederemus per id quod est notius, & per id quod est de intrinseca hominis natura; Similiter Arist. accipiens ipsum nunc esse medium inter præteritum,

& futurum, accipit id quod est de intrinseca illius natura, nunc enim significat tempus præsens de intrinseca autem natura præsentis, est, vt sit medium inter præteritum, & futurum, cum ipsum nunc significet ordinem inter prius, & posterius, & cum quis concipit aliquod nunc, cogitur etiam concipere aliquod prius, & posterius, & per consequens medium inter illa, quare Arist. hoc accipiens accipit id quod est notius, & accipit id quod est de intima ratione ipsius nunc; Nec aliud argumentum sumptum à puncto in linea valet, quia licet ipsum nũc cum puncto aliquam habeat conuenientiã, maximè tamen interse distinguuntur, cum puuctum sit terminus rei permanentis, nũc verò sit terminus rei fluentis; cum adhuc punctum non significet ordinem, qui ordo significatur ab ipso nunc; cum etiam punctum non significet aliquod prius, nèc medium aliquod, quæ ipsum nunc significat: Et hæc sint dicta, humanam sequendo rationem, quæ considerat ipsum nunc in respectu agentis naturalis iuxtà quam ratio Arist. est alicuius roboris; At sequendo fidem, quæ considerat ipsum nunc in respectu agentis super naturalis, ratio Arist. nullius est momenti, cum secundum eam detur

nunc

nunc quod ita fuit principium, quod nullomodo fuit finis cum etiam tale nunc sit in respectu agentis suprà naturalis.

Controu. super tex. 12.

An pòst desitionē motus, remaneat mouens, & mob.

VOlens Aris. probare motū esse æternū à parte pòst, idest motum carere fine accipit hoc suppositū, ꝙ pòst desitionē motus adhuc remanet mouēs, & mobile; Contrà quod suppositum insurgit Ioannes Gram; dicitq; mouens, & mobile simul desinere cum motu, quod sic ostendit, Multa sunt (dicit Ioannes) quæ tam diù conseruātur, quàm diù mouentur, immò quā primum desinunt moueri, statim corrumpūtur, ergo non erit verum, pòst desitionem motus remanere mouēs, & mobile; Antecedens ꝓbat, argumēto accepto à corde, ac ab eius arterijs, similiter argumento accepto à pulmone hęc enim talia cum desinunt à motu statim corrūpūtur, cor nāq; ac eius arteriæ, pariter & pulmo, cum vnuū quodq; horū cessat à moueri, statim vnum quodq; horū corrumpitur; Ignis etiam cum non amplius sursum fertur, corrumpitur, ergo non est verum, pòst desitionem motus, remanere mouens, & mobile; Simplicius huic argumento Ioannis respondet, negando consequentiam, quæ probabatur illis exemplis

acceptis

receptis à corde, & ab alijs, quæ cum cessant à motu, statim corrumpũtur, ergo &c. Notat Simpl. ignorantiam Ioannis sic arguentis, cum non intelligat Arist. credit enim Ioannes Arist. velle, põst desitionem motus remanere mouens, & mobile, quæ. s. moueantur eo motu, quo prius mouebãtur, quod non dicit Arist. benè remanet mouẽs & mobile põst desitionem motus, quæ. s. alio mouentur motu, quàm prius, vel eodẽ, quõd suppositum est vniuersale, & idcó si cessante motu cordis, cor corrumpatur, ob hoc tamen remanet mobile põst desitionẽ illius motus, quia remanet cadauer, quod alio motu mouebitur, quàm prius, sicque patet Ioannem non intellexisse Arist. suppositum.

Controu. super tex. 13.

An motus sit æternus.

SI igitur hæc impossibilia sunt, manifestũ est, quõd motus est perpetuus &c.) In quibus verbis colligit Arist. suam conclusionem demonstratam, nempè motũ esse æternum, non autem aliquandó fuisse aliquandõ non, cum sic dicere, sit figmento simile; Contrà quam conclusionem insurgit iterum Ioannes eam destruendo; sicut enim conatus est debilitare Arist. rationes, & eas destruere, pariter conatur destruere,

struere ipsam conclusiunem .s. æternitatem motus ; Et in primis tria facit supposita, quorum primum est , quòd si ad alicuius esse, multa concurrunt, illud sinè illis nunquàm poterit esse, vt si exempli gratia, ad esse nauis multa concurrunt ligna , nauis numquàm poterit esse, absquè illis, immó nèc aliquo illorum deficiente, nauis poterit fieri; Secundum suppositum est , quòd infinitum actu non potest pertransiri ; Tertium, & vltimum est hoc ; Quòd si ad generationem alicuius concurreret infinitum, numquàm illud fieret; Quibus suppositis stantibus , Ioannes probat motum non esse æternum , & sic primò argumentatur; Si motus esset æternus , tunc ad esse ipsius, infiniti concurrerent motus , at infinitum non datur, ergò &c. consequentia patet ex secundo , & tertio suppositio , igitur motus non erit æternus ; Secundo dicit , Si motus esset æternus, infinitum augebitur, seù dabitur infinities infinitū, quod probat, quia sunt infinitę ipsorum orbium reuolutiones, quorum vna est velocior alia, vt circulatio lunæ, est velocior circulatione solis, circulatio solis est velocior circulatione saturni, quare erunt circulationes solis trigeties plus, quàm circulationes saturni, & circula-

tiones

ciones lunæ erunt triga sies sexagesies plus, quàm solis, sicq; infinitũ augebitur; Tertio dicit Ioannes, si motus esset æternus, sequeretur contrà Arist. imperfectum esse prius natura perfecto, & potentiam esse priorem actu; deducit consequentiam, eo quia res adhoc quòd fierent, egerent infinito, sicq; infinitum esset prius finito, quod est falsum dicere, cum perfectum sit prius imperfecto; Sed omnibus his respondet Simpl. & admittendo suppositа, respondet ad primum, quòd infiniti motus concurrerent, si Ioannes intelligit actu, illud est falsum, si intelligat potentia, & secundum successionem, admittit argumentum, sunt enim infiniti motus secundum successionem, & in infinitum duraturi, s. successiuè; Ad secundũ, concedit Simpl. infinitum non augeri, hoc esse verum de infinito actu, at illud quod Ioannes infert, est infinitum potentia, ac successiuè; Ad vltimum, concedit Simpl. imperfectum esse prius perfecto, & potentiam esse priorem actu, si hæc considerentur prò vt sunt in aliquo, at simpliciter, & absolutè loquendo, perfectum est prius natura imperfecto pariter actus ipsa potentia; Et est solutio data ab Arist. Nono Metaph. [illegible] de actu, & potentia,

docens

docens què, quomodo actus sit prior potentia, & econtrà, quomodo potentia sit prior actu, consimiliter dicit.

Controuer. j. super tex. 15.

ASserit Arist. 3 (Naturam omnibus esse causam ordinis;) Consimilem sententiam pluribus in locis habet Arist. vt in secundo huius tex. 84. dum dixit; (Ea natura sunt, quæcunq; ab aliquo in seipsis principio continuè mota, perueniunt ad aliquem finem;) Sic loquendo, manifestat, quòd ordo est quid essentiale ipsi naturæ; In Tertio dè Cœlo, & Mundo tex. 24. dixit, (Quòd id quod est præter ordinem, est præter naturam, ordo enim est natura rerum;) Inquibus Arist. dictis videtur esse implicatio; Hic namquè dicit, Naturam esse causam ordinis; At Tertio Cœli loco citato dicit, quòd ordo est natura rerum, sed cum nihil possit esse sui met causa, quomodo potest dicere Arist. hic, quód natura sit causa ordinis, si natura est ipse met ordo? Pró solutione, est notandũ quòd secundum Auerroem Primo Cœli, & secundum Bœtium in Lib. de Consolatione duplicem esse naturam, vna est, quæ communiter dicitur natura naturans, quæ propriè est Deus, Alia est natura naturata, & est illa,

An natura sit ordinis causa, vel an sit ipse met ordo.

quæ

quæ conuenit rebus à primo principio productis. Si loquamur de prima natura.s. naturante, procul dubio est affirmandum, illã esse causam ordinis, Deus enim benedictus est causa ordinis cuiuslibet, eminentissimè què ordinem includit; Si verò sit sermo de natura naturata, tria possumus, dè ea affirmare; Primò quód natura est ordinata; Secundò quòd natura est ordo; Tertió quòd natura est causa ordinis; Primum dictum, quòd natura sit ordinata, habet veritatem considerando ipsam naturam in ordine ad primum principium, à quo pendet cœlum, & vniuersa natura, & ideò Arist. 12. Metaph. dixit naturã esse ordinatã, eò quia ordo præcipuè pendet à primo principio; Quæ natura si in se cõsideretur, sic dicitur ordo, est enim ordo quidam dependens à primo principio in materia receptus, & hinc ducunt orrum leges naturæ, vt enim habetur à Platone in Tertio de Republ. ac in Sept. eiusdem, lex est ordo; At si natura demum consideretur in ordine ad sua opera, sic est causa ordinis, cum opera naturæ sint ordinata, & hoc modo eam considerat hic Arist. dum dicit, ipsam esse ordinis causam, indè est quòd redarguit Anaxagoram, quia inordinatio illa ab ipso posita, non potest dici opus naturæ.

Con-

Controuer. 2. super eodem tex. 15.

INquit Arist. (infinitum autem ad infinitum nullam habet rationem,) Cuius dicti Auerroes Quarto huius com. 40. quasi afferens rationem, dixit hanc esse quia infinitum alteri infinito esse æquale, vel inæquale, non potest dici; Sed contra hanc sententiam est Arist. in Lib. Prædicament. cap. de Quantitate, vbi scriptum reliquit, Maximè proprium quantitatis esse, dici æquale, vel inæquale, at infinitum ad quantitatem pertinet, vnum ergò infinitum alteri infinito dicetur æquale, vel inæquale, Augetur difficultas, sic enim in his, quæ infinita sunt, nullus reperitur ordo, nullaq; est ratio, igitur inter tempus præteritum, & tempus futurum, seù inter reuolutiones Coli præteritas, & futuras non erit ordo, cum omnes, & præteritæ, & futuræ sint infinitæ, Insuper, nèc ipsius creaturæ ad creatorem erit ordo, cum Deus ipse sit infinitus; Quibus breuiter est respondendum, Et quò ad primum, est dicendum, quòd maximè proprium quantitatis est, vt res dicatur æqualis, vel inæqualis positiuè, vel negatiue, illa positiuè dicuntur æqualia, vel inæqualia, quæ habent suos terminos, at cum infinitū careat

An infiniti ad infinitū sit ratio, seù ordo.

careat terminis non poterit alteri infinito dici æquale, vel inæquale, poterit tamen dici æquale, vel inæquale alteri infinito negatiuè ideſt, vnum infinitum non eſt maius vel minus altero infinito, Vel erit dicendũ quòd quando Ariſt. dixit, Maximè proprium eſſe quantitatis dici æquale, vel inæquale, ipſum eſſe loquutum dè quantitatibus quæ propriè exiſtunt, & reperiuntur ſicuti ſunt quantitates finitæ, quæ actu exiſtunt, perhas enim res dicuntur æquales, vel inæquales, inſtantia autem data de infinito, non erit ad propoſitum, cum infinitum actu non exiſtat, ſed potentia; Quoad ſecundum, dicendum eſt, inter reuolutiones illas præteritas, & futuras, ordinem propriè non conſiderari, quia illæ omnes ſunt conſimiles, ea autem quæ conſimilia ſunt, non eſt abſurdum quòd poſſint eſſe infinita; Ariſt. verò in textu prò abſurdo habet, quòd ea quæ inter ſe diſſimilia ſunt, ſint ſinè ordine; Cum verò dicebatur, igitur creaturæ ad creatorem non erit ordo, nèc ratio; Hoc eſt verum, conſiderando Deum, ſeù ipſum creatorem, quatenus infinitus eſt, creaturam verò, quatenus ipſa finita eſt; At ſi creator conſideretur ſub ratione qua eſt participabilis, ſeù imitatibilis

per

per creaturam, sic potest seruari quidã ordo, seù ratio quædam; Si etiam creator, seù Deus consideretur sub ratione causæ, creatura verò vt eius effectus, sic etiam inter illa seruabitur ordo, seù ratio.

Controu. 3. Super eod. tex. 15.

HAec enim quæ supposita sunt, non sũt causæ, &c.) In quibus verbis videtur dicere Aristo. Causæ non esse causam; Quod dictum non caret difficultate, cum ipse Arist. in Secundo huius tex. 30. ac in Secundo Post. Cap. de Causis, dixerit, causas esse sibi adinuicem causas; In hac difficultate, An causæ possit assignari causa; Dicendum est, causæ esse causam, dupliciter contingere posse, vel in alio, & alio genere causę, vel in eodẽ genere causę; Primo modo est admittendum, causæ esse causam, scilicet in alio, & alio genere causæ, quia hæc est Arist. sententia in locis adductis, & sicut probant auctoritates adductæ; at si quæratur, An causæ sit causa in eodem genere causæ; Distinguendum est de causa, vel enim illa causa est prima, vel non est prima; Si est prima, illius nõ ẽ causa, vt materiæ primæ non est materia; Si verò non sit prima, sic causæ erit causa, materiæ enim secundæ est materia; Et

An ipsius finis sit causa.

hoc esse verum in omni genere causæ aliqui dicunt, præterquàm in genere causæ finalis, quam causam finalem dicunt carere causa, quorũ ratio est, quia finis est causa causarum; Qui sic dicentes nõ sunt audiendi, cum aduersentur Arist. in Secundo huius tex. 30. ac in Secundo Post. Cap. de Causis, quibus in locis scriptum reliquit, causas esse sibi adinuicem causas, licet in alio, & alio genere causæ, & dabat exemplum de ambulatione, & sanitate, quæ ambulatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, ècontrà verò sanitas est causa ambulationis .s. finalis, ex quo exemplo patet clarè, sanitatem quæ est finis, habere causam, quocircà dictum illud, causæ esse causam, dummodò non sit prima causa, in omnibus causarum generibus habebit veritatem; Ad instantiam adductam de causa finali, quæ cum sit causarum causa, igitur non habebit causam; Dicendũ est, quòd finis dupliciter cõsideratur, vno modo prò vt est in mente, alio modo prò vt est in re extrà, vt sanitas dupliciter consideratur, vel vt habet esse in mente laborantis, vel vt habet esse extrà mentẽ, & intentionem laborantis, sed vt est in corpore seù in homine sano; Si primo consideretur

modo

modo sanitas, sic caret causa, qnæ si accipiatar secundo modo, sic habebit causam.

Controu. 4. super eod. tex. 15.

ETenim triangulus habet duobus rectis semper angulos æquales, sed tamen est quædam perpetuitatis huius altera causa;) Super quibus verbis. difficultas est, An rei æternæ possit esse causa; Videbitur alicui pars negatiua vera, ductus ratione Democriti, quæ talis est; Illud ꝙ caret principio,& nihil ante se habet illud caret causa æternum caret principio, quia semper est, semper fuit,& semper erit, nihilq; antè se habet, igitur æternum carebit causa; maior propositio videtur vera, cum principium,& causa sint idem; Insuper,illud ꝙ non habet aliquid prius, caret causa,at æternum nō habet quid eo prius, ergò æternum non habebit causam; Quod etiam confirmatur sic; Necessarium caret causa, æternum est necessarium,ergo æternum caret causa;Mai: fuit Auerrois in Lib. Destructio Destructionum Disp. 3. contrà Algazelem in Sol. 14. dubij,vbi dixit, Necessarium nihil addere suprà rem existētē extrà animam,nisi carentiā causæ, ergò de ratione necessarij est, quod careat causa; Idem habetur ab eodē Auer. in eodē Lib.

An res æternæ habeant causam.

Disput. 8. in solut. 7. dubij; Sentētia igitur Democriti dicentis, æternum carere causa, erit vera; In oppositum est Aristot. hic, qui dicit, quædam æterna carere causa, quædam verò non; Quam eamdē sententiam habet Arist. Quinto Metaph. tex. 6. dum dixit, Quædam necessaria habere causam; Quod etiam confirmatur argumento sumpto à natura rerum, Multæ .n. sunt res æternæ, causas habentes, quemadmodum sunt omnium rerum proprietates, quarum demum sunt demōstrationes, ergo &c. Prò solut. huius difficultatis, est notandum duplex esse necessarium, aliud ex suppositione, aliud absolutè, Necessarium ex suppositione habet causam, quæ frequenter supponitur, supponitur .n. finis, ex cuius suppositione, aliud infertur; Necessarium absolutè est duplex, aliud complexum, aliud incomplexnm, Necessarium complexum habet causam, quæ sunt propositiones de omni, perse, ac secūdum quòd ipsum; Difficultas solum est de necessario incomplexo, quod cum sit æternum, & quæritur An habeat causā, distinguēdum est, eo quia hoc quæsitum duplicem potest habere sensum, primus sensus esse potest, An æternum habeat causam

An necessarium habeat causam.

sam absolutè, ideſt An habeat aliquā cauſam, quæcumq; ſit illa; Secundus ſenſus poteſt eſſe, An æternum habeat cauſam .ſ. efficientem, de quo ſecundo ſenſu quæſtio non eſt intelligēda, quoniam nihil ad propoſitum præſens facit; De illa tamen inter Græcos Expoſitores eſt maxima diſcordia; Ioannes Gram. ac Simpl. ex vna parte tenent, æterna poſſe habere cauſam efficientem; Quæ eorum determinatio non eſt aprobanda, quia ſecundum Ariſt. æternū ratione qua æternum eſt, non poteſt habere cauſam efficientem; Alia eſt ſententia Alexandri, quæ eſt verior, qui negat, æterna, vt æterna habere cauſam efficientem; Sed hoc nunc eſt omittendum, & ad propoſitum accedentes, cum quæritur, An æternum habeat cauſam; Dicendum eſt, quod æternum eſt duplex, vnum eſt ex ſe æternum, aliud eſt æternum ab alio, æternum ex ſe caret cauſa, quod æternum exſe verè eſt neceſſarium, & eſt illud, de quo Auerroes loquebatur in præcitatis locis, dum dixit, Neceſſarium ſupra rem exiſtētem extrà animam nihil addere, niſi carētiam cauſæ; At ſi ſermo ſit de neceſſario, ſeù de æterno ab alio, illud habet cauſam, & hoc eſt illud æternum de quo lo-

quitur Arist. dum dicit, dari necessarium, .s. ab alio, quod habet causam; Et hæc distinctio de duplici necessario, seù æterno colligitur ab Arist. Quinto Metaph. Tex. 6. ac ab Auerroe in expositione illius textus; Ex qua soluuntur instantiæ adductæ; Erat prima, quod caret principio &c. Notandum est, ꝙ hæc propositio nõ est absolute vera, sed partim ẽ vera, partim est falsa, habet enim propositio constat ex terminis æquiuocis, & ex vocibus, quæ in vna significatione reddunt eam veram, in alia verò significatione eam reddunt falsam, ꝙ declaro; Principiũ namq; dicitur de principio temporis, & de principio magnitudinis, illud quod caret principio temporis, stat quòd habeat causam; Principium alio modo dicitur, de eo .s. à quo res pendet, sicq; illud, quod tali caret principio, caret etiam causa, in quo sensu, propositio est vera; Cum secundo dicitur, Id quod nõ habet prius, caret causa; Notandum est, ꝙ prius est duplex, aliud est prius tempore, de quo priori propositio est falsa, quia dantur causæ quæ simul tempore sunt cùm suis effectibus, vt animal rationale quod est causa risibilitatis, hæc duo sunt simul tempore; Aliud est prius origine de quo priori propositio

positio est vera, quod enim caret priori .s. origine, caret etiam causa; Cum tertio dicebatur Aeternum est necessarium; Dico quòd æternum ex se caret causa, at æternũ ab alio illud habet causam; Consimiliter ad authoritates Auerrois est respondendũ, quòd illæ sunt verę de necessario absolutè, seù de eo quod ex se est necessarium.

Controu. 1. super tex. 16.

COntraria autem his, non est difficile soluere;) Implicatio videtur esse in his verbis; Cum enim de vno loquatur tantũ & sit loquutus de æternitate nempè motus, quomodo in plurali dicit,(Contraria his;) Aliqui dixere Aristot. loqui in plurali, quia & si vna tantum sit conclusio demonstrata, illa tamen habet duas partes, quarum prima est, An motus habuerit principium; Secunda est, An motus sit finẽ habiturus; Quam responsionem minimè iudico esse probandam rarione ista, quia & si duas habeat partes illa cõclusio de æternitate motus demonstrata, illas tamen duas partes prò vna, & eadẽ cõclusione protulit Arist; idcircò in plurali non poterit loqui; Quare crediderim esse dicendum, ipsum sic in plurali esse loquutum, quia

An rectè loquatur in plurali, cũ tantũ vnũ sit ꝙ ab ipso est declaratum.

licet vna sit conclusio, duo tamen in ea reperiuntur, primò reperitur id, quod demonstratur, .s. æternitas motus; Secundò reperiuntur ea, per quæ demonstratur cõclusio, & quia dubitationes sunt de conclusione, & de principijs, per quæ demonstratur conclusio, quæ duo prò vno, & eodem minimè possunt accipi, ideo ob hoc in plurali, & rectè, est loquutus; Et indè est quòd afferet tres dubitationes cõtrà æternitatem motus ab ipso demonstratam, quarum prima erit circà conclusionem; dubitando verò de principijs per quæ demonstratur conclusio, afferet secundam, & tertiam, quæ procedunt contrà illud principium ab ipso acceptum, nempè quòd si motus non esset æternus, ante motũ præfuisset motus.

Controu. 2. super eod. tex. 16.

Anomais motus sit inter cõtraria.

QVare necesse est omnis mutationis terminum esse contraria, in quibus sit.) Difficultas est in ijs verbis, quo modo omnis motus sit inter contraria, sicut ipse Arist. dicit in textu; Cum motus Cœli minimè sit inter cõtraria, sed ab eodem in idem; Insuper, quomodo dicit Aristot. quòd omnis mutatio sit inter contraria terminata, cum generatio, & corruptio ver-

versentur inter esse,& non esse, quod esse, & non esse distant per infinitam distantiã, indè est,quòd facere aliquid ex nihilo præsupponit virtutem infinitam, cum à nõ esse ad esse sit infinita distantia; Quò ad primum,Dicendum est cum Arist. Primo Cœli tex.87. motum Cœli dupliciter considerari posse,vel rõne totius, sicq; est ab eodẽ in idem, vel ratione partiũ, quo modo est inter contraria,seù oppositа,est enim rõne partium ab oppositо ad oppositum; Quò ad secundum; Negandum est generationem,& corruptionem absolutè versari inter esse, & non esse, benè verum est, quòd versantur inter esse actu, & non esse actu, generatio enim prò terminis exposcit priuationem,& formam, & priuatio postulat subiectum,quod est in potentia,forma verò est actus, esse autem actu,& non esse actu minimè distant per infinitam distantiam.

Controu. super tex. 20.

HAbet hæc Arist. verba in textu; (Cõspicimus enim semper aliquid eorũ quæ congenita sunt, moueri in animali;)In quibus verbis vult Arist. motum progressionis in animali semp præsupponere alium motum; Contrà q̃ dictũ instat

An motus progressiuus animaliũ præsupponat alium motum.

Simpl.

Simpl. multipliciter,& primò, quia homo mouetur ad honores, & ad disciplinas quę motũ nullus alius præcesit, quia nulla alteratio,ergo; Secundo dicit Simplic; dato etiam quòd sit verum, quòd omnis motus particularis præcedatur ab alio,ob hoc Aristot. non habebit suum intentum .s. dari motum vnum numero perpetuum,ac æternum; Addit tertio,Cur Aristo. non quærit de æternitate quietis, sicut quærit de æternitate motus, cum & ipsa quies sit naturæ propria operatio; Quo ad primum, inquit Simplic; illum motum adhuc alium præcedere, eo quia adsunt obiecta quæ mouent gratia amati, & desiderati, si enim homo mouetur ad honores,est gratia gloriæ,& sic de alijs; Sed dicet ille, quomodo ergo dictum Arist. verificabitur dicentis, animal moueri localiter ex se ipso, si hunc motum semper alius præcesit? Dicendum erit, animal moueri ex se ipso, tamquàm à mouente proximo,& cùm hoc stat, quòd alius motus hunc præcedat; Vel erit dicendum, & forsitan magis tutè,quòd animal mouetur localiter ab extrinseco,sed quia hoc extrinsecum,non est ita notum in motu locali, sicut in alijs motibus, ideo ob hoc dictũ est ab Arist. animal moueri ex seipso, seù

ab intrinseco si enim animal alteratur, extrinsecum alterans patet, cõsimiliter si augeatur; Quo ad secundum, dicit Simplic. argumentum cõcludere veritatem ob hoc tamen non est damnandus Arist. quia ipse non intendit nunc probare illud, .s. dari vnum motum numero perpetuum, sed inferius hoc probabit; Ad tertium, dicit Simplic. quòd nõ quæsiuit de quiete, quia nulla quies est æterna, cum quies sit priuatio, & nulla priuatio est æterna; Si autem quis dicat, Cœlum semper quiescit, cum Cœlũ semper sit in eodẽm locò, ergo dabitur aliqua qæies æterna; Respondet Simpl. quòd illa quies cœli est positiua, & non priuatiua; At facilius possumus respõdere difficultati principaliter propositæ de ipsa quiete, & dicere, quòd non quęsiuit de quiete, licet ipsa quies sit operatio naturæ propria, quia hoc quærere non conferebat suo proposito, suum propositum est nos elleuare in cognitionem primi, & æterni motoris, quod præstare non potest quies commodè, sed motus benè hoc præstat.

Controu. 2. super tex. 20.

An intellectus, & voluntas moueantur à contineti.

HAbet Arist. adhuc hæc verba; (Nihil igitur prohibet, magis autem fortasis necessariũ est in corpore multos fieri

fieri motus à continente, horum autē quibusdam intellectum, aut appetitū mouere; In quibus verbis, difficultas satis curiosa est, An intellectus, & appetitus, seù volūtas in suis actionibus moueantur à continēti; Ex verbis Arist. pars affirmatiua colligitur, vt patet, dicit enim, (Nihil igitur prohibet, magis autem fortasis necessarium est in corpore animalis multos fieri motus &c.) Quæ eadem sententia potest confirmari multipliciter, & primò ex authoritate Arist. Primo Metheo. ad principium dicētis, Quòd omnis virtus inferior est cōtigua superiori lationi, vt indè omnis eius virtus gubernetur; Secundò, quia Astrologi ex constellatione nati, prædicunt verè de eius fine, signum igitur est, hæc depēdere à virtute illorum corporum; Insuper Deus est omnium causa, licet non immediata, erit igitur etiam causa actuum nostrorum, mediante motu cœli, ergo &c. Insuper, quod est primum in aliquo genere, est causa omnium illius generis, ex Arist. secundo Metaph. tex. 4. sed motus cœli est primus in genere motuum, ergò erit etiam causa omnium motuum, sicquè erit causa motuum, qui sunt in intellectu, quare &c. Ex altera tamen parte totum oppositum est affir-

affirmandnm ; Et primo, quia si sic, voluntas nostra in suis actionibus non esset libera, cuius oppositum asserere, est falsũ, quia intellectus, & voluntas in suis actibus sunt liberi, nec pendent ab aliqua causa extrinseca naturali, & in hoc difert appetitus hominis ab appetitu brutorum, quia appetitus hominis non cogitur ab aliquo extrinseco, sed benè appetitus brutorum cogitur, & ducitur moueri à continente motu progressiuo ; Insuper, & secundo, si sic esset, perirent leges, boniq; non essent præmiandi, nec mali essent puniendi, si inquàm eorum operationes, & actus non penderẽt à sua voluntate ; Insuper, sequeretur opinio Stoicorum, dicentium omnia ex necessitate euenire, quæ opinio fuit ab Arist. reprobata Secũdo Perhyer. Quocircà sequitur esse secundum Arist. dicendum, quòd voluntas, & intellectus sint liberi ; Sed q alios vexauit est hoc, quod secundũ Aristo. causa prima operatur ex necessitate, addunt, causam secundam agere eo modo, quo mouetur à prima, igitur necessario aget ; quod est falsum, quia causæ secundæ habent contrarium à quo possunt impediri ; Difficultas hæc aliam exposcit difficultatem, quam examinare non intendo, sed

quæ

quæ dico, incidèter dico; Hæc quæstio quærit, An Intellectus noster sit liber, non dico (voluntas) quod forsitan esset idem, quia secundum Arist. libertas primò fundatur in intellectu, secundariò in voluntate, indè est illa propositio vulgaris, (omnis ignorãs est malus,) idest omnis cui intellectus malè dictat, est malus; si enim intellectus malè dictat, & voluntas malè elligit, sicq; omnis error, ac omnis malitia secũdum Arist. primariò est ex parte intellectus, qui cum sit virtus discursiua, in eius potestate est inuenire propositiones probabiles prò vtraq; parte, & secundum quòd intellectus vni assentit parti, sic voluntas illam elligit, sicq; malitia, & error secũdariò est ex parte voluntatis; Sed ad propositum reddeuntes, Dico ꝙ hæc quæstio quærit, An intellectus sit in suis operationibus liber; Propter argumẽta antè oppositum, dicendũ est ꝙ nõ, at propter argumenta post oppositum adducta, dicendũ est ꝙ sic, Quid ergò sit respondendum, est determinandũ; Breuiter dico, ꝙ secundũ Arist. intellectus noster in suis actibus est liber, & ꝙ libertas secundũ Arist. primò fundatur in intellectu; Stat etiam pars negatiua, ꝙ intellectus non sit liber; Sed qũo hæc duo dicta habeant veri-

tatem

tatem, ac vt argumenta etiam de facili soluantur, est notandum, ꝙ operationes intellectus sunt tres, quarū prima est simpliciū appræhensio, secuuda est compositio, & diuisio, mediante enim ista secunda operōne intellectus componēdo simplicia, format propositiones affirmatiuas, eadem diuidēdo, format negatiuas; Tertia eiusdem intellectus operatio est discursus, formatis nāq; propositionibus affirmatiuis, & negatiuis, ab illis discurrit ad conclusiones; Tunc dico, ꝙ intellectus quo ad primā operōnem non est liber, quia appræhēsio illa fit cursu nāli, & ab extrinseco pendet, & in ista conclusione Theologi concordant, qui dicunt, primos motus non esse in nostra potestate, si .n. mihi, vel alteri cuilibet præsentetur aliquod pulcrum, non possum, nec possumus facere, quòd nobis non placeat; At quo adsecundam, & tertiam operōnem, intellectus est liber, quia ego, & quilibet nostrum est in libera potestate, vt possit euitare, quin illud pulcrum insequatur, sicut .n. intellectus est in sui potestate adinueniendum ꝓpositiones probabiles prò vtraq; parte, ita est in sui potestate ad assentiendum, vel dissentien dum illis, sicq; deindè sequitur ellectio ex parte voluntatis,

quæ

quæ dicitur bona, vel mala, ptò vt bonum, vel malum ipsa elligit; Quibus sic stantibus, facilè est obiectis respondere: Et quo ad primum est admittendum, multos fieri motus in corpore animalis à continente, qui mouent intellectum, cum infertur, ergò intellectus, seù voluntas in suis actibus non erit liber: Dicendum est, hoc esse verum, quo ad primam operationem, quia intellectus, seù voluntas quo ad actū primum subijciuntur illis motibus, cum simplicium apprehensio causetur cursu naturali, ab extrinsecoq; pendeat; At quo ad secundam operationem, & tertiam, pars negatiua est sustinenda, quia intellectus, seù voluntas nostra quo ad has operationes illis non subijciuntur motibus, intellectus enim noster, seù voluntas potest appetere aliquod malum, at mediante secunda, ac tertia operatione potest, & possumus illud euitare; Quo ad secundum, illa authoritas est intelligēda de operationibus materialibus, sicq; omnis latio inferior, addas, materialis, est contigua superiori, &c.) at intellectus est virtus immaterialis; Ad tertium; Dicendum est illud esse per accidēs quatenus scilicet secunda, & tertia operatio dependent à prima .s. ex simplicium ap-

apprehensione, ideò non est mirũ si Astrologi prædicunt de fine nati, ex eiusdem cõstellatione, quare cum hoc sit per accidens, nullo modo erit de necessitate; Et in hoc etiam Theologi consentiunt, admittentes constellationes inclinare nos, ad aliquod malũ, nõ tamen cogere nos, ad illud perpetrãdũ, sicq; tãtũmodo tollitur libertas ab intellectu nostro, quo ad sui primã operationem; Ad quartum, Concedendum est Deum esse omnium causã, non tamen immediatã, quia concurrunt causæ secundæ, quæ tamen possunt impediri, eo quia habẽt contrarium; Quo ad vltimum; Admittendum est, illud quod est primum in vnoqnoq; genere, esse causam omnium in illo genere, Est etiam admittendum, quòd motus Cœli sit omnium motuum primus, & per consequens quòd sit omnium motuũ causa; & etiam eorũ qui sunt in intellectu nostro, sed eorum erit causa indirecta, eo quia motus cœli, & motus qui fiunt in intellectu non sunt verè eiusdem generis, cum motus cœli sit realis, illi verò qui fiunt in intellectu nostro sint spirituales.

An dimittere sensum, & quærere rõnem sit debilitas intellectus.

Controu. 1. super tex. 22.

IN isto textu confutat opinionem illorũ, qui dicunt omnia quiescere, & vtitur

quatuor rationibus, quarum prima hæc est, Qui dimittunt sensum, & quærunt rationē, hi indicant imbecillitatem intellectus, ideò dicit in textu, (Dicere igitur omnia quiescere, & huius rationem quæ, ere, dimittentes sensum, infirmitas quædam est intellectus.) in quibus verbis ponit minorem propositionē, ex quibus colligitur maior propositio dicta; Quæ alicui videbitur falsa, eo quia maior videtur infirmitas intellectus illorum, qui adherent sensui, & rationē dimittunt, quod declaratur, & primo, quia nullus erit adeò fatuus, quòd dicat solem esse maiorem tota terra, cum hoc sensu nō appareat, ratio verò hoc demonstret, ergo magis rationi erit adherendum, quàm sensui; Quod confirmatur, sensus generat opinionem, ratio verò scientiam, & fidem, ergo magis rationi, quàm sensui erit adherēdum; Quod etiam adhuc confirmatur, cū quilibet sensus exterior decipiatur circà proprium sensibile, vt patet discurrendo per omnes, ergo tantò magis decipientur circà sensibilia communia, in quorum numero est motus, ergò magis erit adherendum rationi, quàm sensui; Quod adhuc cōfirmatur, Visus enim multa iudicat moueri, quæ tamen non mouentur, vt in naui existens,

An magis sit adherendū sensui, q̄ rationi.

existens, visus indicat arbores quæ sũt iuxtà rippam litoris moueri, quæ tamen non mouentur, vt patet, ergò &c. Vt dè facili hæc tollantur difficultates, sunt hæc adnotanda, & primò, quòd quando Arist. dicit, quòd qui dimittit sensum, & quærit rationem, indicat infirmitatem intellectus, quòd ob hoc non est credendum, nèc inferendũ, Arist. velle, semper sensui esse magis adherendem, quàm rationi, sed sermo suus est intelligendus in his, in quibus sensus magis prævalet, illi semper est magis adherendũ, quàm rationi, sed addas, quòd non loquitur de qualibet ratione, sed tantum de demonstratiua, cui semper est magis subscribendum; Notandum secundò est, quòd licet sensus exteriores decipiantur circà propria sensibilia, seruatis tamen tribus cõditionibus à Themistio adductis ibi in Secũdo de Ani: vbi habetur illa propositio, sẽsus exteriores numquàm circà illa decipientur; Conditiones tres sunt hæ, prima ꝙ sensibile sit in debita distantia; Secunda, ꝙ organum sensus sit rectè dispositum; Tertia est, quòd medium per quod fit sensatio pariter sit rectè dispositum, his tribus seruatis conditionibus, sensus exteriores nũquàm decipientur circà propria sensibilia;

Sed dicet ille, hoc est quod quæritur, quo ego sciam adesse tres dictas conditiones, debita distantia sensibilis, debita organi dispositio, ac medij; Dicendum est, quòd cũ videbimus sensum rectè suas obire operationes, tunc erit iudicandum, sensum esse naturaliter dispositum, & adesse tres dictas conditiones, quod si secus erit, tunc dicẽdum erit, quòd illud meritò cuius sensus decipitur, illud tale deficere, sensumq; esse malè dispositum, ob illius conditionis defectum; Et tunc facilè est argumentis respõdere; Et quo ad primum, patet solutio, cũ sensus aliter iudicans de sole, non sit rectè dispositus, sitq; valdè distans ab occulo, cum visio fiat per modum pyramidis, solẽ tunc videmus per minorem angulum, cum etiam ratio dictans solem esse terra maiorem, sit demonstratiua; Ad confirmationẽ, iam dictum est, quòd si ratio sit demõstratiua, quòd illi est magis adherendum, at si ratio fuerit probabilis, sensus verò maximè in illa re prænaleat, tunc sensus est magis insequendus; Consimiliter ad alias duas confirmationes solutio est manifesta, si enim sensus decipitur circa proprium sensibile, si sensus iudicat arbores, quæ sunt in litore fluminis moueri, iam est dictum, q

sensus

sensus non est insequendus, nisi seruatis illis tribus conditionibns.

Controu. 2. super eod. tex. 22.

An motũ negantes tollant oẽ ens.

INquit Arist. (Et de toto aliquo, sed nõ de parte est ambiguitas;) Secunda ratione confutat eamdem opinionem dicentium, omnia quiescere, quæ in hunc potest formari modum; Qui negant motum, & dicunt omnia quiescere, non solum destruunt partẽ entis, sed totum ens, ergò talis opinio est reijcienda; Antecedens illius videtur falsum, quia negãs motum nõ tollit omne ens, cum concedat ens immobile dari, quod quiescit; Dicendum est altero duorum modorum; Primò quòd negantes motum destruunt totum ens, .s. sensibile, minimè totum ens simpliciter, & absolutè; Vel secundo dicendum est cũ Simplic. eos destruere totum ens, quia destruunt ipsam naturam, quæ est principium totius entis naturalis, sicq; destruunt totum ens .s. naturale, cum destruant naturam, destruendo esse ipsius naturæ.

Controu. 3. super eod. tex. 22.

An Arist. posit disputare cõtra negãtes motũ.

VErba Arist. sunt hæc, (Amplius autem de principijs instantiæ, &c.) In quibus verbis adducit quartam, & vltimam rationem, qua reijcit prædictam

opinionem dicentiũ omnia quieſcere; quæ ſic cõmuniter ab omnibus ferè formatur; Contrà negantes principia non eſt diſputandum, ſed qui negant motum, & dicunt omnia quieſcere, negant principia ſcientiæ naturalis, ergò, &c. Quæ ratio ſi vera eſt, quomodo ergò in preſenti contrà eos diſputat Ariſt? ſibi igitur erit contrarius, cũ non ſeruet ſuum præceptum; Inſuper, ſi naturalis Philoſophus non debet diſputare contrà negantes ſua principia, ſaltem tenetur reſpondere rationibus illorum qui negarunt motum, quare igitur illis nõ reſpõdet? Primæ difficultati poſſumus duobus modis reſpondere, primo quòd diſputat cõtrà hos, non vt naturalis philoſophus, ſed inductus habitu primi Philoſophi, ipſius nempè Metaphyſici, ſicq; vt Metaphyſicus, vel ſaltem vt Dialecticus contrà hos diſputat; Vel eſt dicendum ipſum Ariſt. non diſputare contrà eos, ad hoc vt oſtendat motum eſſe, ſed vt declaret per illas rationes opinionem illam eſſe negligendam; ſicq; ſeruat id, quod docuit Primo Ethic. Cap. 6. Principia à priori in ſcientia nõ eſſe demõſtranda, ſed eſſe colligenda per ſenſum, vel per inductionem, vel per experientiam, vel per conſuetudinem; Ad vltimum eſt dicẽdum,

dū, q̄ potest eorum rationes soluere, at earum solutiones dimittit gratia brevitatis, & tamquàm notas; Et si quis dicat, Si potest soluere rationes negantium principia, ergo etiam poterit eadem probare principia, quia cuius est soluere, eius etiam munus est probare; Hoc erit negandū, Theologus enim tenetur respondere rationibus negantium articulos fidei; quos minimè potest probare.

Controue. 1. super tex. 23.

SEquitur Arist. (Verè autem, & omnia dicere moueri falsum quidem est, minus autem præter methodum;) In quibus verbis dicit Arist. quòd dicere omnia moueri, ita falsum est, sicut dicere oīa quiescere, licet sit minus contrà methodū, hoc est, minus aduersantur physosophiæ naturali, quoniam motus est magis physicus, q̄ quies; Quod dictum rationi videtur aduersari, quoniam ille, qui destruit finem, magis destruit naturalem sciētiam, quàm ille, qui destruit ordinatam in finem, at quies est finis motus, cum motus ordinetur in quietē, tamquàm in finem, quocircà est nobilior motu, ergo qui destruit quietem magis aduersabitur naturali scientiæ, quàm qui destruit motum, cuius oppositum affirmat

An negātes motū magis aduersētur scientiæ nāli quā negantes quietē.

Arist. & illius assignat rationem, dicens, quoniam motus est magis Physicus; Quod dictum quatuor de causis profectò est verum; Prima est, quia motus est habitus, quies verò est priuatio; Secunda est, quia qui destruit motum, destruit etiam quietẽ, at non ècontrà, cuius dicti ratio est, quoniã ex Arist. sententia Quinto huius, illa dicũtut quìescere, quæ sunt apta moueri, idcircò si non esset motus, nèc etiam esset quies, & hanc causam dedit hic Simpl; Tertia habetur hic ab Auerroe, qui asserit, motũ ipsa quiete esse notiorem, cum quies per motum cognoscatur, quod cum ita sit, motus in scientia naturali habebit rationem principij, sicq; motus erit magis ipsa quiete Physicus; Quartam ego addo, quæ est, q motus est magis Physicus, quàm quies, eo quia in hoc vniuerso reperiuntur aliqua, quæ semper mouentur, sicuti sunt corpora cœlestia, quę sunt corpora naturalia, at entia quę semper quiescant, minimè reperiũtur; Sed rationi est respondendum, qua dictum Arist. reijciebatur; Cui primo respõdetur, negando quietem (absolutè loquendo) esse finem motus, cũ motus principalis non ordinetur in quietem, motus enim cœli est ad hunc finem, vt cœlum semper

moueatur, & non vt quiescat; Insuper, dico, quòd aliud est considerare motum, & quietem, quo ad intentionem naturæ, aliud verò est illa duo considerare quo ad ostensionem, ac manifestationem ipsius naturæ; si illa duo primo considerabuntur modo, erit concedendum, motum ordinari in ipsam quietem, hæc enim inferiora mouentur, vt tandem quiescant; Quæ demum si considerabuntur secundo modo, secus erit, cum motus sit nobis notior, quàm sit quies, motus enim est principium, quo ipsam cognoscimus naturam; Tertio prò solutione difficultatis propositæ est notandum, q̃ difficultas est, An motus sit habitus, & quies priuatio, sicut nunc suprà fuit dictũ, vel ècontrà sit, quòd quies sit habitus, motus verò sit priuatio; Communis opinio est, quòd motus sit habitus, quies autẽ sit priuatio, quam suprà summus insequuti; At ratio videtur esse in oppositum, quoniam habitus consideratur in fine, at priuatio in via; Dicendum est, quòd si motus consideretur, vt est actus motoris receptus in ipso mobili, sic motus est habitus, quies verò est priuatio; At si motus consideretur, pariter & quies, quo ad actũ, qui per vtrũq; aquiritur, tunc est ècontrà, quòd quies est habitus,

An motus sit habitus, & quies priuatio, vel ècontrà.

bitus, motus verò est priuatio; Et ex his manifestatur, quomodo quies sit finis motus, & quomodo non.

Controu. 2. super eod. tex. 23.

An si centũ guttæ cauãt lapidẽ, illarũ medietas causabit medietatẽ istius effosionis.

SEquuntur hæc Aristot. verba, (Est autem similis ratio illi, quæ est de eo, guttam conterere, & quæ sequuntur.) In quibus verbis videtur dicere Aristo. quòd si centum guttæ cauant lapidem, & illarũ medietas non causabit medietatem illius effosionis; Cuius oppositum habetur ab ipso Septimo huius tex. 36. vbi dicit quòd si motor mouet aliquam magnitudinem in aliquo tempore, medietas potentiæ illius motoris mouebit medietatem illius mobilis in eodem tempore, quarta pars quartam partem, decima pars decimam partẽ illius mobilis in eodem tempore mouebit, & iure, quoniam seruatur eadem proportio; Zimara soluere volens hanc difficultatem multum laborauit, soluendo dicit, & multa sunt vera imaginatione mathematica, quæ tamen non sunt vera imaginatione naturali, quando .s. talia considerantur, vt applicata sunt cum materia, seu cum corpore naturali, sicq; vult, quòd Arist. sententia Septimo huius sit vera secundum imaginationem mathematicam, at non secũdũ imagi-

imaginationem physicam, sicq; vult Arist. hic physicè loqui; Qui sic respondens, manifestissimè decipitur, eo quia Arist. Secũdo huius dicit, quòd mendaces non sunt Mathematici; Tum quia non est consonũ rationi, quòd Arist. Septimo huius tradat regulas pertinentes ad proportionem motuum, & quòd deindè dicat in hoc Octauo illas esse falsas, sic enim apertissimè suã iudicasset inconstantiam; His accedit, quòd argumentum hoc de guttis etiam ab ipso in calce huius Septimi fuit prolatum; Quare erit dicendum quòd regulæ quas dat Septimo huius de proportionibus motuum, quæ sunt inter motorem, & mobile, sunt sic intelligendæ, quòd sicut diuiditur potentia motoris sic etiam diuitur resistentia mobilis, sicq; ibi in tex. 31 dicebat, quòd si motor mouet aliquam magnitudinem in aliquo tempore, medietas potentiæ motoris mouebit medietatem magnitudinis, sẽper enim considerat potentiam mototis quo ad resistentiam ipsius mobilis: At hic secus se habet, quoniam diuiditur potentia motoris, & non diuiditur resistentia ipsius mobilis, sicq; non valet, quòd si viginti homines trahunt nauim per tantum spatium, vt per vnum miliare, ergo decem eã trahẽt

per

per illius medietatem, non valet, quoniã sic dicentes, tantummodo diuidunt motorem, sed non diuiduntipsum mobile; Similiter centum guttæ effodiunt lapidem, ergò quinquaginta efficiẽt effosionis medietatem, non valet, quia tantummodo diuiditur motor, sed non mobile, quod mobile diuiditur, quando diuiditur eius resistentia, vt si dicam centum guttæ effodiunt lapidem durum, igitur quinquaginta effodient lapidem semidurum, sicq; diuidẽdo resistentiam mobilis, illæ regulæ ibi datæ, sunt veræ.

Controu. 3. super eod. tex. 23.

An opinio dicentiũ, omnia semp moueri, sit vera, & qũo.

SVper isto tex. considerandum adhuc est, An sententia antiquorum dicentium omnia semper moueri sit vera, vel falsa, & quomodo; Sciendum est, Heraclitum fuisse istius opinionis principem, quem demum sequutus est Cratilus, quam etiam multi alij Phylosophi insequuti sunt, veluti Dialectici, ac noui Academici, Inhibitores dicti, immò & ipse Plato, & post ipsum Antiphon, & propterea dixit Plato, Antiphontem dixisse, Oceanum, & Thesim esse rerum omnium principia, & hoc dixit, quia indicare volebat, quòd quemadmodũ mare continuè fluit, & refluit, ita omnes res fluere,

fluere,& refluere; Hesiodus etiã istius fuit opinionis,opinatus est enim omnia semper moueri: Academici pulcra vtebantur ratione tali; Si aliquid per horam potest sinè aliqua mutatione conseruari,tale posset æternum saluari,at nihil est in hoc mundo inferiori quod possit seruari æternum, ergò nel aliquid per horam poterit sinè mutatione seruari; primam consequentiã quæ fuit,si aliquid per horam posset sinè aliqua mutatione conseruari, illud tale posset saluati æternum, sic deducunt; Si lapis (exẽpli gratia) per horam vnã sine aliqua mutatione potest seruari, igitur lapis qualis ẽ in principio,talis est in fine, sed in principio lapis per horam potuit seruari sinè aliqua mutatione,igitur & in fine; si sic, igitur similiter se habebit in fine illius horæ, qualis erat in principio, & pariter à secunda ad tertiam, & sic de reliquis, sicq; seruabitur æternum; At per Aristot. Primo Cœli, ac Primo Metaphys. Nullum corruptibile potest seruari æternum,ergò quodlibet corruptibile erit semper mobile, sicq; Aristotel. non sibi constabit, cum hic vellit hanc opinionem dicentium, omnia semper moueri esse falsam, cuius oppositum rõne est cõprobatũ;

Quod

Quod adhuc comprobatur hac alia ratione; Tales sunt res quæ producuntur, qualia sunt illa per quæ res ipsæ conseruantur, at res omnes per motum producuntur, ergò res omnes in motu erunt collocatæ, quare opinio hęc quæ dicit, omnia semper moueri, non erit falsa; Quæ opinio ipsius Arist. esse videtur in Libello de Longitud. & Bre. vitæ, vbi dixit, omnia semper moueri; Idem videtur velle Quinto huius text. 37. Vbi dubitat, An possit seruari eadem sanitas de mane, & de vesperi facta; Quæ eadem opinio etiam ab Arist. colligitur Primo Cœli tex. 100. Vbi scriptum reliquit, Mortalibus competere determinatũ cursum vitæ suæ, si sic, igitur necesse est, vt continuè fluant, ac moueantur quia si quiescerent, non haberent sic determinatum vitæ suæ terminum; Idem inductione confirmatur, & incipiendo à corpore cœlesti, patet illud semper moueri; Si ad elementa descendamus, patet ignem semper moueri, saltẽ ad motum cœli, aer similiter, & aqua, & terra sẽper mouentur; Plantæ pariter cum viuãt, semper mouentur, in viuente enim semper aliquis reperitur motus; De animalibus clarum est, cum iam ab Aristot. suprà text. 20. dictum sit, Necesse esse multos fieri motus

motus in corpore animalis; Quod adhuc confirmatur, quoniam hæc omnia inferiora tempori sunt subiecta, ac sub tempore sunt, tempus autem vel est motus quidam, vel saltem non sinè motu, dixit Arist. suprà tex. 10. Auerroes autem Quarto huius coment. 98. dixit, nos tempus sentire, quoniam nos sentimus transitum cursus nostri, igitur omnia moueti semper, habebit veritatem; At in oppositum est Aristo. hic dicens, (Omnia semper noueri falsum esse;) Idem infrà tex. 74. dicet, (Manifestum est igitur ex his, quòd neq; qui de natura disserunt, benè dicunt, qui omnia sensibilia semper moueri dicunt;) Quod confirmatur, quia sic dicentes, destruunt naturam, cum natura ipsa sit principium motus, & quietis; Insuper, sic dicentes, aduersantur sensui, cum quilibet sensus dijudicet quietem; Insuper destruunt Arist. sententiam Secundo Cœli, & in Lib. de Motu Animal. dicentis, omne quod mouetur, mouetur super aliquod firmum; Destruunt etiam distinctionem Aristo. trimembrem hic ab eo datam, in qua dixit; Entium quædam semper mouentur, vt corpora cœlestia, quædã numquàm mouentur, vt intelligẽtiæ, quædam verò aliquando mouentur, aliquando quie-

quieſcunt, ſicut animalia; Quæ entiũ diuiſio eſt ſatis rationi conſona, cum .n. mũdus ſit omnium rerum plenitudo, debet etiam in ſe includere omnium rerum gradus, id eò neceſſe eſt, vt in eo illa tria entiũ membra reperiantur; Quocircà propoſitio illa prò vtraq; ſui parte erit ſatis dubia; Vt autem de facili omnes hę tollantur difficultates, tres propoſitiones ſunt adnotãdæ; Quarum prima eſt hæc; Quòd ſi ſermo ſit de his corruptibilibus, Omnia continuè mouentur vno, vel alio, & alio motu, vel ſaltem diſponuntur ad motum; Quæ propoſitio eſt ſatis manifeſta, omnia enim hęc inferiora alterantur, ratione cuius alterationis ad ſuum tendunt finem; Et ad iſtum ſenſum verificantur rationes, & authoritates adductæ, quibus probabatur, omnia ſemper moueri, eſſe verum; omnia enim iſta inferiora includunt materiã, vbi verò eſt materia, ibi eſt contrarietas, & vbi eſt contrarietas, ibi eſt actio, & paſsio, quocircà neceſſe eſt, quòd vno, vel alio motu ſemper moueantur; Pono hanc ſecundam propoſitionem; Quòd licet dicamus hæc inferiora ſemper vno, vel alio moueri motu, ob hoc non deſtruimus quietem, quę ab Heraclito deſtruitur, qui ideo iure ab Ariſ. damna-

damnatur, si enim hæc inferiora vno motu mouentur, quiescunt demum quiete opposita alteri motui, vt si exempli gratia, lapis mouetur motu alterationis ab aere ipso ambiente, vel à sole, in suo tamen requiescit loco, nec motu locali mouetur sicq; non destruitur quies; Sit tertia hæc propositio; Quòd quamuis hæc inferiora fluant, connuèq; aliquo moueantur motu, ob hoc tamen non destruitur scientia, quam Heraclitus destruebat, quem demum meritò Arist. damnat; Dicebat namq; Heraclitus hæc inferiora esse in continuo motu, indè esse de illis nos scientiam habere, minimè posse; Quod dictum secundum Arist. non est verum, & ratio est, quia & si hæc inferiora continuè moueantur, variẽturq; quo ad materiam, quo tamen ad formam semper permanent eadem, nulloq; variantur modo, ideò de illis scientiam habere valemus.

Controu. 1. super tex. 27.

An Arist. rectè diuidat motorem, & mobile in perse, & per accidens.

INquit Arist. (Mouentium igitur, & eorum quæ mouentur, &c.) In quo textu ponit Arist. distinctionem mouentium, & mobilium talem; Ea quæ mouent, pariter & ea quæ mouentur, vel id per se ipsis conuenit, vel per accidens; Et si per acci-

dens, hoc est dupliciter, vel per partem, vel quia est in eo quod per se mouetur; Si verò motor mouet per se, pariter & mobile moueatur per se, adhuc contingit dupliciter, vel à se, vel ab alio; & si ab alio, vel hoc habet secundum naturam, vel præter naturam, quarum diuisionum omitto exempla, quia ab omnibus ferè expositoribus dantur; Super quibus verbis quatuor sunt notatu digna; Primum est quòd Arist. sibi contrarius videtur hic, & Quinto huius in principio, vbi distinguit motorem, & mobile in tria membra, dicit enim, q̃ id quod mouet, similiter & id quod mouetur, vel hoc est per se, vel per accidens, vel per partem, hic verò facit diuisionem bimembrem, in per se, & per accideus tantum, quare vel ibi superfluus, vel hic diminutus videtur esse, quorum nullum est dicendum; Profectò nullum horum est dicendum, cuius ratio est hæc, quia id quod est per partem, reducitur ad id quod est per accidens, idcircò nõ est hic diminutus, nec ibi superfluus; Sed adhuc alicui videbitur, quòd Arist. sit reprehensione dignus, dùm declarat motorem, & mobile per se, per negationem illius quod est per accidens, eo quia positiua non debet describi per priuatiuum, visio enim

enim non describitur per cæcitatem, cuius ratio est, quia habitus est notior priuatione & diffinitio semper datur per notiora, ergò habitus non poterit describi per priuationem, cuius oppositum hic facit Aristot; Huic obiectioni rectè Auerroes satisfacit, qui notat, quòd nõ semper habitus est notior priuatione, sed aliquando est ècontrà, q priuatio est notior ipso habitu, & ita est in proposito, quòd id quod est per accidẽs est notius eo quod est per se, cuius ratio est, quia id quod est per accidens est communius eo quod est per se, ideo etiam est eo notius, & ideò Aristo. etiam in Quinto huius, ac in Primo Post. hoc considerans, manifestabat id quod est per se per negationẽ illius quod est per accidens, idcircò nõ erit inconueniens describere positiuũ per priuatiuum, Sed dicet ille, quid dicit iste homo? nonnè semper negatio cognoscitur per affirmationem? & ideò Aristot. Primo de Ani. tex. 85. dicebat, quòd rectum est iudex sui, & obliqui, si sic, quomodo igitur potest Auerroes rectè dicere, q negatio, seù priuatio sit notior habitu, cum inquàm negatio cognoscatur per affirmationem, nèc quis possit intelligere aliquam propositionem negatiuam, vt hanc exempli gra-

tia, homo nou est lapis, nisi prius intelligat affirmatiuã; Respondeo, quòd licet verũ sit, quòd negatio, seù priuatio cognoscatur per habitũ, cum hoc tamen stat, quòd aliquando priuatio sit notior ipso habitu, eo quia & si affirmatio, pariter & habitus sint primò nota, non tamen sunt magis nota, quocircà Aristot. describens habitũ per priuationem, non est ob hoc damnandus, propter rationem dictam.

Controu. 2. super tex. 27.

An id quod est secundũ naturam totius, sit etiã secundũ naturam partium.

SEquitur in textu, (Quod enim ipsum à seipso mouetur;) In quibus verbis Arist. declarans non nulla pertinentia ad diuisionem mouentiũ, & mobiliũ traditam in principio præcedentis Controuers. dicit, quòd ea quæ mouentur à se, non possunt diuidi per moueri, secundũ naturã, & præter naturam, sed omnia talia dicuntur moueri secundũ naturã, eo quia mouentur à principio intrinseco; Ea verò quæ mouentur à principio intrinseco, secundũ naturam tantũmodo dicuntur moueri, cum natura sit principium intrinsecum motus, & dat exemplũ de Animalibus, quæ qno ad totũ dicuntur moueri secundũ naturam, at ratione partis, stat quòd moueantur secũdum

dum naturam, & præter naturam, quoniã
difert quali motu moueantur, & ex quali
elemento constent, dicit Arist. Quod dictũ
videtur esse difficile, cum nihil possit esse
secundum naturam totius, quin etiam sit
secundum naturam partium; Et ratio hu-
ius est hæc, quia partes pendent à toto, er-
go &c. Qui sic arguunt, quàm maximè de-
cipiuntur, iuxtà Arist. sententiam in præ-
senti textu, ex quo clarè colligitur, aliquid
posse esse secundum naturam quo ad totũ,
at ratione partium præter naturam; si sic,
igitur oppositum dicentes in maximo sunt
errore; Nec eorum ratio est alicuius robo-
ris, qua dicunt, partes pendent à toto, ergò
&c. Quod inferunt habebit veritatẽ, con-
siderando partes sub ratione partium, quæ
si absolutè considerabuntur, quod infertur
ab ipsis erit falsum, quia pars absolutè con-
siderata habet propriam naturam, à toto
nequaquàm dependentem, quod declaro,
Caro enim est pars animalis, sub qua rõne
nempè vt pars animalis, pendet ab anima-
li, seù à toto; quæ si absolutè considerabi-
tur, ac sub propria ratione, ac vt grauis est,
patet quòd grauitatem illam non habet ab
animali, seù à toto, sed à commistione ele-
mentorum, ex quibus ipsa constat.

Controu. 3. super tex. 27.

An cœlũ moueat̃ perse à se ipso, vel ab alio.

TErtium quod occurrit circà diuisionem mouentium, & mobilium declarandum, est hoc, cum cœlum moueatur ad quod membrum diuisionis datæ reducatur; Non enim potest dici quòd moueatur per accidens, vt constat, ergo mouebitur perse, si sic, vel à seipso, vel ab alio, sed nullo istorum modorum, vt etiam satis patet, ergò, &c. Insuper est difficultas, Ad quod membrum diuisionis datæ reducatur motus circularis elementorum, vt cum ignis mouetur circulariter ad motum cœli, cum talis motus non sit per accidens; Et si sit per se, non constat, an moueatur à seipso, vel ab alio; Vtriq; difficultati breuiter respondeo, Et primò primæ de motu cœli, & dico cœlum moueri perse; Cum quæritur, si sic, vel à seipso, vel ab alio; Dico cœlum dupliciter considerari, primò consideratur sub ratione corporis, seù quatenus cœlum est orbis distinctus ab intelligentia, quo si consideretur modo cœlum, dico ipsum moueri per se ab alio, nempè à sui intelligentia; Alio modo potest considerari cœlum, sub ratione qua est viuens, seù vt insimul est vnitum cum sui intelligentia, quo si consideretur modo,

prò hoc aggregato, Dico quòd cœlum per se mouetur, & à seipso, seù à principio intrinseco, à sui nempè intelligentia; Quo ad secundam, quæ erat de motu circulari elementorum, vt dum ignis circulariter fertur ad motum cœli; Dicendum est talē motum esse secundum naturam totius vniuersi, at præter naturam ipsorum elementorum, nec hoc inconueniens esse, debet alicui videri, cum iam ab Arist. sit dictum in texru, aliquid posse moueri his duobus modis, sic & in præsenti dico, motum ignis circularem esse secundum naturam totius vniuersi, sed præter naturam propriam ipsius ignis; At absolutè loquendo, dicet ille, Qualis erit ille motus? Dico, quòd absolutè loquendo, talis motus circularis erit ab alio, ab ipso nempè cœlo, ac præter naturam, cuius ratio est, quia absolutè loquendo de aliquo, semper natura propria illius consideratur, ideo talis motus circularis absolutè consideratus, seù quo ad naturam propriam ipsorum elementorum, patet quòd est ab alio, nempè ab ipso cœlo, sicq; est præter naturam propriam ipsorum elementorum.

Controu. 4. super eod. tex. 27.

An Animalia cũ mouẽtur ab ipsorũ aĩa, mouentur secũdũ naturam.

VLtimò quod occurit considerandũ super isto textu, est illud Arist. dictum, in quo asserit, quòd quando animalia mouentur per animam, seù à seipsis, & à principio intrinseco, tunc dicũtur moueri secundum naturam; Quomodo talis motus possit esse secundum naturam, cum talis motus sit cum cognitione; Cum etiã quilibet motus naturalis in fine semper sit velocior, motus verò animalium in fine sit tardior; Dicendum est, quòd motus duobus modis dicitur naturalis, vno modo accipiendo naturam, quatenus distinguitur ab anima, quomodo motus elementorum dicitur naturalis, animaliũ verò minimè; vel secundo modo motus dicitur naturalis, quatenus talis motus fit à principio intrinseco, siuè modo illud principium sit anima, siuè non, iuxtà quẽ modum motus animalium dicitur naturalis, iuxtà quem etiam modum natura fuit in Secundo huius ab Arist. diffinita, ex qua distinctione quid ad obiecta sit respondendum, satis constat.

Controu.

Controu. 1. super tex. 28.

CONsilium Arist. in isto textu est, docere in quibus hæc propositio (Omne quod mouetur, ab alio mouetur;) sit conspicua, & in quibus non; Quam propositionem claram esse dicit principaliter in ijs, quæ violenter mouentur; Secundò dicit, talem propositionem esse manifestã in ijs, quæ à seipsis mouentur, vt in animalibus, in quibus satis euidens est, animalia ipsa ab alio maueri, solum in his dubium ẽ de modo, quo motor se habet ad mobile, an .s. motor sit distinctus à mobili re, an sola ratione, ideo profert illa verba in textu, (Sed quomodo oportet accipere id ipsũ quod mouet, & id quod mouetur, videtur enim vt in nauibus, & in his, quę non natura constant, sic & in animalibus esse diuisũ id quod mouet, & id quod mouetur;) Quid verò sit asserendum, clarè nõ explicat Aristot. Nè quis autem cupiat solutionem, eã breuiter explico; Et insequendo Arist. in Lib. de Motu Animal. ac in Tertio de Ani. tex. 54. primo diuido ipsum motorem, secundo ipsum mobile, & diuidendo motorẽ, dico ꝙ Motor est duplex, alius extrinsecus, alius intrinsecus, motor exterior est obiectum appetibile, quod obiectum est mouẽs illud,

An motor, & mobile in animalibus re, an sola rõne distinguatur.

illud, quod mouet, & non mouetur; Motor interior, est motor mobilis, cum talis motor saltem moueatur ab ipso obiecto, qui motor internus adhuc est duplex, vel ē motor mouens, vel est id quo fit motus, sub motore interno quo fit motus, continentur instrumenta principalia, vt calor, & spiritus, continentur etiam alia instrumēta, quæ inseruiunt motui; Motor mouens adhuc est duplex, vel est motor absolutus, cōpletus, & hoc est totum animal, quod totum animal est illud, quod producit motum, cū operationes sint ipsius totius; Alius ē motor mouens, qui est prima ratio, per quam motus producitur, contradistincta à principio patiente, quæ prima ratio est anima, adeò quòd loquēdo de motore primo extrinseco, est obiectū appetibile, motor verò intrinsecus, quo fit motus est calor, ac spiritus, sicq; sententia Auerr. in isto Octauo Com. 35. dicentis, calorem esse illū, qui primò mouet animalia, veritatem habet; At si sermo sit de motore integro, & completo, est totum animal; Si verò sit sermo de motore illo, qui est prima ratio, qua fit motus, talis est ipsa anima; Sequitur diuidere ipsum mobile, quæritur .n. de Animali, quod nam sit in ipso primum mobi-

le;

le; Et dico ꝙ in animali hoc primũ mobile est triplex, aliud enim est mobile primum quod est integrum, & completum, & est illud cui propriè cõpetit motus, & hoc est totum animal; Vel hoc mobile primũ in animali accipitur prò prima ratione per quam animal mouetur, quæ contradistincta est à prima ratione per quam animal dicitur mouere, & tale est corpus formatũ forma misti, hóc enim est illud mobile, ꝙ resistit animæ, & est ratio per quam anima mouet; Vel tertio, per primum mobile in animali, intelligimus primam partem animalis, & tale est ipsum cor, ad quem sensũ est loquutus Arist. in Lib. de Partib. Animal. pariter, & Auerroes in primo Com. Septimi huius; Ex quibus vnicuiq; licet colligere qũo motor, & mobile in animali distinguantur; Si enim loquamur de motore integro, & completo in ipso animali, pariter si loquamur de mobili absoluto, & completo, constat hæc sola ratione in animali esse distincta, cum totũ animal sit primus motor, & primũ mobile; At si accipiatur motor primus in animali, prò prima ratione per quam animal mouetur, consimiliter si per primum mobile intelligatur prima pars animalis, hæc duo sunt re distincta, sicut patet.

Controu. 2. super eod. tex. 28.

An Animal moueat se, perse, vel per accidens.

SVper isto textu se offert considerare, An animal moueat se, perse, vel per accidens; Videtur dicendum quòd moueat se per se, ratione ista; Quod competit alicui per propriam formam, illud illi competit per se, at mouere se, competit animali per propriam sui formam, mouet enim se per animã, ergo &c. Ex altera verò parte, & in oppositum, arguo ex sentẽtia Auerrois Septimo huius Com. 1. vbi dixit, Animal mouere se per accidens; Et ibidẽ dat rationem, Quoniã animal mouetur ad motum partis nempè ipsius cordis, illud autẽ quod mouetur ad motum partis, dicitur moueri per accidens, cum id quod est per partem, sit per accidens; Dicendum est, vtrumq; habere veritatem, sub alia tamen, & alia ratione, eo quia animal cum sit quodam totum, dupliciter potest considerari, vel vt totum essentiale, vel vt totum integrale; Si animal considerabitur vt totum essentiale, hoc erit ratione qua constat ex anima, & corpore; Si verò considerabitur vt totum integrale, hoc erit quatenus constat ex partibus conferentibus ipsi integritatem, quæ partes integrales, sunt caput, manus, & consimiles; Si primo considere-

tur

tur modo, sic verum est animal seipsū mouere per se, quia per sui propriam formā; Quod si secundo consideretur modo, tunc mouet seipsum per accidens, quoniam per partes, & præcipuè ratione cordis, sicq; Auerroes est loquutus.

Controu. 1. super tex. 29.

INquit Aristo. (Etenim ipsa à seipsis dicere, est impossibile, vitale enim hoc, & animatorum est proprium;) Probat Arist. in isto tex. corpora simplicia, seù ipsa inanimata à seipsis non moueri .s. localiter, hac prima ratione; A seipso moueri viuentium est proprium, at nullum inanimatum viuit, ergò à seipso non poterit moueri; Difficultas est circà maiorem, quomodo sit verum dicere, Propriū viuentiū esse à seipsis moueri de loco ad locum; cum sint multa vita prædita, quæ tamen non mouētur localiter à seipsis, sicut patet de plantis, & de ipsis stirpibus, quæ viuunt, & tamē à seipsis localiter non mouentur; Sciendū est, quòd moueri à seipso est proprium viuentiū, vt dicit hic Arist; Cōsimilē sententiā habet Arist. Secūdo Cœli tex. 9. Quæ ēt est Platonis in Phedro, & in 10. Dial. de Legib.

An viuentium sit propriū à seipsis moueri localiter.

Sed

Sed pro habenda veritate illius; Est notã-
dum, quòd dum Arist. dicit, Proprium vi-
uentinm esse à seipsis moueri, quòd talis
propositio potest dupliciter intelligi, vel
quòd Arist. loquatur de motu in cõmuni,
vel quòd loquatur de motu locali solum;
Si primo intelligatnr modo, nempè Arist.
loqui de quocumq; motu, tunc moueri à
seipso, adeò est viuentium proprium, quòd
hoc omnibus, & quibuscunq; conuenit vi-
uentibus, solisq; tantũmodo ipsis, nã plan-
tæ à seipsis mouentur, quoniã à seipsis nu-
triuntur, à seipsis augentur; pariter anima-
lia terræ affixa à seipsis mouentur, cum n.
sint animata, & vita prædita, à seipsis nutri-
untur, & augentur, quoniam per propriam
animam tales habent operationes; Quod
adhuc solis ipsis competit, eo quia ipsa vi-
uentia necessario proprium expetunt na-
turalem calorem, ratione cuius nutriuntur,
& augentur, quo proprio, & naturali calo-
re ipsa inanimata carent, ideò à seipsis non
possunt moueri; Si autem quis velit nomi-
ne motus audire tantũmodò motum loca-
lem, velitq; Arist. dicere, quòd moueri de
loco ad locum, tantũ ipsorũ viuentium esse
propriũ, ille talis sic dicens non erit audi-
endus, ob rationẽ adductam, cũ plantæ, &
stirpes

stitpes non moueantur sic localiter; Vel erit dicendũ, moueri localiter esse proprium animaliũ, quæ sunt prædita imaginatione perfecta, ac appetitu, hæc enim duo sunt principia proxima motus localis, vt docet Arist. Tertio de Ani. à tex. 40. vsq; ad 58. inclusiuè.

Controu. 2. super tex. 29.

An quod à seipso mouet, contrarijs mouetur motibus; & an si seipso quiescat.

IN eodem textu hæc habet Arist. verba, (Et sistere possent seipsa,) & quæ sequũtur; In quibus verbis format duas rationes, quibus probat corpora inanimata à seipsis nequaquàm moueri, quæ duæ rõnes adeò sunt coniunctę, quòd ex eis vna tantum posit ratio formari, at distinctè eas sic erigo; Omne quod à seipso mouetur, à seipso etiam quiescit, sed nullum inanimatum ex se ipso quiescit, ergò nullum inanimatum ex seipso mouetur; Maior est nota, quia corpora animata sicut à seipsis motum habent, sic quoq; à seipsis quiescunt, sicut enim in nostra potestate est moueri, ità quoq; in nostra est potestate quiescere; Mi: etiã de se satis patet, si enim gleba terrę descendit, dùm est in medio descensus, dicat ei quis, quòd quiescat & retineat se à motu, videbit si quiescit, constat profectò

quòd

quòd nunq̃ quieſcet, niſi ab aliquo extrinſeco ipſi occurente impediatur, aut niſi fuerit in centro, ſeù in ſuo proprio loco; Alia ratio eſt, Omne quod à ſeipſo mouetur, cõtrarijs motibus mouetur, vt animalia aliquando aſcendunt, aliquando deſcendunt, at nullũ inanimatum contrarijs mouetur motibus, vt gleba terræ ſemper deſcendit, (naturaliter loquendo,) & ignis ſimiliter ſemper aſcendit, ergo nullum inanimatũ ex ſeipſo mouebitur; Circà quas rationes contingit dubitare, & præcipuè circà maiorem vtriuſq; rationis propoſitionẽ, nam falſum videtur eſſe, quòd illud quod à ſeipſo mouetur, à ſeipſo etiã quieſcat, & q̃ illud etiã contrarijs moueatur motibus, cum inſtantia ſit manifeſta à cœlo deſumpta, q̃ à ſeipſo mouetur, nõ tamen ex ſeipſo quieſcit, cum ſemper moueatnr; nec etiã cœlũ contrarijs mouetur motibus, cum vniformiter moueatur motu circulari, ergo vtriuſq; rationis maior eſt falſa; Inſuper, dicet ille, Cuperem ſcire cauſam, quare animalia, quæ à ſeipſis mouentur, moueantur cõtrarijs motibus, & ad quancũq; partem voluetint, & etiam quieſcant; grauia verò, & leuia hæc non obtineant; Inſuper dicet ille, mihi videtur quòd Ariſt. ſibi ſit contra-

rius

rius hic,& suprà tex. 8. Hic enim vult, q̃ animalia rarione carentia possint contrarijs motibus moueri,cuius oppositum suprà videtur dixisse, dixit enim à potentia rationali opposita prouenire,minimè à potentia irrationali, at cum animalia bruta ratione sint expertia,non igitur contrarijs poterunt moueri motibus; Quod adhuc confirmatur per ea,quæ dicuntur ab Arist. Nono Metaph. tex. 2. vbi scriptũ reliquit à potentia non rationali opposita nequaq̃ prouenire; Quibus omnibus respondeo, & primò primæ difficultati,in qua dicebatur,quòd maior propositio vtriusq̃; rõnis erat falsa, & dico quòd illæ duæ maiores propositiones non sunt vniuersaliter veræ, sed tantummodo verificantur in his, quæ generabilia,& corruptibilia sunt; Addidit Simpl. qui in hoc sequutus est Alexandrũ, q̃ illæ duæ propositiones Aristot. non sunt vniuersaliter veræ, sed tantummodò veritatem habent in his,quæ nota sunt ex seipsis moueri,& quiescere,idcircò instãtia adducta de Cœlo,nihil cõget contrà Aristot. Quo ad secundam, Qui cupit illorum scire causam, debet cognoscere principium motus,pariter & quietis animalium, quod principium in ipsis animalibus, est imagi-

natio,& appetitus,sicut fuit dictum in fine solut. Controu. præcedētis, modò animalia per imaginationem concipiunt motū, & quietem,indè est,quòd modò vnū, modò alterum appetunt, sicq; animalia nunc mouentur, nunc quiescunt, qua imaginatione, & appetitu carent ipsa inanimata, sed ad suum tendunt finem, ad quem sunt apta tendere secundum eorum facultatē; Quo ad tertiam,Notandum est, quòd opposita sunt in duplici differentia, vel enim sunt fines,vel sunt ordinata ad finem; Tūc dicendum est, quòd agere opposita, idest tendere ad fines oppositos, hoc conuenire tantummodò potentiæ rationali, & ideò homines ipsi dùm in suis operationibus vtuntur virtute, vel vitio sic tendūt ad opposita,quod minimè bruta facere possunt, cum ergo ad illum assequendum finem, opposita conferrant,indè est quòd aliquādo ipso vtuntur motu, aliquādo ipsa quiete, sicq; mouentur motibus oppositis, & pariter ad eorum libitum quiescunt, ad vnum tamen semper tendunt finem.

An corpora continua à seipsis moueātur.

Controu. super tex. 30.

AMplius, quomodo contingit continuū aliquod, &c.) In quo textu formatquartam rationem,& vltimam, quā

quà probat corpora simplicia, seù inanimata à seipsis minimè moueri, quæ talis ē; Nullum corpus continuum à seipso mouetur, sed omnia corpora simplicia, seù inanimata sunt corpora continua, ergo à seipsis non poterunt moueri, Maiorem propositionem probat Arist. quoniam mouens, & motum, se habent vt agens, & patiēs, cū ergo agens, & patiens non possint esse inuicem verè continua, quia vt patet ex Primò de Gen. & Cor. sunt contraria, ergò mouens, & motum non poterunt esse continua, si sic, nullum ergo corpus continuum poterit à seipso moueri, cum nullum quod à seipso mouetur possit habere rationem agentis, & patientis; Cuius rationis maior propositio alicui falsa videbitur, cum instantia sit ab animalibus, pariter & à cœlo desumpta, quæ sunt corpora continua, & tamen à seipsis mouentur, animal.n. quodcūq; in partibus suis est continuum, cōsimiliter & cœlum, & tamen à seipsis mouētur, sicut patet, ergò, &c. Insuper, est difficultas circà probationem illius maioris, in qua dicit, quòd mouens, & motum se habent, vt agens, & patiens, quod agens patienti non potest esse cōtinuum, quia agēs, & patiens sunt contraria, & contraria non

possunt inuicem continuari; Contrà dicet ille, sit lignum cuius vna pars sit inflamata, aliam partem sibi proximam inflamat, quæ partes ligni duæ sunt continuæ, eccè ergo, quòd agens, & patiens inuicem cõtinuabantur; Similiter sit aqua, quæ calefiat, cuius vna pars sit calefacta ab igne, patet q̃ illa calefacit aliam partem sibi proximã, quæ tamen partes pariter sunt continuæ, eccè igitur quòd agens, & patiens inuicem poterunt continuari, cuius oppositum ab ipso Arist. habetur; Primæ difficultati in qua dicitur, maiorem propositionem illius esse falsam, & data est instantia de ipso cœlo; Adhuc dicerem, sicut dixi in solut. præcedentis controuer. quòd illa maior nõ est vniuersaliter vera, sed tantum de corporibus, quæ generantur, & corrumpuntur; Cum verò affertur alia instantia ab animalibus; Non dicerem vt dixit Alex. qui vt refert Simpli. negat animal esse corpus verè continuum, cuius ratio est hæc, quia in animali mouens est ipsa anima, quod vero mouetur est ipsum corpus, anima aũt corpori non potest continuari, nec è contrà, ratio est, quia quæ debent continuari inuicẽ, debent esse quanta, cum continua sint illa, quorum vltima sunt simul, cum ergò ani-

ma

ma non sit quanta, corpori igitur non continuabitur, & per consequens, animal non erit continuum in suis partibus; Non inq̃ sic responderem, quia par esset ratio de elementis, quæ est de animalibus, cum nãq; elementa moueantur à sua forma, quæ est incorporea, minimè corpori erit continua, quare ipsa elementa à seipsis poterunt moueri, sicut & animalia à seipsis mouentur; Dico igitur aliter, & in primis noto, quid intelligat Arist. hic per corpus continuum, & dico ipsum accipere continuum, quatenus contrà distinguitur corpori instrumentario, corpus enim quod caret instrumentis, seù membris, non potest à seipso moueri, vt docet Arist. in Lib. de Motu Animal; ad quem sensum nunc Aristot. negat, animalia esse corpora continua, cum sint varijs instrumentis prædita, neruis enim, ossibus, & venis sũt prædita, quæ partes nequaquàm sunt (verè loquendo) continuæ adinuicem, sed contiguæ, seù colligatæ sunt, illa autem sunt continua, quæ sunt consimilium partium, idcircò recte Aristo. dicit, dicens, Nullum corpus continuum, ideſt habens partes consimiles potest à seipso moueri, elementa autem sunt huiusmodi, sunt enim continua, seù partes con-

similes habētia, ergò à seipsis minimè poterunt moueri; Qua eadem solutione tollitur alia instantia adducta de ligno inflamato, & de aqua calefacta, & similiter dico, illa corpora non esse continua, eo quia non habent partes cōsimiles, seù quæ sint eiusdem spetiei spetialissimæ, sicut patet, quæ est conditio necessario requisita corporibus verè continuis, sicut constat ex Quinto huius, necesse enim est, vt illorum sit vna communis superficies, modò si sit lignum cuius vna pars sit viridis, alia verò sit sicca, patet quòd illæ partes non erunt inuicem verè continuæ, si verò vocentur continuæ hoc erit verum quo ad materiam, & quo ad quantitatem, at non quo ad formam, illa itaq; corpora (propriè loquendo,) dicūtur contigua, cum eorum partes non sint eiusdem rōnis, seù eiusdē spetiei spetialissimæ, seù nō sint consimiles, vt de se patèt.

An diuisio mouētis, & moti per secundū naturam, & præter naturā, verificetur in omni motu.

Controu. super tex. 31.

DIcit Arist. (Sed accidit & hæc ab alio semper moueri, fiet autem vtiq; manifestum;) In quo textu, volens Aristot. declarare à quo moueantur grauia, & leuia, in primis distinguit causas motus, quę sunt mouens, & motum, Et in prima parte textu dicit, quòd mouens est duplex, aliud est

est mouens secundum naturam,& est illud, quod habet in seipso principium actiuum mouendi, idest quod à seipso est tale actu, quale est motum potentia, vt actu calidum perse colefacit,quia est actu tale, quale est frigidum potentia; Aliud est mouens præter naturam,& est illud, quod non habet à se ipso principium mouendi,idest quod nõ est tale actu,quale est motum potentia, sicut vectis est mouens præter naturam, eo quia non habet à seipso principium mouẽdi actiuum,sed ab alio .s. ab homine; Eodẽ pacto,addit in secũda parte textus, duplex est motum,aliud secuudum naturam,aliud præter naturam; Motum secundum naturam vocat illud,quod à seipso habet principium pasiuum motus, idest, quod habet in se principium,per quod est tale potẽtia motum,quale est actu motum,vt aqua quę in se habet naturam, per quam est potentia calida,ad quam caliditatem dicitur per se moueri ratione materiæ; In tertia parte textus, addit, hæc verificari in triplici genere motus,in quãto,quali,& ũbi;Circà quæ dicta, dubitat Simpl. & satis rectè, & primò,qũo si ignis agat in aquam, qũo inq̃ aqua ꝑse calesiat ab igne,cũ talis calefactio ei cõueniat ꝓter nãm, nõ aũt secũdũ nãm;

Insuper, dicit Arist. quòd diuisio data verificatur in omni genere motus; Contradicit Simpl. hęc distinctio non videtur habere veritatem in motu auctionis, & diminutionis, cum ibi non sit auctum pręter naturam, cũ auctio, & diminutio sint à principio intrinseco, & secundum naturam; Insuper, addo, quomodo est verum dicere, q̃ calidum actu sit motiuum secundum naturam calidi potentia, vt dicit Arist. cum calor sit accidens, & non natura, quæ est substantia; Quo ad primum, est attendendum, aquam dupliciter considerari, vel ratione formæ, ac naturæ ipsius aquæ, vel ratione materiæ, indè est quòd calefactio aquę est naturalis, & præter naturalis, calefactio est ipsi aquæ naturalis, considerando aquam ratione materiæ in aqua existẽtis, quæ materia est facilis secundum sui naturam ad omnes formas, erit verò aquæ præter naturalis calefactio, si aqua considerabitur ratione suæ formæ, quo circà non erit simpliciter, & absolutè verum dicere, aquam calefieri naturaliter, sed secundum quid .s. ratione materiæ; Quo ad secũdũ, Dicit Simpl. in motu auctionis reperiri præter nãm auctum, & hoc erit, considerando auctum prò vt citius, vel tardius augetur, quàm cõueniat

ueniat snæ naturæ, vel complexioni, & dat exemplum de planta, quæ si crescat, ad maximamq; deueniat quantitatem citius, q̃ sibi conueniat, propter loci crasitiem, tale augumentum non dicetur naturale, cũ non sit factum in tempore debito ad naturalẽ auctionem; Et hæc solutio est vera, quia hæc fuit Arist. sententia Quinto huius tex. 57. Quo ad tertium; Dico esse verum dicere, calidum actu secundum naturam calefacere, licet nõ sit natura, eo quia est aliquid naturæ complicatum, & est aliquid à natura pendens, & natura sæpè accipitur etiam prò conditione consequente rei essentiam, per quam si quid agat illud naturaliter dicitur agere, & ideo si calidum actu calefaciat per suam conditionem ad sui essentiam consequentem, dicitur calefacere secundum naturam; Sed dicet ille, velẽ scire, An ignis vt ignis calefaciat per se? Dicendum est quòd non, iuxtà sententiam Arist. in Lib. de Sensu, & Sensili, dicentis quòd ignis vt ignis non agit, non calefacit, sed quatenus calidus, & ideò hic rectè dicit Arist. dicens, calidum actu caiefacit secundum naturam, quia sic dicens, accipit illud, cui propriè competit calefacere; Dubitabit etiam aliquis, An cum dicimus, q

piper

piper calefacit, An calefaciat per se; Dicendum est quod non, & ratio est, quia si ignis, vt ignis non calefacit per se, tanto minus piper per se calefaciet, sed erit causa caloris ratione sui temperamenti, minimè id præstabit vt piper.

Controue. super tex. 32.

IN vltima parte istius textus, dicit Arist. (Sed motus habent principium nō mouendi, neq; faciendi, sed patiendi;) Super quibus verbis sunt quàm plures dubitationes, quas vidit Simplic. qui cum satis difficilis, & obscurus sit, ideò eas affero; Aristo. soluens dubitationem, A quo moueantur naturaliter grauia, & leuia, seù ipsa elementa; Concedit ipsa habere in seipsis principium motus, eo quia sunt corpora naturalia, & omne corpus naturale habet naturam, quæ est principium motus; & quietis, sed addit, quòd illud principium motus, quod habent in seipsis, nō est principium effectiuum, sed principium passiuū de quo non est quæstio, sed tātum de principio actiuo, quod principium actiuū suprà dixit esse generans ipsa elementa, aut remouens prohibens, quod prohibens est

in

in causa quin moueantur ; Primò dubitat Simpl. quia Arist. sic dicēs, videtur innuere, immò innuit, quòd natura sit principiū passiuum motus ; Cuius oppositum ab ipso Arist. colligitur in Secūdo huius, vbi cōnumerat naturam inter causas efficientes ; Et Primo Cœli tex. 32. dicit, Deus, & natura nihil frustrà faciunt ; Quod etiam ab ipso Arist. ibidem colligitur dicente, quicquid agit natura, rationabiliter agit; Secūdo addit Simpl. ex Alex. desumens, Arist. hic concedit, elementa esse corpora naturalia, quatenus habet in seipsis principium patiendi, Quod si est verum, Cœlum igitur (infert Alex.) non erit corpus naturale, cū sit impassibile; Tertio, & fortius instat Simplic. Concedit Arist. elementa esse corpora naturalia, eo quia habent principium intrinsecum sui motus in seipsis, sed illud principim est passiuum, immò dicit Simpl. probo, quòd ex eo quòd sunt corpora naturalia, quòd habeant in se ipsis principiū actiuum sui motus, & format rationem desumptam ab ipso Aristot. Secundo huius tex. 10. & 81. quibus in locis docet Aristot. quòd in omni corpore naturali duplex est natura .s. materia, & forma, do er ēt q̄ corpus nāle verius dicitur naturale a

forma

forma, quàm à materia, docet etiam quòd forma est principium actiuum motus, materia verò est principium passiuum ; Quibus sic stantibus, arguit Simpli. Elementa sunt corpora naturalia tum ratione formæ, tum ratione materiæ, ergò verius erunt naturalia ratione formę, quàm materiæ, ergò verius dicentur habere principium actiuũ in seipsis sui motus, quàm passiuum, quod est contra solutionem, quam dat Aristot. in textu; Dubitat etiam Simpl. contrà aliud Arist. dictum, quod est, in elemẽtis duplex esse mouens .s. generans, & remouens prohibens, sed generans dicit esse principium per se motus elementorum, remouens verò prohibens licet etiam sit principiũ quoquo modo per se, est tamen principium, & causa eorum motus per accidens, dat exẽplum, sicut remouens columnam est causa per se remotionis columnæ, est verò causa p accidens casus parietis, & sic de alijs; Insurgit Simpl. si remouens prohibens ẽ causa per accidens casus parietis, ex hoc, quia est causa remotionis columnæ, sicq; est causa per accidens secundi motus, quia est causa per se primi motus, pariter ergo generãs dicetur causa per accidens motus elementorum, eo quia generans primò est causa

generationis elementorum, ex qua demum generatione, sequitur ipsorum motus, generans enim dat formam ipsis elementis, qua forma habita, sequitur eorum motus, sicut ergo remouens columnam est causa per accidēs casus parietis, eo quia est causa perse remotionis columnę, pariter & qui generat elementa erit causa per accidens motus elementorum, eo quia est causa per se eorundem generationis; Quod adhuc fortius confirmat, supponatur quòd remouens prohibens quiescat, ob hoc tamen stat quòd paries cadat, pariter & in proposito, stat quòd elementa moueantur sursum, vel deorsum, quiescente ipso generante, si sic, ergo generans erit causa per accidens motus ipsorum elementorum; Vltimo, quomodo est verum dictum Arist. dicentis, q̄ remouens prohibens sit causa per accidēs casus parietis, cum oppositum dicat ratio, quod declaratur, sit exempli gratia, gleba terræ apensa per funem trabi, cuius glebæ grauitas frangat funem, tunc descēdit gleba illa terræ, & impedimentum remouet grauitas frangendo funem, ergo grauitas illius erit causa perse illius casus, eo quia ē causa perse quòd funis frangatur, ergò &c.

Quibus omnibus respondeo cum Simplic.

qui

qui primæ instantiæ duas dat solutiones, quarum prima est, quòd Arist. alio modo hic, & Secundo huius accipit naturam; Hic accipit naturam prò principio passiuo, ibi verò, & in alijs præcitatis locis accipit naturam prò mente primi opificis; Vel (& est secunda solutio) possumus dicere, dicit Simpli. quòd authoritates illæ adductè sunt passiuè intelligẽdæ hoc modo, Deus, & natura nihil frustrà agũt, idest patiuntur, consimiliter, Natura rationabiliter agit, idest passiuè, & materialiter agit, non autem actiuè; Ex qua secũda solutione colligitur, quod natura sit principium passiuum secundum sententiam Simplic. quam etiam ipse voluit Secũdo huius, declarans diffinitionem naturæ ibidem ab Arist. datam, ideo dixit, diffinitionem naturæ sic esse intelligẽdam, Natura est principium motus, &c. idest, est aptitudo, seù idoneitas quædam ad motum, &c. Qui sic dicens (pace sua dixerim) non est audiendus, cum Arist. ipse oppositum sentiat, velitq́; naturam esse principium actiuũ motus, & quietis; Et quòd ita sit, colligitur ex ipso Arist. ibidem, qui exponens particulas in diffinitione naturæ positas, dixit, quòd natura est duplex, materia .s. & forma, &

ma,& addidit, quòd natura verius dicitur de forma,quàm de materia,si sic,ergò forma verius obtinebit hoc nomen naturæ, q̃ materia,quæ forma cum sit principiũ actiuum,materia verò passiuum, natura ergo verius dicetur principiũ actiuum secundũ Arist. quàm principium passiuum,sicut ẽt declaraui in Secundo huius,exponẽdo diffinitionem naturæ, ibi in Solut. Controu. sũper tex. 3. Cum ergo Simpl. dictum nõ sit verum,aliter respondeo, & cõcedo elementa dici corpora naturalia, eo quia habent naturam,ergò habent principium sui motus,sed passiuum,concedo, cum infertur,ergo natura erit principium passiuum motus, nego istam consequentiam, & ratio negationis est,quia Arist. non dicit, q̃ omnis natura sit principium motus passiuum,benè hoc concedit de natura, quæ est in elementis,& sic suorum verborum sensus erit, (elementa habent principium passiuum motus,) idest elementa habent materiam, quæ recipit motum per se; Quo ad secundam difficultatem; Duas dat solutiones Alexan. prò vt refert Simplic; prima est, q̃ Cœlum est corpus nãle, eo quia habet in seipso principium patiendi, non tamen quacumq; passione, sed

illa

illa tantum, quæ est respectu motus localis, & ideò si cœlum ab Arist. dicitur impassibile, sensus est, quòd est impassibile vera passione, quæ vera passio est alteratio, vel auctio; Vel secundò dicit Alex. q̃ hic Aristot. non loquitur de omni, & quocumq; corpore naturali, sed tantum de illo, quod est generabile, & corruptibile, at cœlum est corpus æternum; Ad tertiam, qua probatur, elementa in seipsis habere principium actiuum sui motus, cum infertur, ergò a se ipsis mouebũtur. Nego consequẽtiã, & ratio negationis est, quia elementa non possunt moueri ab illo principio intrinseco actiuo, nisi concurrat aliud principium extrinsecum actiuum, quod est generans ipsa, vel remouens obstaculum, quod illis obstat, quòd dùm genita sunt, quòd non moueantur, quod non ita se habet de animalibus, quæ quidem à seipsis dicuntur moueri, eo quia mouentur à principio intrinsecò actiuo, nullo alio extrinseco principio actiuo concurrente; Ratio autem cur inanimata cærpora, & ipsa elementa non moueantur sufficienter à principio intrinseco, sed semper concurrat aliud principium extrinsecum, quod sit causa motus ipsorum, hæc est, Quia elementa vel habent esse, vel

non

non, vt ignis vel est, vel non est, si non est, & debeat moueri, eget generante, necesse q; est quòd generetur; Si verò est, sitq; genitus, tunc vel est in suo loco naturali, vel non, si est in suo loco naturali, non amplius ascendit, nèc mouetur, sicq; non eget principio intrinseco, nèc extrinseco; Si verò non est in suo loco naturali, ergo erit in loco præter naturali, tunc quæro, an sit impeditus, si sic, & velit inchoare motum, tunc eget remouente prohibens, & sicut dixi de igne, ita dicendum est de cæteris elemẽtis; Ex quibus licet colligere, elementa in seipsis tantummodo habere principium passiuum sui motus, minimè actiuum; Quod principium actiuum motus & si illud habuerint, tamen quia non est sufficiens, ex se ipso causare motũ in ipsis, sed semper egẽt extrinseco principio, ob hoc dicuntur elementa moueri ab extrinseco, nõ autem ab intrinseco; At ille instabit, si vtrumq; principium actiuum in seipsis habent, & intrinsecum, & extrinsecum, ergò potius esset dicendum ipsa elementa ab intrinseco principio moueri, quàm ab extrinseco, & ratio est, quia à nobiliori semper fit denominatio, principium autem actiuum intrinsecũ perfectius, nobiliusq; est principio extrin-

seco; Dico, quòd profectò dicendum esset propter hanc rationem elementa potius moueri à principio intrinseco, quàm ab extrinseco; Sed oppositum dicitur, nempè q elementa, & cætera corpora inanimata mouentur à principio actiuo extrinseco, adhoc vt denotetur differentia inter motum corporum animatorum, & inanimatorum, quę corpora animata solum egét principio actiuo intrinseco, sicut iam est dictum, at corpora inanimata vltrà principio actiuo intrinseco quod habent; egent etiam principio actiuo extrinseco; Quo ad secundum principale; Dico cum Arist. & Simpl. qnòd re vera generans est causa perse motus elementorum, remouens verò prohibens est causa per accidens; Cum dicitur, hic sunt duo motus, & secundus sequitur ex primo, sicut & in exemplo ab Arist. in textu dato, ergò &c. Dico, quòd licet vtrobiq; sint duo motus, nõ est tamen in vtroq; similе, quod declaro, nam remouens prohibens cum remouet obstaculum quod impedit quin elementa moueãtur, & est causa motus illorum, illud tamen nihil imprimit ipsis elementis, nihilq; ipsis dat, at secus est de generante ipsa elementa, quod generãs dùm illa generat, dat ipsis elementis suam formam

mam ſubſtantialem, ad quam minimè ſequitur motus, niſi concurrat aliud principium extrinſecum, ideo ob hanc cauſam dicũtur moueri ab extrinſeco, ſicut fuit dictum; Ad illius confirmationem; Concedo quòd generans elementa, ipſa mouet, non tamen proximè, ſed remotè, generans enim ipſis elementis tribuit formam ſubſtantialem, ad quam minimè ſequitur motus, idcircò mouens proximum eſt forma ſubſtantialis iam ipſis impreſſa elementis, & ideò ſtat, quòd quieſcente generãte elementa ipſa adhuc moueantur; Dicet ille, ergò elementa ex dictis tuis habent principium actiuũ ſui motus in ſeipſis, eo quia ceſſante generante cum mouentur elemẽta, ipſa (ſicut dixiſti) mouentur à ſua forma naturali ſibi impreſſa; Iterum dico ſicut dixi, quòd ipſa elementa habent in ſeipſis principium actiuum ſui motus, ob hoc tamen ab illo non dicuntur moueri effectiuè, ſed à principio extrinſeco, eo quia ab illo principio intrinſeco non poſſunt moueri, niſi concurrat etiam principium aliud extrinſecum; Ad vltimam, de gleba terræ ſuſpenſa trahi; Reſpondeo, & concedo, quòd tunc eſt cauſa perſe ſui motus, ſed hoc in omnibus non erit ſemper verum, ſed veri-

tatem tantum habebit, quando .ſ. cauſa perſe,& cauſa per accidens coincidunt; At qui fieri poterit,dicet ille, quòd cauſæ illæ coincidant, cum cauſa perſe non poſsit cũ cauſa per accidens coincidere; ſicq; grauitas terræ frangens funem, cum ſit cauſa per ſe ſui motus,non poterit coincidere cũ remouente prohibens, quod eſt cauſa per accidens; Reſpondeo, quòd verum eſt, q grauitas, in eo quòd grauitas eſt cauſa per ſe motus, quæ grauitas ſi conſideretur ſub ratione qua frangit funem,ſic ſub tali rõne eſt cauſa per accidens illius deſcenſus, & hoc modo cõtingit non eamdem eſſe cauſam perſe, & per accidens ſui motus, nèc cum illa coincidere.

Controu. j. ſuper tex. 33. 34. 35.

An primus motor poſsit abſq; ſecundo operari.

EX his tribus Ariſt. contex. licet colligere tres mouentium diſtinctiones, quarũ vna eſt Mouẽtiũ alius ẽ prims, alius nõ primus;Altera eſt, Mouentiũ alius eſt motor principalis, alius ẽ motor inſtrumentarius, Tertia eſt, Mouentium, alius mouet ſeipſo,alius mediante altero; Et cõparando hos motores adinuicem, de his omnibus dicit Ariſto. quòd motor primus magis mouet,quàm cæteri motores, cuius dicti duas affert rationes,quarum prima ẽ, quia

quia motor primus mouet secundũ, at non ècontrà, secundus non mouet primum; Altera est, quia primus motor mouet absq; secundo, at ècontrà, secundus absq; primo nequaquàm; In quibus vltimis verbis Aristot. sibi videtur contratius hic, & Secundo Phy. tex. 26. vbi dicebat, Sol, & homo generant hominem, at Sol sinè homine non valet hominem generare, quomodo ergò hic dicit, quòd primus motor absq; secũdo potest operari? In ista conclusione Theologi, & Phylosophi sunt discordes inter se; Theologi dicũt, quòd quicquid potest prima causa cum secunda, potest etiam causa prima absq; secunda, dummodò id ꝙ producitur non implicet contradictionem; Et ideò si Deus vna cum homine potest hominem generare, etiam Deus absq; homine potest eumdem producere, creauit.n. Deus primum hominem; at si effectus implicabit contradictionẽ, minimè potest; Deus namq; non potest producere hominem, absq; rationabilitate, nèc potest efficere parietem album absq; albedine, & sic de alijs consimilibus, quoniam implicant contradictionem, homo enim absq; rationalitate non est homo; Phylosophi verò ad mentẽ Arist. sustinent causam secundam esse ne-

ceſſariã, adeò quòd cauſa prima abſq; ſecunda non poteſt effectum producere, nèc Deus poteſt hominẽ generare ſinè homine, eo quia inter has cauſas vult eſſe ordinem eſſentialem, & per conſequens neceſſarium; At ſi ſic eſt ad mentem Ariſt. quomodò ergo ipſe nunc dicit, quòd primus motor mouet abſq; ſecundo? Dicendũ eſt, quòd Ariſt. ſententia ſic eſt intelligenda, q̃ primus motor poteſt operari abſq; ſecundo, producendo .ſ. opus ſuum; at ſi oppoſitum videatur alibi dicere, intelligatur, q̃ primus motor nõ poteſt operari abſq; ſecundo in productione .ſ. operationis ſecũdę cauſæ.

Controu. 2. ſuper eiſd. tex. 33. 34. 35.

In iſtis tribus contex. Ariſt. manifeſtat neceſsitatem primi motoris, dicit, quòd ſi primus motor deficeret in motu, adeò quòd non moueret, nèc cæteri motores mouere poſſet; Quæ ſententia alicui videbitur dubia, eo quia (exempli gratia) ſi cœlum quieſceret, non nè ignis adhuc aſcenderet, & calefaceret? Nonnè aqua pariter deſcenderet, & humectaret? Dicendum eſt quòd ſic, dicet ille, ductus iſta ratione, quia prædicta adhuc haberent proprium eſſe, & per conſequens propriã naturam

Anneceſſitas primi motoris rectè ſit ab Ariſt. probata.

turam, igitur cœlo quiescẽte, adhuc habebunt principium sui motus in seipsis, quare producere poterunt illos effectus; Tum quia Arist. in Lib. de Sensu, & Sensili dicebat, ignis agit inquantum calidus, ergò quiescente cœlo ignis quousq; erit calidus, poterit calefacere, immò calefaciet, si sic, quomodo ergò hic Arist. dicit, quòd primo motore non mouente, cæteri non mouebunt? Simpl. in Lib. Secundo Cœli Coment. 12. notauit hac in re Alex. sentẽtiã, qui dixit, suppositò quòd cœlum quiesceret, hæc inferiora adhuc mouerentur, sed inordinatè, at ordinatè nequaquàm, causa est, quia ordo pendet à cœlo; Quæ respõsio Arist. repugnare videtur hic, cum ipse Arist. hic absolutè dicat, secundum motorem absq; primo nequaquàm mouere põsse; Quod fortassè considerans Alex. ibidẽ, fuit coactus dicere, quòd si cœlum quiesceret, illa inferiora non amplius mouebũtur, eo quia ista inferiora ita se habẽt ad ipsum cœlum, sicut materia ad ipsum efficiens, at sicut materia non operatur quicquam sinè efficiente, sic quoq; hæc inferiora cessante motu cœli non amplius mouebũtur; Cuius opinionis etiam videtur fuisse Auerroes Quarto huius Com. 98. vbi dixit, q

cœlo quieſcente, ea quæ ſunt in hoc mũdo non amplius permutarentur; Idem voluit in Lib. de Subſtantia Orbis, vbi dixit, q̃ ſi cœlum, non eſſet, elementa non mouerẽtur, ſed mundus corrumperetur; Qui ſic dicentes, manifeſtant neceſsitatem primi motoris; Simpl. autem ibidem in Secũdo Cœli Com. 12. præallegato, dixit, quòd illi qui quærunt, An cœlo quieſcente, cætera moueantur, eſſe maximè deridendos, eo quia è medio tollere cauſas principales, & quærere, An eorum effectus ſint, eſt magis opus ludentium, quàm ſtudentium, & eſt, ac ſi quis quęreret, An denipto fonte, fluuius qui à fonte emanat, flueret, an non; Cui dubitationi reſpondet quòd non; pariter & cœlum ſi quieſceret, & hæc inferiora cum à cœlo pendeant, quieſcerent; Quæ Simpl. ſententia non videtur conueniens, eum non ſit eadem ratio de iſto mundo inferiori comparato ipſi cœlo, quæ eſt de fluuio compararo ipſi fonti, fluuius enim ſucceſsiuè emanat à fonte, mundus autem iſte inferior non à cœlo emanat, benè ab illo ſeruatur; Quid igitur ſit dicendũ de hac primi motoris neceſsitate ſe offert conſiderandum; Et primo dico, quòd ſecundũ Ariſt. nè dum ex præſenti loco, hanc primi mo-

mi motoris neceſsitatem poſſumus probare, ſed etiam ex alijs pluribus locis ab Ariſt. deſumptis; Hic enim apertè dicit, q̃ primum mouens mouet ſecundum, è contrà, ſecundum non mouet primum, ſi ergo primus motor non moueret, licet colligere quòd cæteri non mouebunt; Quam neceſsitatem adhuc manifeſtauit Primo Cœlitex. 100. dùm dixit, A primo ente communicatum eſt omnibus eſſe, & viuere, his quidem clarius, his verò obſcurius, & quæ ibi ſequuntur, ſi ſic, ergo ſi illud primũ ens non eſſet, cætera entia non eſſent, nèc etiã operari poſſent; Inſuper Primo Metheo. tex. 4. dixit, Neceſſe eſt iſtum mundum inferiorem contiguum eſſe ſuperioribus lationibus, vt omnis eius virtus gubernetur, ſic dicens clarè manifeſtat omnia à primo principio dependere, adeòq́; ab illo depẽdere, quòd ſi illud non eſſet, cætera nèc eſſe, nèc operari poſſent; Inſuper Nono Metaph. tex. 29. apertè hãc primi motoris neceſsitatem ſignificauit dicens, Si nõ eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, nihil eſſet, quid clarius? (Secũdo eſt notandũ, quòd aliud ẽ quærere, An cęlo quieſcẽte hæc inferiora poſsit moueri, Et aliud eſt quærere, An ſi primæ cauſæ nõ eſsẽt, cætera hæc inferiora eſſent,

ac

ac operarentur : De quibus inferioribus loquendo, adhùc tertio est notandũ, tria in illis considerari; Primò considerat ur ipsorum esse, Secundo considerat ur ipsum operari, Vltimo in illis cõsideratur ipsũ pfectè operari; Quibus adnotatis, Primo dico quòd si quæratur, An Cœlo quiescẽte, ista inferiora ordinatè mouebuntur, an nõ; Absolutè pars negatiua est accipienda; Si enim cœlum quiesceret, profectò hæc inferiora ordinatè non possent moueri; Cuius ratio est, quoniam ex communi omniũ sententia, ordo pẽdet à cœlo; Si modò sit sermo de operationibus istorum inferiorum, & quæratur, An Cœlo quiescente, hæc inferiora poterunt operari, an non; In isto quæsito Plato, & Arist. discordant; Plato concedit, quòd cœlo deficiente à motu, adhuc elementa mouerentur; In Thimeo enim dixit, quòd mundus antequàm generaretur, materia mũdi inordinatè mouebatur, vbi per materiam mundi, intelligit ipsa quatuor elementa, à quibus elementis non remouet motum antè mundi generationem, licet ille motus sit inordinatus, solummodò ab illis negat ordinem; Cui Platonis sententiæ Arist. aduersatur, dum hic dicit, quod primo motore non mouente,

nec

nèc cæteri motores mouere possunt, & sēp loquitur de motoribus essētialiter ordinatis, causa.n. secūda cū causa prima essētialē habet ordinē, idcircò causa secūda quo ad opari necessario à prima pēdet, & ideò Arist. absolutè dicit, ꝙ primo motore nō mouēte, nèc cæteri mouere poterūt; Quapropter secūdū Aris. loquēdo, pars negatiua sustinēda est, eo quia clarè Arist. hic dicit, ꝙ primo motore nō mouēte, nèc ēt secundus motor, nèc ēt cæteri motores poterūt mouere, cuius ratio ē, quia secūdū Arist. hi motores sūt essētialiter ordinati, sicut iā dictū est, & adeò sunt essentialiter ordinati, ꝙ secundus motor in operari, necessariò pēdet à primo motore, & ideò absolutè dicit Aristot. ꝙ si primus motor nō moueret, nèc cæteri mouere possent; pariter si Cœlū à motu cessaret, ex Arist. sētētia esset dicēdū, ꝙ elemēta ēt quiescerēt; Et si quis dicat, oppositū ēe asserēdū, eo quia Cœlo quiescēte ignis adhuc esset ignis, suāq; seruaret naturā, sicq; ignis adhuc esset calidus, sicq; in seipso haberet p̄ncipiū motus, cū natura sit principiū motus, & quietis, & hoc fuit argumentū in p̄ncipio ist ius difficultatis adductū; Cui respōdeo, ꝙ verū est, naturā esse principiū motus, nō tamē primū absolutè,

ac

ac simpliciter, sed primum in eo .s. quod mouetur, sicut clarè habetur ab Aristot. in principio Secundi huius, dum naturam diffiniuit, dixit enim, Naturam esse principiũ aliquod, & causam mouendi, & quiescendi ei, in quo est, primum, perse, & non secundũ accidens; sicq; natura est principium motus in proprio subiecto; Sed hoc principium præsupponit principium prius, quemadmodum, & natura præsupponit Deum, sinè quo natura nequaquàm posset operari; Et ita in proposito, cum dicitur, ignis agit vt calidus, hoc est verum, considerãdo causam proximã, at illa causa semper aliã præsupponit priorem causam, à qua operatio ignis dependet; Et ideo in Testamẽto veteri, in Lib. Danielis Prophetæ legitur, quòd tres illi pueri, Sydrach, Mysach, & & Abdenagho positi in medium fornacis ardentis, & ligati, non comburebãtur, sed ambulabant in ea; Huius causa erat, (sicut nonnulli dicunt,) quoniam prima causa non cooperabat, quæ prima causa semper cum secunda concurrit in operatione, & quia Deus cum igne tunc non cooperabatur, ideò tres illi pueri non comburebãtur; Crediderim tamen hoc absolutè non esse dicendum, & ratio quæ me mouet, hæc est,

est,quòd ille ignis illius fornacis erat ardēs & comburebat ligna ibi existētia, comburebat etiam illos viros,qui in fornace illos tres posuerunt pueros,& Nabuchodonosor qui eos in fornace fecit ponere, etiam fuisset ab illo igne combustus,si in ea ipse fuisset quoq; positus; Quocircà verius esse dicendum arbitròr, qnòd illi tres pueri in fornace illa ardenti positi,non conburebātur,eo quia virtute absoluta primæ causæ, seù Dei,reddebātur immunes ab illa vstione,à quo igne,ligna,& illi viri,qui tres illos pueros in fornace posuerunt, comburebātur,& combustus fuisset pariter Nabuchodonosor; quare inferrendum est,quòd cœlo quiescente, hæc inferiora, ac cæteræ secundæ causæ minimè possent operari; Si autem quæratur, An Cœlo quiescente remaneant ista inferiora, & an esse possint; pars affirmatiua tunc est sustinenda; Et ratio est,quoniam adhuc remanēt causæ primæ,à quibus esse illorum dependet, benè tamen verum est, quòd & si hæc inferiora remaneant,supposita cœli quiete,ꝙ tūc nó operantur,propter rationem dictam, nēpè quia causę secundæ non possunt quicquàm operari,non cooperante prima causa, qua prima causa non existente,seù supposito ꝙ non

non existat, absolutè esset dicendum, nihil esse posse, sicut ab Arist. fuit dictum Nono Metaph. tex. 17. præcitato; Si autem quis dicat, quid erit dicendum de materia prima, quæ est incorruptibilis, & quæ sinè formis esse nō potest; Dico, quòd si quis supponat primam causam non esse, non debet esse mirū, si sequātur impossibilia, eo quia supposito vno maximo impossibili nō debet esse mirum, si alia sequuntur impossibilia, sicut dixit Arist. Primo huius in fine tex. 10. Ex quibus declaratis conclusionibus, manifestatur cuilibet maxima differētia inter illa duo quæsita, quorum vnū fuit; An Cœlo quiescente hæc inferiora possint moueri; Aliud fuit, An supposito q̄ prima causa non esset, an cætera hæc inferiora esse, ac operari possent; quæ duo maximè diuersa esse, suprà dixi, quod illud fuerit rectè dictum, patet.

Controu. super tex. 36.

An id q̄ ē per accidēs possit ee necessariū.

DICIT Arist. (Non enim necessarium est accidens, sed contingit nō esse;) Consimilem habuit sententiam Primo huius, tex. 28. ac Primo Post. Cap. de perse; Contrà quam sententiam multipliciter instatur, & Primo sic; Priuatio est principium per accidēs, quæ tamen ē principium

cipium necessarium; Insuper hæc propositio, Cygnus est albus, Coruus est niger, & consimiles, sũt ꝓpositiones cõtingẽtes, quæ tamen sunt necessariæ, cũ huiusmodi accidentia necessario insint suis subiectis, sintq; ab illis inseparabilia; Insup, Secundũ Auerroẽ Primo Post. Illa ꝓpositio in qua vna ꝓprietas de altera prędicatur, (vt exẽpli gratia) si dicã, risibile est capax disciplinæ, est prædicatio, & ꝓpositio per accidẽs, quæ tamen est necessaria, si sic, igitur Arist. sentẽtia hic dicẽtis, Accidens nõ esse necessariũ non erit vera; Nunc dimittendo istam difficultatem, quia satis ẽ declarata Primo Post. in solut. Cõtrouer. super tex. 44. vbi dictũ est ex sentẽtia Themist. ibi Cap. 6. inquirẽtis, An id ꝙ ẽ per accidẽs possit ẽẽ necessariũ; Dico, ꝙ duplex ẽ accidẽs necessariũ, aliud simpliciter, & hoc accidẽs necessariũ simpliciter est illud, ꝙ conuertitur cũ ipso perse, ꝙ accidẽs necessariũ simpliciter dixit ibi Themist. duas habere cõditiones, vna ꝙ habeat habitudinẽ essentialẽ ad ipsũ subiectũ, altera ꝙ talis habitudo sit per se, quas propõnens Auerroes nõ vocat necessarias, sed de inuento, & de inesse; Aliud est accidens necessariũ non simpliciter, sed secũdũ qd, & ẽ illud, quod habet habitudinẽ

neces-

necessariam ad ipsum subiectum, non tamẽ essentialem, sicuti sunt propositiones dictę, & de quibus iam data sunt exempla; Tunc dico, quòd Arist. hic loquitur de necessario simpliciter, non autem de necessario secundum quid; Et ideò Arist. hic dum dicit, q si omne corpus quod mouetur, mouetur à corpore extrinseco per accidens moto, & semetipsum exponit quid intelligat, (per accidens moto, & dicit, dico per accidens, quod contingit moueri, & non mouetur; quare licet sit aliquod principium per accidens necessarium, sicuti est priuatio, non ẽ tamen eo modo per accidens, quo loquitur hic Arist. Consimiliter ad alias instantias est respondendum.

An quãdo duo extrema insimul vniuntur in vno tertio, si vnũ extremorum seorsum potest existere, ẽt aliud extremum possit seorsũ existere.

Controu. j. super tex. 37.

INtendit Arist. probare, quòd motor ad hoc vt moueat, non debet moueri; Quã conclusionem vt commodè possit probare, sic procedit in textu; Primò accipit requisita ae motum; In secũda textus parte docet illorum conditiones; In tertia formal suam demonstrationem; In vltima eã confirmat ex sententia Anaxagoræ: In prima parte textus, tria dicit concurrere ad motus constitutionem, quæ sunt hæc, Mouens, mobile quo tertium. est id mouens

mouet

mouet mobile; (vt exempli gratia, Deus mediante cœlo mouet hunc mundum inferiorem, Mundus iste inferior est ipsum mobile, Deus est ipsum mouens, Cœlum est id, quo Deus mouet mundum hunc; Conditiones his tribus requisitas, docet in secunda textus parte, quæ sunt hæc; De ratione mobilis est vt moueatur; De ratione illius quo fit motus est, vt moueat, & moueatur; De ratione motoris est, vt moueat, sicut patet in exemplo dato; In tertia parte formal suam demonstrationem, quæ talis est; Datur mobile quod tantummodo mouetur, sed non mouet, datur id quod mouet, & mouetur, igitur dabitur mouens, quod adeò mouet quòd nequaquàm mouetur, & hoc est mouens immobile; Quæ ratio fundatur in ista maxima, quòd quãdo duo extrema vniuntur in vno medio, si vnũ extremorum potest seorsum, & sinè medio esse, etiam alterum extremum poterit seorsum, & sinè medio esse, sicut patet de oximelite, in quo mel, & accetum insimul vniũt, si igitur datur accetum seorsum existens, datur accetum, & mel insimul vnita, dabitur ergò etiam mel seorsum existens; Circà quã Arist. rationem, quatuor sunt adnotanda, Et primum quod occurit, est illa maxima

ab Arist. accepta, quæ patitur multas in-
stantias; Et primò de substantia,& accidẽ-
te,quæ simnl vnita reperiũtur in composi-
to, reperitur etiam substantia sinè accidẽ-
te,vt patet de substantijs abstractis,non ta-
men sequitur dari accidens sine substantia,
cum naturaliter loquendo, non posit dari
accidens sinè subiecto; Insuper est instan-
tia de materia,& forma,quæ simul in com-
posito reperiuntur, reperitur etiam forma
sinè materia,vt patet de substantijs abstra-
ctis, ergò reperietur,& dabitur materia si-
nè forma,non valet, cum hoc sit impossi-
bile; Insuper est instantia,de quantitate,&
qualitate,quę vniuntur in elementis, repe-
ritur etiam quantitas sinè qualitate, vt pa-
tet de cœlo,non tamen sequitur, quòd re-
periatur qualitas sinè quantitate,cũ sit im-
possibile quòd qualitas recipiatur in sub-
stantia citrà quantitatem; Insuper animal,
& color in vno tertio reperiuntur,vt patet,
reperitur etiam coloratum absq; animali,
nequaquàm tamen sequitur, reperiri aial
sinè colorato; Possunt afferi qnàm plures
aliæ instantiæ,sed hæ sufficiant; Et quia q̃
plurimi dicunt, rationem illam, & modum
arguendi talem procedere in motu locali,
eo quia in illo,tria prędicta reperintur,pri-
mum

mum mouens, medium quo fit motus, & mobile quod non amplius mouet; Contrà sic dicentes, est instantia, Eo quia talis arguendi modus nō verificatur in omni motu locali, quando enim homo semetipsum mouet, nō reperiuntur illa tria, sicut patet, ergò &c. In ista difficultate duo sunt modi dicendi; Primus est Simpli. qui dixit, istam maximam non esse vniuersaliter verā, sed tantum vt in pluribus, & dat instantiam ipse hanc, vt declaret suam solutionem; apud Gramaticos dantur consonantes, & vocales quæ simul vnitæ faciunt sonum, dantur vocales quæ seorsum habent sonum, ergò consonantes pariter seorsim acceptæ faciēt sonum, non sequitur; idcircò dixit Simpl. quòd talis arguendi modus est dialecticus, & hanc esse Arist. sententiam hic, dixit ipse eo quia Arist. in principio textus dixit, (Et rationabiliter hoc accidit;) sic loquutus ē, vt innueret quòd talis probatio est famosa, & dialectica; Alius tamen fuit respondendi modus Auerrois, qui etiam rectior est, & quem insequitur D. Tho. Qui dixere, quòd illa maxima, in qua Arist. ratio fundatur, quæ fuit; Quando duo extrema reperiuntur vnita in vno tertio, &c. habet veritatem, seruata hac vna conditione, quòd illa duo

Respons. Simplic.

Respons. Auerr. & D. Tho: Et vera.

extrema accidentaliter coniungantur in illo tertio, ideo si vnum extremorum seorsim dabitur, & alterum etiam extremũ seorsim dabitur, at si illa duo extrema essentialiter in vno tertio erunt vnita, talis propositio non erit vera; In accidentaliter igitur ordinatis talis arguendi modus sit validus, minimè in essentialiter ordinatis; Et sic de facili omnes tolluntur instantiæ adductæ, & quæ possunt adduci; Et prima de substantia, & accidente non procedit, cum illa non sint accidentaliter vnita, sed essentialiter; Pariter, & illa de materia, & forma hæc non accidentaliter vniũtur, immò omnis forma necessario requirit materiam ad sui esse; Similiter & illud de animali, & colorato deficit, cum illa non sint accidentaliter vnita, sed de necessitate animal requirat colorem ad sui esse; Consimiliter ad illud de quantitate, & qualitate est dicendũ; Et quia dixi hunc respondendi modum esse rectiorem, hoc declaro, faciendo satis instantiæ adductę à Simpl. de consonãtibus, & vocalibus, qui sic arguens decipitur, cum vocales, & consonantes dupliciter possint vniri, vno modo absolutè, alio modo possunt vniri, quo .s. ad istam conditionẽ, quæ est, causare sonum; Si primo intelligat modo

do Simpl. sic verum est, q̃ per accidẽs vniuntur; Si autem dicat, consonantes cũ vocalibus vniri quo ad habere sonum, tunc falsum dicit, quòd vniantur per accidens, immò sic quo ad facere sonum, essentialiter vniuntur, cum consonantes quo ad sonum considerata, requirant necessario vocales ad sui esse, quocirca eius instãtia cessat; Sed contrà hanc determinationẽ quis insurget sic, Intelligens, & intellectum per accidens vniuntur in homine, & reperitur intellectus sinè intelligente, vt lapis, qui est solum intellectus, minimè est intelligens, non tamen sequitur, quòd reperiatur intelligens sinè intellectu; Insuper, si modus hic arguendi Arist. valet solummodo in accidentaliter ordinatis, sua ergò ratio nihil concludet, cum falsum dicat, quòd mouere, & moueri per accidens vniantur in medio, quo fit motus, immò illa duo, nempè mouere, & moueri, necessario, & essentialiter coniunguntur ipsi medio, quod probo, quia de ratione essentiali ipsius medij, vt medium est, est mouere, & moueri, non ergò per accidens illa duo cum medio erunt vnita, sed necessario, & essentialiter, ergò sua ratio non procedet, stante conditione dicta, sed potius conditio dicta destruet ra-

Contrà determinationẽ.

Euasio. tionem Arist. Quibus respondeo, & dico, quòd prima ratio cessat, cum assumat falsũ nempè intelligens, & intellectum accidentaliter in homine vniri, immò totum oppositum est, quòd essentialiter in homine cõiunguntur, quod patet, quia vnum ad esse alterius necessario concurrit, & necesse est, quod omne intelligens sit intellectus, cum omne ens intelligens de sui natura sit intelligibile, & compræhensibile; Quo ad secundam, concedo q̃ de essentia medij, quatenus medium est, sit mouere, & moueri, at medium non sic accipitur ab Arist. hic, sed illud cõsiderat sub ratione qua est corpus naturale, sub qua ratione per accidens est quòd medium moueat, & moueatur; Ad secundum principale, Dico quòd de facto ita est, quòd illa tria non sunt necessario in omni motu locali, non enim semper in illo reperiuntur, sed aliquando, sicut in motu elementorum.

Controu. 2. super tex. 37.

An de rõne mobilis sit moueri tantum, non aũt moueri.

INquit Aristotel. (Id igitur quod mouetur, necesse est quidem moueri, mouere autem non est necesse;) Quorum verborum sensus satis clarus est; Sed contrà

contrà Aristot. insurexit Macrobius in Libro de Somno Scipionis argumento satis subtili, quo probat, quòd sicut mobile necesse est moueri, sic etiam necesse est quod moueat; Et argumentum est tale; Oẽ mobile est corpus, si igitur mouetur, ergò mutat locum, qui locus cum sit alio corpore repletus, necesse est vt illud mobile repellat illud aliud corpus ex tali loco, si sic, ergo mouet illud aliud corpus, & sicut dico de illo mobili quod aliud mouet corpus, sic etiam de illo alio mobili, quod ab illo mouetur est dicendum, quod cum moueatur, pariter & illud mutat locum, qui locus erat quoq; alio corpore repletus, ergo necesse est, vt illud aliud corpus ab illo loco remoueatur, si sic, igitur illud aliud mobile mouet aliud corpus, sic quoq; de illo alio est dicendum, ergò necesse erit, quòd omne mobile sicut mouetur, quod etiam moueat; dò exemplum, homo mediante vecti mouet lapidem, sicut lapis mouetur, ita etiam necesse est, quod moueat, cum enim mouetur, mutat locum, qui locus cum sit corpore repletus, tunc lapis expellit illud aliud corpus ab illo loco, ipsum expellendo, constat quòd illud mouet, & sic de alio, ergò omne mo-

bile ſicut mouetur, ſic etiam mouet, ergò Ariſtot. ſententia eſt falſa dicentis, ꝙ non eſt neceſſe ꝙ mobile moueat, cum hoc ſit neceſſarium; Sed huic argumento reſpondetur, ꝙ ob hoc non eſt neceſſarium ꝙ omne mobile moueat aliud, & quod detur proceſſus in infinitum, & ratio eſt, quia vnũ corpus occupat locum alterius, ſi enim lapis expellit aerem ab aliquo loco, ſtat ꝙ aer ille recipiatur in locum lapidis, ſimiliter ſi vna pars aeris recedit à ſuo loco, & alteram partem aeris depellit à ſuo, ſtat etiã ꝙ pars depulſa ſubingrediatur in locũ partis repellentis, ſicq; nõ ſemper mobile mouebit aliud corpus, nec erit in infinitũ progredi; Inſuper tale argumentum remouetur, negando eſſe neceſſarium, quòd omne mobile moueat, eo quia ex ſententia Ariſ. Quinto huius, datur con-ſenſatio, & rarefactio corporum, & ideò ſtat, ꝙ lapis in aliquem ingrediatur locũ, abſq; hoc ꝙ à tali loco aer qui in illo erat loco egrediatur, ratio eſt, quia aer in illo loco contentus condenſatur, ſicq; non eſt neceſſe, quòd mobile ſemper moueat, nec ꝙ ſit procedere in infinitum in ipſis mobilibus, adeò ꝙ ſemp aliud moueat mobile, ſicut dicebat Macrobius.

Con-

Controue. 3. super eod. tex. 37.

An de rõne illius quo fit motus, sit mouere, & moueri; Et an ista ppositio verificetur in quolibet motu.

ADhuc inquit Aristot. (Id autẽ quo mouet, & mouere, & moueri; pariter enim mutatur hoc simul, &c.) In quibus verbis vult Arist. quòd illud quo fit motus debet mouere, & moueri; Quod dictum non videtur habere veritatem; nã magnes aere medio mouet, trahitq; ad se ferrum, & tamen aer non illud mouet, nec mouetur, sicq; sepè, & sepius vnum extremum agit in aliud extremum, non tamen in medio; Propter hæc, dixit Auerroes hic, q̃ hoc Arist. dictum præcipuè verificatur in motu locali, in quo omne mediũ in mouẽdo mouetur, in motu alterationis dixit, hoc dictum non habere veritatem, eo quia orbis lunæ est medium: quo sol calefacit hæc inferiora, qui tamen à sole non calefit; Pariter, hoc idem est videre de pisce illo, qui dicitur torpedo, qui mediante rethe stupefacit, & mortificat manum piscatoris, & tamen stuporem nõ inducit in rethe; Ideò propter hæc, difficultas est, An Arist. propositio de omni verificetur motu, an non; Prò nunc dicerem, quòd propositio dicta in omni verificatur motu; Aristot. autem exemplificauit de motu locali, quia talis propo-

propositio in tali motu erat manifestior, de alijs verò motibus habet etiam veritatem, sed minus manifestam, Et ad hoc vt verificetur de omni motu, est notandum, quòd actio agentis est duplex, alia principalis, alia secundaria, quæ primam concomitatur, dò exemplum; Actio principalis torpedinis est agitare rethe, actio eius secundaria est, manum piscatoris mortificare, ad agitationem enim illam concomitatur stupor, seù mortificatio in manu piscatoris; Similiter actio principalis ipsius solis est illuminatio, actio eiusdem secundaria est calefactio; Quod cum ita sit, tunc dicendum est, quòd nullum agens agit in extremum, nisi prius agat in medium, hoc esse verissimum, loquendo de actione principali, sol enim hæc inferiora non potest illustrare, nisi prius in orbibus medijs lumẽ producat; Pariter nèc torpedo potest agitare manum piscatoris quin prius agitet rethe; At si loquamur de actione secundaria, propositio dicta nõ retinet veritatem, actio enim secundaria potest recipi in extremo, absq; hoc, quòd recipiatur in medio, cuius causa est, quia medium illud nõ est aptum recipere actionem illam secundariam, & ideo si Sol illuminat istum mun-

dum

dum inferiorem, illuminat etiam orbē Lunæ, nèc alios orbes medios, ratio est, quia illa est actio primaria, hęc verò est actio solis secundaria, cum calefactio sequatur ad ipsam illuminationem; tum quia orbes medij non sunt apti recipere illam caliditatem, benè sunt apti recipere lumen, & primam solis actionem; Similiter actio primaria ipsius torpedinis, quæ est agitatio, non potest in manum induci, quin prius inducatur in rethe, at actio illius secundaria, quæ est stupor, seù mortificatio recipitur in manu, at non in rethe, quia illius non est capax, benè rethis est apta recipere primariam torpedinis actionem, ipsam agitationem.

Controu. 4. super tex. 37.

An Arist. rectè dicat Anaxagoram posuisse mentem diuinam separatā à mā, ad hoc vt esset principium motus.

IN quarta, & vltima textus parte, dicit Arist. (Quapropter, & Anaxagoras rectè dicit, mentem impassibilem inquiens, &c.) Confirmat Arist. ex authoritate Anaxagoræ suam sententiam, qua dixit, Non esse necessarium quòd mouens adhoc quòd moueat, vt etiam moueatur, sicq; probat primum motorem in mouendo nō debere moueri; Dicitq; quòd Anaxagoras cognoscens hanc veritatem, nempè q̄ primus motor non debet moueri, ponebat mentem

mentem diuinam separata ã chao,& à materia, ad hoc vt esset principium motus; Qui sic dicens, sibi videtur contrarius esse hic,& Tertio de Ani. Tex.4. ibi enim dixit mentem diuinam à materia separatam esse,ad hoc vt intelligeret,hic modò dicit,eã esse à materia secretam,ad hoc vt ipsa esset motus principiũ; At si recursus habeatur ad Arist.in Primo de Ani. tex.31.nulla erit in Arist. hęc contrarietas, Quia ipse Arist. ibi notat, Anaxagoram posuisse mentẽ diuinam abstractam à materia propter duas causas,quarum altera erat, vt esset motus principium,altera verò erat,vt esset principium intelligendi, sicq; separatio diuinæ mentis à materia,duas præbebat vtilitates primam hic ponit, secundam ibi posuit; Sed prò maiori dilucidatione est sciendum, quòd hæc separatio mentis diuinæ à materia, quinq; præbet vsus, primus hic habetur,quòd hæc diuina mens erat soluta à materia, ad hoc vt esset principium motus; Secundus vsus habetur Tertio de Ani. qui est, adhoc vt sit intelligendi principium; Tertium vsum ponit in fine istius Octaui, qui est, adhoc vt sit principium motus aterni,ibi enim docebit, motum aternum colli dependere à motore aterno à materia separato;

parato; Quartus vsus habetur ab Arist. Vndecimo Metaph. Cap. 2. qui est, vt in rebus seruetur ordo, ideò ibi dixit, quòd si nõ essent substantiæ abstractæ, nõ daretur ordo; Et indè est, quòd in Duodecimo Metaphy. tex. 92. docet, in primo motore à materia separato esse originem ordinis, tamquàm in causa; Quinta vtilitas est, quòd si non essent substantiæ separatæ à materia, nihi esset, ratio est, quia corpora omnia pendent ab aliqua substantia separata, & ideò Nono Metaphy. dixit, quòd si non essent substantiæ abstractæ, nihil esset.

Controu. 1. super tex. 38.

An processus in infinitũ detur, & cõ sic, & qñ non.

VErba Arist. sunt hæc, (Aut non sic quidem, sed secũdum aliud, ex alio genere, vt quod fert quidem augeri &c.) In quibus verbis docet, quòd in mouẽtibus, & mobilibus necessarium est deuenire ad vnum primum, eo quia non est dare processus in infinitum; Cuius oppositum ipse Aristot. visus est docere in Primo Cap. istius Octaui, vbi habuit semper prò incõuenienti motum incepisse, nèc posse dari motum primum, quia quocumq; motu dato, semper sequebatur dari alium motum

illo

illo priorem, sicq; esset progredi in infinitum; Aprobo communem solutionem, quę est hæc, quòd duplex est ordo, alius essentialis, alius accidentalis, in ordinatis essentialiter absurdum est dari processum in infinitum, at in ordinatis accidentaliter non est absurdum dari processum in infinitum, de essentialiter ordinatis hic loquitur Aris. at de accidentaliter ordinatis suprà Arist. loquebatur; Sed ad hoc vt hæc distinctio de doplici ordine cuilibet reddatur clara, hæc quæ sequuntur sunt notanda; Et primo est notandum, quòd iste duplex ordo reperitur in omni genere causæ, vt in materia datur ordo essentialis, & ordo accidentalis, vt si mente concipiamus materiã primam, demum quatuor elementa, demum mista similaria constituentia membra animalium, tunc consideramus ordinem essẽtialem in genere causæ materialis; In quo etiam considerabitur ordo accidentalis, quando dicemus quòd hic ignis est genitus existo ligno, & sic de alio; Sicut dico in materia duplicem istum ordinem considerari, sic de forma, & efficiente, ac fine erit dicẽdum, q̃ in illis isti duo ordines reperiũtur; Sed quæret quis, quid sit ordo essentialis, quidq; sit ordo accidentalis; Respondeo,

quòd

quòd ordo accidentalis est ille, qui attēditur,& reperitur inter varia indiuidua eiusdem spetiei,vt si dicam, ego sum genitus à patre meo Alexandro, pater meus Alexāder à patre suo Iuliano, pater suus Iulianus fuit genitus à Blasio, Blasius à Francischo,& sic de reliquis,hic ordo est accidentalis,cum sit inter diuersa indiuidua eiusdem spetiei, in quibus non sunt diuersæ essentiæ distinctæ adinuicem subordinatæ, sed vna,& eadem est essentia in istis separatis adinuicem indiuiduis reperta; Ordo etiam dictus est accidentalis, eo quia non ē necessarius, cum ista indiuidua, non ita se habeant,vt secus,& aliter non possint esse, cum illa indiuidua potuerint generari, & saluari per alia indiuidua; Qui ordo adhuc est accidentalis ratione principiorum constituentium illa indiuidua, cum illa principia sint accidentia propria, per quæ vnū indiuiduū difert ab alio, sicut colligitur à Porphyrio in fine Capit. de Spetie, vbi per descriptionem quid sit indiuiduum manifestauit; Ordo essentialis est ille,qui repetitur inter ea,quę sunt alterius, & alterius spetiei, alteriusq; & alterius gradus, adeò quòd prius sit causa necessaria posterioris; & iste ordo dicitur essentialis, quoniā

ea in quibus reperitur, habent essẽtias spẽ-
tie distinctas; Adhuc quære quis, quæ sit
differentia inter essentialiter ordinata, &
inter accidentaliter ordinata: Quæ licet sit
nota ex nunc prædictis; Iam adhuc magis
declaro, & dico quòd differunt tribus dif-
ferentijs, vna est, quòd ea quæ sunt essentia-
liter ordinata postulant semper aliquod
primum à quo dependent quod primũ nõ
attenditur in accidentaliter ordinatis, cu-
ius differentiæ ratio est hæc, quòd illud q̃
est primum, semper est principium motus,
quod principium motus semper prærequi-
runt ordinata essentialiter, minimè ordi-
nata accidentaliter; Ideo in essentialiter
ordinatis de necessitate semper dabitur id
quod est primum; Secunda differentia hæc
est, quòd ordinata essentialiter ita se habẽt,
quòd omnia simul concurrunt ad produ-
ctionem motus, quod non attenditur in ac-
cidentaliter ordinatis, vt exempli gratia,
ad generationem hominis concurrunt ne-
cessario simul Deus, Cœlum, Sol, & homo,
ratio est, quia inter ista agentia est ordo es-
sentialis, sicut patet; Tertia differentia est
hæc, quòd in ordinatis essentialiter non li-
cet procedere in infinitum, qui processus
in infinitum in accidentaliter ordinatis da-

ri

ri non est absurdum; Ratio huius differentiæ colligitur ex duabus prædictis, si enim essentialiter ordinata exigunt semper aliquod primum, si etiam omnia simul cõcurrunt ad productionem motus, sequitur ergò quòd hæc essentialiter ordinata simul sint, ac quòd simul operentur, ideò in illis non erit progradi in infinitum, quia si sic, tunc daretur infinitum actu, quod infinitũ actu non potest dari, iuxtà declarata ab Arist. in Tertio huius; qui processus in infinitum potest dari, immò datur in accidẽtaliter ordinatis, ratio est, quia talia hęc nõ simul sunt, nèc simul operantur, sed eorum esse est in quadam successione, ideò constituunt infinitum in potentia, quod quidem datur, sicut ipse Arist. ibidem in Tertio huius docet.

Controu. 2. super eod. tex. 38.

An sit absurdum idem esse in actu, & in potentia agens, & patiens.

HAbet hæc verba Aristot. in secunda parte textus; (Amplius autem magis irrationabile est, quòd accidit, omne motiuum esse mobile, si omne quod mouetur, ab eo, quod mouetur, moueatur;) In qua parte textus format secundã rationem, qua probat, quòd mouẽs ad hoc vt moueat, non moueatur perse; Et ratio hæc est, quòd si sic esset, sequeretur q̃ idem

esset in actu,& in potentia,agens,& patiẽs, quod est absurdum; Sed id quod ipse iudicat absurdum esse, minimè secundum eius doctrinam est absurdum,ergo sua ratio erit nulla; Quod declaratur,secundum .n. eius doctrinam in tex. 37. præcedenti habitã, datur id quo mouens mouet, de cuius natura est vt moueat, & moueatur eadẽ spetie motus,vt exempli gratia ignis nos calefacit aere medio, aer ita se habet, quòd calefacit nos,& insimul calefit à sole, ergò aer insimul,& semel erit in actu,& in potẽtia, agenssq; & patiens, vt enim calefacit nos est in actu, at quatenns ab igne calefit, sic erit in potentia;eccè ergò quòd id quod Arist. iudicat absurdum per eius dicta minimè est absurdum; Quod adhuc alio declaratur exemplo, homo mediante vecti mouet lapidem,patet quòd vectis insimul, & semel mouet,& mouetur,mouet lapidẽ, mouetur verò ab homine,ergo &c. Vt saluetur Arist. sciendum est, quòd motor est duplex,vnus principalis, alius non principalis, sed instrumentarius, motor principalis est ille,qui est motus principium,motor non principalis est ille,mediãte qno fit motus; Tunc dicendum est,quòd quando Aristot. habet prò absurdo, quòd mouẽs mo-

ueat,& moueatur eadē ſpē motus,quia idē eſſet in actu, & in potentia, quòd loquitur de mouente primario, at ſi oppoſitum cōtingat,illud eſt verum de mouente medio, ſeu inſtrumentali; Sed dicet ille,quæ ē causa huius diuerſitatis, quòd abſurdū ſit mouens principale mouere, & moueri, minimè de mouente inſtrumentario? Dicendū quòd cauſa diuerſitatis eſt hæc, q̄ mouens non principale,ſed medium, ſeù inſtrumēterium,ſub ratione qua medium eſt,in motu duas habet relationes,vnā ad prę̄cedēs, aliam ad ſubſequens, per reſpectum quem habet ad antecedens,mouetur,& eſt in potentia,per reſpectum verò ad poſterius,ſeù ad ſubſequens,ſic mouet, & eſt in actu, at mouens primarium vnum tantum habet reſpectum, cum enim mouens principale ſit primum motus principium,ad aliud prius nō poteſt referri, ideò nequaquàm mouetur,ſed tātūmodò mouet ipsū poſterius, ad q̄ tātūmodò refertur,ſicq́; tātummodò mouet,& tātūmodò eſt in actu, q̄ declaro, exēplo dato de igne, dū calefacit nos mediante aere;ignis cū ſit primū principium calefaciendi,ad aliud ſuperius nō poteſt referri,vt patet,ideò ſolūmodò eſt in actu, & mouens,at aer cū ſit mediū,p q̄d ignis nos

calefacit, est in actu, & in potẽtia, est agẽs, & patiens, sed per diuersas habitudines, vt enim habitudinem habet ad ignem, sic mouetur, sic quoq; est in potentia; per habitudinem verò quam habet ad nos, sic mouet, sic etiã est in actu, sicq; per istos diuersos respectus quos habet, nõ est absurdum ꝙ moueat, & moueatur eadẽ spetie motus, & ꝑ cõsequẽs ꝙ sit in actu, & in potentia.

Controu. super tex. 40.

An omne ꝙ mouetur sit diuisibile tn semp diuisibilia.

IN principio istius textus, ponens intentionem suam dicit; (Quare hoc considerandum est facto alio principio, si quid mouet seipsum, quomodò mouet, & secundũ quẽ motũ;) Quorum verborũ sensus est satis clarus; Proponit enim considerandum esse, quomodo contingere possit, ꝙ aliquid moueat semetipsum, quod non ob aliud proponit esse declarandum, nisi vt deducat nos ad motorem immobilem; Sequitur in textu; (Necesse est igitur omne, quod mouetur, esse diuisibile in semper diuisibilia, hoc enim ostensum est prius, in his, quæ vniuersaliter de natura;) Quæ propositio quã accipit, est vera tantum in his, quæ perse mouentur, de his autem quæ mouentur per accidens, non habet veritatem, sicuti sunt puncta, quæ tamen nullo modo diuidũtur;

Et

Et addit, hanc propositionem esse declaratam in vniuersalibus sermonibus de natura; Difficultas est hic, quomodo Aristot. possit allegare Sextum Lib. Phy. per vniuersales sermones de natura, Eo quia in Lec. æditis super prohæmium huius Primi, fuit à nobis declaratum ibi, ex sententia Simpli. Aristotelem diuidere hos Libros de Physico Auditu in duas partes, in partē de principijs, quæ contenta est sub quinq; primis, & in partem de motu, quæ continetur sub tribus vltimis, Sexto, Septimo, & Octauo, si sic, quomodo ergo hic allegat Sextum Lib. per vniuersales sermones de Natura; potius debebat dicere, sicut dictū est in vniuersalibus sermonibus de Motu; Diuus Tho. dixit, Aristot. vocasse Sextum Lib. sermonem vniuersalem de natura, eo quia in Sexto huius non disputat Arist. de motu, vt motus est, sed benè agit ibi de motu in vniuersali, & ideò Librum illum Sextum vocauit Arist. sermonem vniuersalem de motu; Ea verò quæ ibi dicta sūt de motu in vniuersali nunc applicantur ad res naturales; Quæ responsio Thomæ si est vera, eadem ratione sequitur, quod omnes Libri Phy. essent vocandi, Sermones vniuersales de natura, quia omnia quæ in illis declarā-

tur, applicantur rebus ipsis naturalibus, sicut & ea, quæ in illo Sexto; quare Octauus iste Liber appelandus esset quoq; de natura, quod tamen est falsum, cum illum semp vocauerit de motu; Simpl. dixit, Arist. hic per sermonem vniuersalem de natura, intellexisse Quintum huius, cum quinq; primi sint de natura, tres vltimi de motu; Sed hoc quod dicit Simpl. falsum est; Eo quia in Quinto huius nulibi habetur, qnòd omne mobile sit diuisibile in semper diuisibilia, sed benè hoc fuit ab Arist. in Sexto huius probatum, & præcipuè in text. 32. eo quia continuè est in termino à quo, & in termino ad quem, sequitur ergò ꝙ habeat diuersas partes, & per consequens, quòd sit diuisibile, quocircà expositio Simpl. est falsa; Quid sit dicendum, ignoro, fortasse textus est corruptus, & debet dicere, Sicut dictum est in vniuersalibus sermonibus de motu, cum ex sententia omnium græcorú, Arist. diuiserit hos Lib. Phy. in partem de principijs, quam vocat de natura, & in partem de motu, quæ est sub istis tribus vltimis contenta, nulluſq; Græcorum, neq; Latinorum, de hoc dubitauit, ita tamen dicit textus Græcus, & Latinus; Et licet dixerim, quòd fortasse tex. est corruptus, ob

rationem

rationem tamen nunc dictam, non audeo textum corrigere, nèc dico quòd vos ipsũ corrigatis, quia hoc argueret arogãtiam; Aut dicerem, & hæc solutio magis placet, q̃ error communis est omnium, qui credũt Arist. (per vniuersales sermones de natura,) intelligere tantũmodo Libros de Principijs, cum omnes, & quoscumq́; etiã alios intelligat; Qui omnes Libri Phy. vocãtur sermones vniuersales de natura, ideſt de accidentibus communibus naturæ, & ideo si illa propositio dicta, fuit ab Arist. in Sexto huius declarata, rectè dicet Aristo. dicens, sicut dictum est, in sermoninus vniuersalibus de natura, cum & Sextus Lib. sub tali inscriptione contineatur, cum & ipse sic de accidentibus communibus ipsius naturæ; Quòd autem omnes Libri Phy. communiter contineantur sub ista inscriptione, nempè, sub sermonibus de natura, textus clarus habetur ab Arist. Duodec. Metaph. qui post tex. 40. ibi referrẽs dẽclarata iu fine istius Octa. dicit, (sicuc dictũ ẽ in his, quę de natura;) vbi cõstat, q̃ Octa. istũ Lib. cõprehẽdit sub dicta inscriptione; si ergo ibi per sermones vnãles de natura, intelligit istum Octa. Lib. nõ aũt Libros de principijs, igit falsũ ẽ dicere, q̃ p talẽ inscriptione tãtũmõ

intelligat Libros de principijs, & si Octau. Lib. sic ab Arist. vocatur ibi, ergò & Sextus etiam poterit sic ab Arist. vocari.

Controu. 1. super tex. 49.

Quid intelligat Arist. in text. 49. (per motum qui semper est.

TExtus 49. sub istis incipit verbis;(Manifestum est autem hoc, quòd necesse est esse aliquid vnum, & perpetuũ primum mouens; ostensum est enim, quòd necesse est semper motũ esse;) In quo tex. intendit secunda ratione ostendere vntiatẽ primi principij, dico (Secunda rõne) quoniam in tex. 48. præcedenti primam adduxit rationem; Argumentatur autem nunc sic; Necessario semper motus est, ideſt, est æternus, ergò continuus, ergò vnus numero, ergò vnius motoris, & vnius mobilis æterni, ergo à primo ad vltimum, si necessarius est motus, necessarium est esse primum motorem, & primum mobile, & de ratione primi est quòd sit vnum, ergo vnus primus motor; Super quam rationem dubitauit Simpl. & satis rectè; Nã prima illatio, quam facit Aristo. nulla videtur esse, nèc paritèr antecedens quod accipit, dicit enim, Necessario semper motus est, ergo continuus; Quid intelligit Arist. per motum, qui semper est? aut enim intelligit motum in communi, aut motum primũ, si per motum

motum qui semper est, audit motum in cõmuni, tunc eius ratio nihil concludit, cum motus qui necessario semper est, seù qui é æternus, & de quo iàm in Primo Cap. ẽ loquutus, sit motus secundum successionẽ, qui licet semper sit, non tamẽ est æternus; Si verò per motum qui semper necessario est, intelligat motum primum, quomodo valet consequentia, quam infert? cum in isto mundo inferiori motus semper sit, non tamen continuus, & per consequens, nèc etiam vnus; Respondeo cum Simplic. & dico, quòd per motum qui est, seù per motum ætærnum, intelligit Aristo. motum primum, & licet suprà sit loquutus de motu in communi, & probauerit ipsum esse æternum, ob hoc tamen etiam in virtute manifestauit primum motum esse æternũ, eo quia motus in cõmuni, est in successione, nèc potest esse æternus, nisi mediante motu primo, à quo eius seruatur æternitas, quòd cum ita sit, colligitur quod id, quod consistit in successione, non verè est æternum, sed motus qui verè est æternus, est motus primus, quare concludo, quòd si Arist. sit loquutus de motu in communi, eius tamen sermo semper est principaliter intelligendus de motu primo, qui motus

pri-

primus est qui verè est æternus, sicq; antecedens suæ rationis est intelligendum, sic qnoq; & eius consequentia erit vera, quæ fuit, motus necessario semper fuit, igitur continuus, cum motus qui necessario sẽp fuit, non sit quilibet motus, sed sit motus primus, qui est causa quòd omnes alij motus semper sint, seù sint æterni, quiq; virtualiter includebatur sub motu in cõmuni; sicq; eius consequentia valet; Motus semper necessario fuit, igitur continuus, igitur vnus numero, cum inquàm id quod verè semper est, sit etiam continuum, & æternum, ad differentiam eorum quæ non sunt verè æterna, sicuti sunt illa, quæ habẽt esse successiuum.

Controu. 2. super eod. tex. 49.

An Arist. in tex. 49 deficiat innumerando cõditiones requisitas vnitati numerali motus.

IN hoc tex. oritur adhuc cõtradictio adnotanda, quæ est, quòd Arist. sibi hic, & Quinto huius tex. 34. videtur esse contrarius, ibi enim enumerans requisita ad vnitatem numeralem motus, tria enumerauit tantum, vnitatem temporis .s. quòd tempus non sit interruptũ, vnitatem mobilis, & vnitatem termini ad quem; Hic autem vltrà tres conditiones dictas, addit quartam .s. vnitatem motoris, aut ergo ibi diminutus, aut hic superfluus quorum nullum

lum est dicendum; profectò nèc ibi diminutus, nec hic superfluus est Arist. eo quia vnitatem motoris comprahendit sub vnitate formæ, seù termini ad quem; Et iste est Arist. mos, quòd vbi deficit in vno loco, in alio suplet, sicut facit in præsenti.

Contron. 3. super eod. tex. 49.

CVm in tex. præsenti 49. ac in præcedenti probauerit Arist. vnitatē primi principij; Ideò difficultas est declaranda, quomodo hoc in præsenti parte præstare possit, cum hoc pertinere nideatur ad primum Philosophum; & ideò suprà tex. 3. dixit, quòd quæstio proposita ibi de æternitate motus cōferebat methodo de primo principio, vbi per methodum de primò principio, intelligebat primam phyloſophiam .s. metaphysicam; Sed quia in ista difficultata diuersi sunt inter se expositores, ideò veritatem quæsiti prius aperiam, qua habita, secus sentiētes facilè erit reijcere, facilè etiam erit eorum respondere rationibus; Notandum itaq; est, q̄ loqui de vnitate primi principij, contingit dupliciter, vel simpliciter, & absolutè, vel limitatè, seù vt contrahitur ad primū motorē; Si sermo fuerit de primo pricipio simplēr & ab-

An probare vnitatē primi principij pertineat nāli Philosopho, vel diuino.

absolutè vno,& qnæratur ad quem artificẽ pertineat probare eius vnitatem absolutè sumptam ;Dicendum est, ꝙ vnitas primi principij simpliciter sumpta pertinet ad primum Phylosophum ; Quæ vnitas primi principij si considerabitur limitate, ac vt contracta est ad primum motorem,sic eam probare munus est Phylosophi naturalis; & ideò in presenti Octauo Libro probat primum principium esse vnum, prò vt hoc primum principium cõtractum est ad primum motorem ; At si theorema hoc de vnitate primi principij absolutè loquendo pertinet ad primum Phylosophum, dicet ille,quomodò, seù quibus medijs illã probat; Doctissimus Zimara in Solut. Contr. super isto Octa.dixit, quòd solus Metaphysicus est ille,qui potest hanc vnitatem primi principij probare, ac solum per media physica. Cuius sententiam non aprobo, quia & si Arist. Duodec.Metaph. hanc primi principij vnitatem medio naturali probauerit,ibidem tamen tex.49. eãdem probauit efficacissimè medio metaphysico tali,Primus motor est à materia omninò abstractus in prima enim intelligentia nulla reperitur materia,ergo &c. constat autem cuilibet quòd forma quæ est penitus à materia

teria separata, consideratur à Metaphysico,& est medium metaphysicum, ergò &c. Quam eandem vnitatem adhuc ibidē tex. 52. probauit adhuc alio medio metaphysico dicens; Quoniam omnia sunt ordinata in vnum solum finem, optimum, &c. Ex his patet Metaphysicum probare hanc primi principij vnitatem, mediisq; metaphysicis; Quam etiā probat naturalis Phylosophus limitatè tamen, sicut dixi, & contrahendo hoc primum principium ad ipsum motum, Et ideò patet, quòd hic dùm loquitur de vnitate primi principij, quòd solum colligit primum motorem esse vnū, at ipse Metaphysicus vniuersaliter loquitur, nec hoc primum principium applicat solummodo ad primum motorem, sed ad primam formam, ad vltimum finem, ad primum ens, ad primamq; substantiam, sic diuersimodè illud nominat, eo quia de eo vniuersaliter, & absolutè loquitur; Ex qua determinatione colligere licet, quòmodo naturalis Phylosophus probet hanc primi principij vnitatem, ac quomodo primus Phylosophus, quibusq; vtatur medijs; Colligitur etiā error illorum, qui dixere, quòd loqui de vnitate primi motoris, eamq; probare, tantūmodo pertinere ad Metaphysicum, cum

Meta-

Metaphxsica sit methodus de primo principio,& ideò Duodec. Diuinorum tex.43. 49. ac 52. tribus demonstrationibus illam manifestauit,& huius opinionis Auerroem esse dicunt,qui in isto Octauo Com. 45.& 48. dixit,munus esse primi Philosophi ostendere vnitatem primi principij; & hanc suam opinionem etiã rationibus comprobant; Dicuntq; ꝙ considerare Deum, de cuius ratione,& essentia est vnitas,pertinere ad primum Philosophum; Addunt etiã, ꝙ diuisio entis in vnum,& plura, est metaphysica,ergò &c. Quòd isti sic dicẽtes decipiantur,iam constat ex determinatione facta; Sed adhuc illorum error magis cõuincitur ex Arist. in præsenti parte,quitali vsus est ratione; Necessario semper motus est,ergò continuus,ergo vnus numero,ergo motor quoq; est vnus,quæ ratio est naturalis, cum medium quo vtitur, quod est æternitas motus,sit naturale; Nèc eorum rationes quicquàm cogunt,cum Metaphysicus vnitatem primi principij probet simpliciter,& absolutè,sicut dictum est,nõ autem contrahendo hoc primum principium ad primum motorem,sicq; etiam Auerroes est intelligendus; Si etiam primus Philosophus vnitatem Dei consideret, accipit vnitatem,

vnitatem, vt est de ratione Dei, ac vt ad eius pertinet naturam; Quæ vnitas demùm si consideretur in relatione ad primum motorem, sic consideratur à naturali; Similiter, diuisio entis in vnum, & plura, in ordine ad ipsum ens, pertinet ad ipsum Metaphysicum, quæ si consideretur in ordine ad res naturales, ac vt vnum, & plura applicantur rebus naturalibus, attinet ad ipsum naturalem.

Controu. j. super tex. 52.

TExtus iste 52. in quo Aristot. probat primum mouens esse omninò, & penitus immobile, est famosus, & consideratione valdè dignus; Ideò eius dicta sunt adnotanda; In prima parte text. formatur hanc rationem, qua probat conclusionem dictam, Nullum mouens quod est causa æterni motus potest moueri per accidés, at primum mouens est causa æterni motus, ergo primum mouens non poterit moueri per accidens, & per consequens, primũ mouens est penitus immobile; In secũda parte tex. quæ incipit ibi; Et manẽs ẽ in seipso & in eodem;) Confirmat ĩmobilitatẽ primi motoris pulcherimo exemplo, sũpto ab ipso vniuerso, seù ab ipso mundo, quem entiã

An manẽ e principio, cætera maneant.

enti nomine nominat,& ita arguit; Sicut se habet de ipso vniuerso,qui est effectus primæ causæ,& primi mouentis,sic se habet & de ipso primo mouente,sed mundus quem vocat ens, est immobilis omninò quo ad sui totum,manens in seipso, & in eodem loco, ergo & primum mouens erit omninò immobile; Addit (Principio enim manente,necesse est omne manere, continuũ existens ad principium;) In quibus verbis reddit rationem,quare mundus, seù vniuersũ semper maneat in eodem loco, & ratio est; Quia principio manente,& omne manere necesse est; Quæ propositio satis dubia est, manente enim patre,qui filij est principiũ, non manet tamen filius, ergò &c. Idcircò est attendendum,quòd illa propositio non est vera de omni principio,sed tãtum verificatur de illo principio, quod est ipsiùs effectus causa, tùm quo ad esse, tùm quo ad conseruari,qualis non est pater, qui tantũ est filij causa quo ad esse, minimè quo ad conseruari; at primum mouens Deus ipse est causa ipsius vniuersi,ac eius principiũ, tàm quo ad esse,quàm quo ad conseruari; Sed adhuc propositio illa sic limitata, veritatem non videtur habere, cum Cœlũ sit Dei effectus,& quo ad esse, & quo ad conseruari,

seruari, & cœlum est mobile, Deus tamen ē immobilis, ergò &c. Sed hæc instantia nihil concludit cōtrà prædictam propositionem, modo dicto limitatam, eò quia totus effectus illius principij habentis dictas duas conditiones, est assumendus, non autem pars effectus, sicuti est cœlum; at mundus, seù vniuersum est effectus totalis ipsius primi mouentis, ideò qualis est mundus, talis est Primus motor, qui pariter primus motor est principium integrum, & totale ipsius vniuersi, cum itaq; vniuersum sit totalis effectus primi mouentis, ideo seruat ordinem qui est in primo principio, ac primo muente; Et quia dixi Arist. nomine (entis) intelligere ipsum vniuersum, nè alicui hoc dictum sit molestum, affero illius rationē, quæ est, q̄ primæ causæ semper debet correspondere primus effectus, at primus effectus primæ causæ, est esse rerum quæ sunt in hoc mundo, ideo mundum retulit adens, seù ad esse; Sed aliud Arist. dictum occurrit adnotādum, & est minor propositio rationis adductæ ab Arist. in qua dixit, Mundum manere semper in eodem loco; Quomodo est hoc verum, cum mundus non sit in loco, à nullo q̄; contineatur? Dicendum est, Mūdum semper esse in eodem loco, ac-

An mundus semp maneat i eodem loco.

cipiendo locum prò ſpatio, quomodo acceptus fuit locus ab Ariſt. in Primo, ac Secundo lib. Cœli; Quo etiã modo acceptus fuit ab Antiquis; Eſt etiam ſemper in eodẽ loco negatiuè, quia modo non eſt in vno, modo in alio; Eſt etiam in loco, eo modo quo aptus eſt eſſe in loco, ratione ſ. partiũ; Sed adhuc notandum eſt, quomodo Ariſt. dicat, Mundum Deo continuari, cum continuatio ſit ipſorum corporum, ac magnitudinum, Deus autem ipſe magnitudine, ac corpore careat; Hæc inſtantia contra Ariſt. concluderet, ſi ipſe acciperet cõtinuationem propriè, at cum accipiat continuationem allegoricè, ſeu metaphoricè, inſtãtia nullius eſt roboris, hac enim continuatione metaphorica corporea cũ incorporeis continuantur, tuncq; dicuntur continuari, cum effectus ipſi maximam habent à ſuis cauſis dependentiam, ac connexionem quæ maxima connexio corporis cum re incorporea metaphoricè dicitur continuatio.

An mũdus Deo ſit continuus?

Controu. 2. ſuper tex. 52.

An primũ mouens ſit oĩno, &

VLtimò conſiderandum eſt, An primum mouẽs ſit omninò, & penitus immobile, hęc enim fuit cõcluſio ab Ariſt.

Arist. probata; In qua re Arist. sibi videtur contrarius hic, & Tertio huius vbi docuit, quòd omne quod exit de potentia ad actū est mobile, at primum mouens exit de potentia ad actum, ergò erit mobile; quid ergo hic dicit? Insuper sibi cōtrarius videtur hic, & secūdo huius, ac in Duodec. Metaph. Quibus in locis docuit, omne efficiens in mouendo moueri, tale est primum mouēs, ergo mouebitur; Insuper sua conclusio rationi videtur repugnare, Si enim primum mouens esset penitus immobile, ergo præces nostræ ad Deum essent vanæ, cum ipse sit immobilis, & inflexibilis, quòd minimè est dicendum, ergo & cæt. At Arist. conclusio verissima est, propter rationes ab eo adductas; Ideò obiectionibus respondeo, & primę quę innitebatur authoritati Arist. Tertio huius dico, quòd talis propositio actiuè est intelligenda, non autem passiuè, do exemplum, vt si quis dicat, hæc aqua nunc calefacit, quæ prius non calefaciebat, ergo mobilis, valet, quia actiuè exit de potentia ad actum, quæ si passiuè intelligatur, non valet, vt si dicam, sol calefacit totam terram, erat lapis in terra occultus ergo lapis ille mouetur, non valet dicere, quòd id moueatur, eo quia exitus lapidis

penitus immobile.

de potentia ad actum, est passiuè, quia tunc recipit calorem, quem prius nō recipiebat; Quo ad secundam, dico quòd metaphysicè primum mouens mouetur, quatenus scilicet amat finem, qui finis est in seipso; Dicebatur vltimò Aristo. rationi aduersari; Omitto modum respondendi quorundam recentiorum, & cum Catholicis, & verè; Respondeo, & dico, quòd præces non sunt uanæ, licet Deus immutabilis, inflexibilisq; sit, eo quia Deus ab æterno statuit non cōcedere alicui gratiam, nisi benè merenti, sit benè merens quando præces præcedunt, sicq; non est Deus qui moueatur, sed sumus nos qui mouemur, & recedimus à mali p̄petratione, dùm Deo prēces porrigimus; Addo tamen, quòd Deus etiam si vellet, posset gratiam absq; prēcibus concedere, ratio est, quia Deus suis non obligatur legibus, si enim voluisset, potuisset salutē dare ipsi Iudæ; At quia nunc sumus in scholis Peripatheticorum, ideo nolo eorū omittere responsionem; Qui dicunt, quòd & si Deus non cognoscat hæc inferiora nisi in vniuersali, licet etiam Deus sit immutabilis, omniaq; ab æterno ordinauerit, prēces tamen nostræ ipsi Deo non sunt vanæ, eo quia funduntur propter bonum virtutis, cū

præces

præces ipsæ sint actus morales, ac pietatem significent, quæ pietas est virtus moralis; Et ideo Auerro. Primo Cœli com. 3. dixit, quòd sacrificia sunt de lege virtutis, suntq; virtutes morales, quæ cum sint perse eligibiles, indè est, quòd præces inqnàm nõ sũt vanæ.

Controu. super tex. 54.

TRes proponit difficultates considerandas de motu, quarum prima est, An in natura possit esse aliquis motus continuus; Et si sic; Quærit secundo, quis sit ille motus; Tertio quærit quis nam sit motus in natura omnium primus, intelligendo (per primum) omnem modũ prioritatis, & naturæ, & tempore, & perfectione; Quibus satisfaciens, incipit à tertia; In ordinatus tunc videtur esse, eo quia à solutione primæ debebat incipere, cũ quæstio, si est, omnes alias præcedat, ergò primò debebat soluere primã, & declarare, An possit dari motus continuus, & quis sit ille; Insuper tertia difficultas videtur superflua, eo quia Sexto huius iam ab ipso Arist. habitum est, quòd motus circularis solũmodo est æternus; Quo ad primum, alibi est declaratum, & præcipuè in Solut. Controu. super Lib. Post. quòd in recto ordine, quæ-

An Arist. in tex. 54 sit ordinatus.

situm si est, omnia alia præcedit, declaratum est etiã ibi, quòd licet peruertere ordinem naturæ gratia necessitatis, quod facit Arist. in præsenti, dùm incipit à solutione tertiæ quæstionis, & necessitas est, quia ex eius solutione, facilius soluitur prima, & secunda; Ad vltimam, Dico cnm Auerroe hic, ꝙ licet in Sexto huius talem perscrutauerit difficultatem, ob hoc tamen nõ est superfluus hic Arist. eo quia hic complet, & perficit perscrutationem hanc ibi habitã.

Controuer. super tex. 55.

An mõtus localis sit omnium primus. vid. controuer. super tex. 60.

TRibus propositis difficultatibus in tex. præcedenti, incipit à solutione tertiæ, in qua quęrebatur, quis motus sit omniũ primus, & dicit ꝙ est motus localis; Quã conclusionẽ multipliciter probat, suppositoq; ꝙ motus sint tres speties, alteratio, quam dicit esse ad passiones, & qualitates, auctio, quę est ad magnitudinẽ, latio, quæ est ad locũ, vtitur hoc primo argumẽto, Auctio oĩs præsupponit alterationẽ, alteratio motũ localẽ, ergo motus localis oẽs prçcedit motus, adeò ꝙ generatio etiã est posterior motu locali; Quæ oĩa ipse in tex. probat; Circà quam conclusionẽ est difficultas, Eo ꝙa dicet ille, qualis est ordo terminorũ motus adinuicẽ, talis etiã est ordo

do motuũ adinuicẽ, eo quia motus adinuicẽ nõ distinguuntur, nisi per terminos motuũ, at in terminis motus talis reperit ordo, ꝙ qualitas est prior q̃titate, vt declarat Auerroes Primo cap. de Substãtia Orbis, ergo motus in qualitate p̃cedet motũ in quãtitate, si sic, ergo motus alterationis, q̃ est motus in qualitate nõ p̃supponet motũ auctionis, qui est motus in quãtitate; Insup dicit Arist. ꝙ motus alterationis p̃supponit motũ localẽ, eo q̃a in motu alterationis requiritur approximatio agẽtis ipsi passo, q̃e approximatio fit per motum localem; Deficit hic Arist. cum assumat hoc falsum, nempè quòd in omni alteratione requiratur approximatio agẽtis ad ipsum passum, sicut patet de aqua quæ seipsam alterat ad frigiditatem, & tamen hic non adest approximatio agentis ad passum, ergo falsum, quòd hæc approximatio fiat per motum localem; Insuper dicit quòd motus localis est prior motu generationis; Hoc dictum etiam est falsum, cum motus generationis sit ad substantiam, motus verò localia ad vbi, substantia autem est prior ipso vbi, ergo generatio erit prior motu locali; In vltima parte textus; quæ incipit ibi; Amplius autem omnium passionum

principium est densitas,& raritas;) Format secundam rationem, qua probat prædictã conclusionem,qnam rationem omitto, sed dubito contraria verba adducta; Si densitas,& raritas sunt principia alterationis, seù ipsarum passionum, sequetur ꝙ densitas, & raritas essent qualitates primæ, eo quia solæ qnalitates primę sunt alterationis principia,quòd tamen est falsum, cum qualitates primæ sint caliditas, frigiditas, humiditas,& siccitas,non autem densitas, & raritas; Quod etiam esse falsum patet ex Arist. Secundo Lib. de Gener.& Cor.& ex Quarto Metheo. quibus in locis probauit densitatem, & raritatem non esse qualitates; Quo ad primum,negandum est assumptum illud, in quo dicitur, qualis est ordo terminorum motus adinuicem &c. quod assumptum probabatur, quia motus non sunt adinuicem distincti, nisi per eorũ terminos,ergo qualis est ordo terminorũ motus adinuicem,talis &c. Neganda est consequentia, & ratio negationis est quia maxima est differentia inter terminos motus, & inter ipsos motus, motus enim consistũt in successione,at termiui motus dicũt quietem,& rẽ permanentẽ; Probatur secundo, ꝙ non omnis alteratio præsupponit motũ localem;

localem; Possumus primo dicere cũ Auerroe, quòd aqua seipsam non alterat ad frigiditatem, sed talis reductio fit ab exitu vaporum, quæ sunt corpora valdè calida, quibus vaporibus recedentibus, aqua reducitur ad sui pristinam frigiditatem; At si vellimus tenere quòd aqua à seipsa alteretur, ob hoc Arist. non erit hic damnandus, & si oppositum videatur dicere, cum etiam hic præcedat motus localis, eo quia remouetur alterans, ipse scilicet ignis; Ad ter- difficultaem, respondetur sicut primæ, negando semper consequentiã, & ratio negationis fuit, quòd licet motus sint distincti adinuicem per terminos, adhuc tamen inter illos est maxima differẽtia, cum termini motus dicant rem permanentem, motus verò ipsi dicant successionem; Quo ad vltimam, facilis est solutio, cum hæc quæ dicta sunt ab Arist. de densitate, & raritate, non sint secundum eius mentem propriã, sed antiquorum qui hoc asserebant.

Controu. super tex. 56.

An Arist. sufficienter enumeret significata prioris.

IN presenti contex. 56. exprimit Arist. significata prioris, quæ huc vsq; prætermisit, & hoc, vt compleat suam rationem, qua probauit motum localem esse priorẽ cæteris motibus, tripliciq; prioritate, sicut fuit

fuit dictum in principio controuer. ſuper tex. 54. Et afferendo ſignificata prioris dixit, quòd trifariam vnum dicitur altero prius, Primo natura, & eſt id, quod poteſt eſſe ſinè alijs, ſed alia nō ſinè ipſo, qui modus fuit ab ipſo Ariſt. in Poſt. præd. explicatus, dùm dixit; Prius eſt id à quo nō conuertitur ſubſiſtendi conſequentia; Eodem etiam modo dixit, Quinto Metaph. cap. de Priori; Alio modo aliquid dicitur altero prius tempore, ſicut dicimus quòd præteritum eſt prius tempore ipſo præſenti, & præſens futuro; Alio modo vnū alio prius dicitur eſſe ſecūdum ſubſtantiam, ideſt ſecundum cauſalitatem; Cum ergo prius tripliciter dicatur, concludit quòd motus localis eſt reliquis prior triplici prioritate, proſequiturq́; hanc probando concluſionē; Super quibus Ariſt. dictis, dubitat Simpl. & primò quia Ariſt. eſt diminutus in numerando modos prioris, cum præter tres modos dictos, detur prius ordine, & ſitu prius virtute, & potentia, quomodo partes totius ſunt priores potentia ipſo toto; Datur etiam prius ſecundum notitiam, & hoc dupliciter, vel ſecūdum notitiam ſenſitiuā, quomodo ſingularia ſunt notiora, & per conſequens priora ipſis vniuerſalibus, vel ſecun-

secundum notitiam intellectiuam, quomodo vniuersalia sunt priora, & notiora ipsis singularibus, sicq; Arist. hos omittens modos, videtur diminutus; Insuper dixit Simpl. Arist. hic adducit tres prioris modos natura, tempore, & perfectione, Quos tamen confundit adinuicem Quinto Metaph. omnesq; accipit prò eodem, ergo & cæt. Tertio dicit Simpl. quòd Arist. falsum accipit, dùm dicit, motum localem esse natura priorē ipsa generatione, quia prius natura est, quod potest esse sine alijs, sed non econtrà, & hoc modo non est de motu locali, eo quia si motus localis cœli est, de necessitate est generatio, & corruptio in his inferioribus, ergo motus localis absq; generatione minimè potest esse, & per consequens nec prior natura erit ipsa generatione, & corruptione; Quibus respondet Simpl. Et primò, quòd Aristot. non est hic diminutus, eo quia tantummodo explicat prioris modos, qui ad suum faciunt propositum cuiusmodi non sunt illi, qui adducti sunt; similiter dicit, quòd hic hos distinguit modos propter rationem dictam, nempè quia ad suum faciunt propositū, at ibi illos confundit, quia nō suo deseruiebāt proposito;

Ad

Ad vltimum, Dicit quòd motus localis cęli potest esse sinè alijsper accidēs tamē stat, q̄ nō sit sinè alijs, eo quia sibi non repugnat esse cū alijs, ac perse loquēdo,& quatenus cęteris est prior,sic pōt esse sinè alijs.

Controu. super tex. 58.

An posteriora generatione, sint prima pfectione.

INquit Arist.(Quo fit,vt id quod est posterius generatione,natura prius sit;) Per quam propositionem,probat motū localem cæteris esse perfectione priorem, Et argumentum est tale; Motus localis est posterior generatione cæteris motibus in viuente, ergo est prior perfectione, valet consequentia, quia oppósito modo se habet ordo generationis, & ordo perfectionis, cum ordo generationis semper sit ab imperfectiori, & tendat ad perfectius, ordo perfectionis sit ècontrà; Ex quo textu colligitur illa propositio vulgata,Posteriora generatione sunt priora perfectione; Quæ eadem propositio habetur ab Aristo. Quinto Metaph. Capit. de Priori; Contrà quam propositionem sunt multæ instātiæ; Et primò de substantia,& accidente, quod accidēs est posterius generatione ipsa substantia,non tamē perfectius,sed ea imperfectius est; In diuinis similiter datur instātia; In quibus relationes sunt posteriores origine

origine ipsa essentia, ac ea demùm imperfectiores; Tertia instantia est, de diminutione, quæ pariter origine succedit auctioni, & tamen est ea imperfectior; Similiter instatur de senio, quod pariter origine est posterius ipsa iuuentute, & ea demùm est imperfectius, ergò propositio illa videtur falsa; Dico breuiter, quòd propositio illa sic simpliciter intellecta, non habet veritatem; Sed ad hoc vt verificetur, limitanda est cum his conditioniqos; Et prima est, q talis propositio tantum est vera in creaturis, in diuinis nequaquàm, & per istã cõditionem tollitur secdnda instantia; Sed adhuc talis propositio in omnibus creaturis non habet veritatem, ideò addenda est secunda conditio, quòd illæ creaturæ sint eiusdem generis, & per hanc tollitur prima instantia, de substantia, & accidẽte, cum hæc non sint eiusdem generis, sed alterius; Sed nèc adhuc talis propositio est vera in omnibus creaturis, quæ sunt eiusdẽ generis, ideò addenda est alia cõditio, quæ est hæc, quòd illæ creaturæ, quæ sunt eiusdẽ generis tendant ad perfectionem, nõ autẽ ad imperfectionem; Et per hanc soluitur instantia de senio quod imperfectius est ipsa iuuentute, licet sit ea origine posterius,

cum

cum semper tēdat ad imperfectionem, benè sequitur, quod virilitas sit perfectior ipsa pueritia; per quam etiam conditionem tollitur instantia de diminutione, cum ipsa quoq; tendat ad imperfectionem; In omnibus igitur creaturis, quæ sint eiusdem generis, tendentibusq; ad perfectionem, propositio intellecta veritatem habet.

Controuer. super tex. 59.

An motus localis auferat aliqd pfectionis à subiecto mobili.

DIxit Arist. (Et propter hæc, & quia minimè, motuum, id, quod mouetur, dum fertur, à substātia discedit) In quo tex. aliam affert rationē, qua probat motum localē cęteris perfectione esse priorem; Dicitq;, ꝙ quia motus localis mutationem aliquam in subiecto mobili non ponit, nec illud variat, ab eiusq; perfectione nihil tollit, quod faciunt alij motus, igitur alijs motibus est perfectior; Instantia est manifesta circà istud antecedens, in quo dicit, motum localē nihil auferre à subiecto mobili, cum homo ex longo itinere defatigetur, defatigatumq; incurrat febrem ac ægritudinem, eccè ergo quòd motus localis variat subiectum mobile, ab eoq; aliquid tollit; Dicendum est, hoc esse per accidens, quatenus ex longo itinere spiritus resoluuntur, aç calor naturalis debilitatur, inde

indè est, quòd homo incurrit febrē; Quòd autem hoc sit per accidens, constat ex hoc, quia huiusmodi spirituum, ac coloris naturalis resolutio, non euenit rebus anima carentibus; Causa verò cur motus localis nihil perfectionis tollat à subiecto mobili, quod faciunt alij motus, hæc est, quia locus ad quem fertur ipsum mobile, est quid ab eo extrinsecus; Tum quia motus localis nō est simpliciter inter terminos contrarios, sicut est motus auctionis, & alterationis ideo motus localis nihil aufert à subiecto mobili, alij autem auferunt.

Controuer. super tex. 60.

An motus localis sit cęteris motib. prior natura, tpe, & perfectione.

IN vltimis verbis istius contex. 60. colligit Arist. suam conclusionem principaliter in hac parte intētam, ac probatam, dicitq; ; (Quòd igitur latio primus motuum sit, manifestum est ex his;) Concluſio hæc est; Quòd motus localis sit prior cæteris motibus triplici prioritate, natura, tempore, & perfectione, est manifestum ex rationibus adductis; Quæ cōclusio videtur falsa, cum prius natura sit id, quo existēte, cætera non necessario existunt, at existente motu locali, necessario sunt alij motus, dictum est enim suprà ab Arist. quòd ex hoc quòd motus circularis est perpetuus, quòd perpe-

perpetua etiam est generatio, & successio in his inferioribus, & ideò si motus cœli est, generatio etiam necessario est, & alteratio, & auctio, ergò motus localis non erit prior natura alijs motibus; Neq; etiam est prior tempore, cum æterno nihil sit prius tempore, at reliqui motus sunt æterni, eo quia semper fuit, & erit aliquod viuēs quod augebitur, quod alterabitur, quod generabitur, cumq; mundus secundū Arist. sit æternus; Neq; etiam reliquis est perfectione prior; cum motus iuxtà declarata ab Arist. in Tertio, & Quinto huius, nil aliud sit, quà res per motum acquisita, Calefactio enim nil aliud est, quam calor, nec differunt adinuicem, nisi in modo significandi; Tunc sic arguo, si motus nil est aliud quàm res per motum acquisita, cum res quæ acquiritur per generationem sit substantia, quæ cæteris rebus per motū acquisitis est perfectior, ergò eius motus erit quoq; cæteris perfectior, sicq; motus localis erit cæteris motibus imperfectior, cum res tali motu acquisita sit alijs imperfectior Quò ad primum, dicendum est illud esse prius natura quo existente (.s. per se) est addendum, reliqua non est necessarium esse, at si existente motu locali necesse sit quòd alij motus

sint,

sint, hoc est per accidẽs, ratione. s. accessus, & recessus solis à nobis; Quò ad secundum, Dico quòd Arist. loquitur de motu æterno secundum indiuiduum, at generatio, alteratio, auctio, non sunt motus æterni, nisi secundum spetiem; Quò ad tertiũ, scio inter magnos vires olim fuisse maximam altercationem, at quid dixerint, nescio; Crediderim esse dicendum, motum localem intrinsecè, seù essentialiter consideratum, esse cęteris alijs motibus imperfectiorem, at extrinsecè quo ad motoré nempè immobilem cõsideratum, ac pariter ratione mobilis æterni, sic cęteris esse perfectiorem, & hoc modo Aristotelem intelligere.

Controuer. super tex. 68.

An continuũ possit actu diuidi ĩ infinitum.

HAbet hæc verba Arist. in tex. (Si vero faciat actu, non faciet continuum, sed stabit;) In quibus verbis dicit Arist. quòd si continuum in partes actu diuidatur, amplius non est continuum; Dubitat Simpl. sic; De ratione cõtinui est, esse diuisibile in infinitum, ergo si continuum diuidatur actu in infinitum, semper remanet continuum, ergo Arist. dictum est falsum; Insuper in vltimis verbis tex. dicit; (Accidit enim lineę infinita media esse;) Instat Simpl. linea sub ratione qua linea est

continua, sed continuum, vt continuum est diuisibile in infinitum, ergo linea, vt linea est, habet infinita puncta media, ergò falsum est, quòd lineę accidat in ea esse infinita puncta media, vt dicit Aristo. cum quicquid per se competit generi, per se etiam competat spetiebus; Addit etiam si per accidens conuenit lineæ habere infinita puncta media, ergò habet ea actu infinita, sicut & id quod per accidens est calidum, etiam est actu calidum, sicut pariter, & homo qui est in naui, mouetur per accidens, & actu etiam mouetur, sic quoq; si linea per accidens habet infinita puncta, ergò habebit etiam infinita actu, quod tamen est falsum dicere; Vltimò, si linea habet infinitas partes potentia, ergo habebit infinitas partes actu, ratio est, quia omnis potentia debet reduci ad actum, nè sit otiosa, & vana; Quibus respondeo cum Simpl. & quo ad primum, Dico quòd aliud est continuum esse diuisibile actu in infinitum, & aliud est, quòd sit potentia diuisibile in infinitum, primùm est falsum, secundum habet veritatem, si enim esset actu diuisibile in infinitum, tunc non esset amplius cõtinuum, quia tunc eius partes non copularẽtur termino communi; De Secundo dicit Simpl. quòd

quòd hic est alius loquendi modus de per accidens, & quo hic vtitur Aristotel. ab eo quod communiter solet accipi, quoniam non vocat hic illud per accidens, adeò q̃ re vera sit per accidens; sed dicit illud esse per accidens, quia est in potentia, & huius ratio est, quia illud verè, & propriè dicitur esse, quod est actu tale, id autem quod non est actu tale, est per accidens, eo quia cum sit potentia tale, non est verè, & propriè tale; Quo ad tertium; Dico quòd duplex est actualitas, vna per se existentiæ, alia est actualitas seorsum existentiæ; primam cõcedo, & concedenda est in continuo, in linea enim sunt infinita puncta, quæ actu per se existunt in ipsa, In ea tamen non sunt infinita puncta seorsum actu, eo quia partes infinitæ seorsum actu in continuo non existunt; Quo ad vltimum; Dicit Simpl. & rectè, quòd diuisio continui in infinitas partes non est intelligenda quo ad simultatem omnium partium simul, adeò q̃ simul diuidatur in omnes partes, sed intelligenda est in fieri, & in successione quadam, continuum enim potest tantum diuidi in duas partes, at quòd possit diuidi in omnes actu, hoc est impossibile, quoniam nèc hoc Deus facere potest, cũ hæc potentialitas

tialitas nõ sit tota actu, sed consistat in successione, ac in fieri; Hæc prò nunc sufficiãt, quia de hac diuisione continui dilucidius, ac diffusius dicam super tex. 9. Primi lib. de Gen. & corruptione.

Controuer. super tex. 69.

An oĩa entia q̃ prius nõ sunt, & demùm sunt, generẽtur.

INquit Arist. (Si verò quod erat prius nõ ens, necesse est fieri ens;) In qua parte tex. vult probare Arist. quòd inter diuersa instantia cadat tempus mediũ, quod fuit acceptum ab ipso in tex. præcedenti tãquàm suppositum; Antequàm autẽ hoc faciat, addit hoc aliud suppositum; Quòd omne illud quod prius est nõ ens, & postea est ens, anteq̃ sit, generatur; Contrà quod instat Simpl. Arist. sic dicens sibi cõtradicit hic, & suprà tex. 46. vbi dixit, q̃ multa sunt in natura sinè generatione, & multa desinunt sinè corruptione, hic autẽ dicit, q̃ oĩa entia sunt per generationẽ, & q̃ oĩa desinũt per corruptionẽ; Soluendo hãc contradic. Simpl. breuiter notat, q̃ Arist. hic tantũ loquit de his q̃ transeũt de nõ esse, ad esse per generationẽ, ibi verò vniuersalius loquutus est, eo qa loquutus est ẽt de his, q̃ transeunt de nõ esse, ad ẽsse, absq̃; generatione, quare dictum suum hic habebit veritatem.

Con-

Controuer. super tex. 71.

IN isto tex. vult ostendere, ꝙ nulla transmutatio reflexa potest esse continua; Et vt notat Simpl. hæc demonstratio est vniuersalior, quia procedit de oibus transmutationibus, quæ sunt quatuor, in substantia, in quantitate, in qualitate, & vbi; Et tria accipit supposita in tex. quorũ primum est, quòd omne quod transmutatur, aliqua harum quatuor transmutationum trãsmutatur; Similiter & omne quod quiescit, quiescit aliqua quiete opposita his transmutationibus; Secundum suppositum est hoc; Mobile quòd non semper mouetur aliquo motu, sed incipit moueri illo motu, prius quiescit necessario quiete opposita illi motui, cuius ratio est, quia duorum priuatiuè oppositorum, si vnum nõ est, necessario alterum est; Tertium suppositum est hoc; ꝙ idem mobile potest simul moueri motibus cõtrarijs; Quibus suppositis, prosequitur suam rationem; Sed contrà secundum suppositum dubitatur; Ignis cum primo genitus est, statim mouetur sursum, & ascendit, & tamen non incipit à quiete illi motui opposita, cũ nulla præcesserit quies; Nec probatio illius suppositis addita, est vera, quæ fuit, ꝙ si duorum oppositorum

An mobile qđ nõ mouetur semper, sed incipit moueri prius quiescat quiete opposita illi motui.

priuatiuè, vnum nõ est, necessario alterum est; Eo quia est instantia de catulo, qui antè nonum diem, nèc videns, nèc cęcus est, vt patet ex Quinto Metaph. ac ex Post prędic. Cap. de Oppositis; Similiter, puer nupet natus neq; habet dẽtes, neq; edentulus est, & tamen habere dentes, & esse edentulum, videre, & esse cæcum, sunt opposita priuatiuè; Quò ad primum, Colligitur solutio ab Arist. suprà tex. 62. qui cautè limitauit huiusmodi propositionẽ. Omne mobile quod non mouet semper aliquo motu, (addidit) & pręexistebat, id necessario quiescit quiete opposita illi motui; Ex qua limitatione tollitur instantia, quia patet ꝙ ignis ille nõ præexistebat; Instantia etiam data contrà probationem nullius est efficatiæ, eo quia aduersarius nõ potest negare, quin ibi pręcesserit quies, quæ est in termino à quo motus.

Controu. super tex. 77.

An rarũ, & dẽsum sint motus locales.

IN isto contex. vult Arist. testimonio Antiquorum confirmare conclusionem, quam prius probauit. s. quòd motus localis sit motuum primus, & hoc quidem facit, ad hoc vt auditores facilius suæ assentiãt conclusioni; Et discurrendo per omnes Antiquorum

quorum opiniones, qui de motu mentionem fecerunt, dicit esse manifestum, quòd solus motus localis cõuenit omnibus principijs primis naturæ, quòd autem conuenit primis naturæ principijs, debet prius esse, huiusmodi est motus localis, meritò igitur motus localis est motuum primus; Probat minorem primò Empedoclis testimonio, qui rerum principia posuit litem, & amicitiam, mediante congregatione, & disgregatione; Addit, congregatio autem, & disgregatio sunt motus locales; In quibus vltimis verbis Aristot. sibi videtur contrarius hic, & Septimo huius tex. vndecimo, ac Primo, & Secuudo Libro de Gener. & Corrupt. quibus in locis docuit, rarum, & densum connumerari inter qualitates, si sic, non sunt ergo in prædicamento vbi, & per consequens, non sunt motus locales, sicut hic dicit; Insuper, Aristotel. Libro Prædicamento. Cap. de Qualitate dixit, rarum, & densum non esse qualitates, sed magis reponenda esse sub prædicamento Situs, sicut ibi probauit, quomodo ergò sunt motus locales? Accedit, quòd in Quarto huius in fine tex. 84. dictum fuit ab Arist. rarũ, & densum esse modos, seù differẽtias

qualitatis, si sic, non erunt ergo motus locales, sicut hic ipse asserit; Profectò crediderim nnn esse dicēdum, rarum, & densum esse motus locales secundum Arist. cum ea quæ ipse hic dicit, dicat ex sententia Antiquorum, sicut etiam Quarto huius est loquutus, ex condensatione enim pororum corpora ipsa constringuntur, ex quorum rarefactione, ipsa demùm extenduntur, sicut constringuntur, & dilatantur porri illi, sic videtur q̄ condēsatio, & rarefactio semper sint nouus motus; At quid sit secundum Arist. dicendum de rarefactione, & cōdensatione, an sint motus, nèc nè, est scitu difficilè; Prò nūc dicerem, quòd rarefactio, & condensatio per se loquendo, nō sunt motus, sed tantūmodo per accidēs, prò quanto motus aliquis præcedit cōdensationem, & rarefactionem, vel eis subsequitur, aqua enim calefacta rarefit, quæ si frigefiat condensatur, sicq́; condensatio, & rarefactio sunt motus alterationis, sed per accidens; Aliquando etiam cōdensatio, & rarefactio sunt motus locales, eo quia sequuntur motum localem, vt cum aer ingreditur follē, ibiq́; condensatur, omnesq́; eius partes approximat adinuicē, nec exit aliquod corpus ex ipso folle; Atqui fieri potest quòd

aer

aer ingrediatur ipsum follem, & ab eo non exeat aliquod corpus? Difficilè profectò est hoc explicare, sed hoc nunc mente sic concipiatur,& imaginetur;sint igitur condensatio, & rarefactio motus locales per accidens, & prò quanto ipsos sequitur; Sunt verò sub prædicamento situs, quatenus dicunt ordinem partium adinuicē secundum maiorem, vel minorē distantiam; At propriè loquendo, rarum, & densum sunt modi quātitatis, nō dico motus quantitatis,quia hoc nullo modo potest esse,sed dico modos quantitatis esse, eo quia dicūt maiorem, vel minorem terminorum vnionem; dixi quòd nullo modo sunt quantitas,ratio est, quia per condensationem, & rarefactionem noua quantitas nullo modo acquiritur, sed solummodò acquiritnr noua extensio eiusdem quantitatis, quando enim extrema magis diuisionem distant, tunc fit rarefactio,quæ si magis adinuicem vniantur,tunc fit condensatio, sicq; ex distantia,& approximatione extremorum fit densum, & rarum, sicq; sunt modi quantitatis propriè loquendo;sunt verò in prædicamento situs, sicut dixi, quatenus significant ordinem partium adinuicem secundum maiorem,vel minorem distantiā;

Rarū, & densum qūo sunt motus localis; Et qūo sunt ī prædic. situs, & qūo sunt modi quātitatis,& qūo qualitates.

Si

Si autem dicantur qualitates ab Arist. hoc non intelligatur nisi secundum dici, cum minimè possint esse verè, & propriè loquendo, qualitates, sed sint, sicut dixi modi quantitatis.

Controu. 1. super tex. 78.

An virtus finita materialis possit mouere tpe infinito.

IN isto contex. Arist. consilium est probare, quòd nulla virtus finita, (addas, existens in corpore, seu materialis) potest mouere tempore infinito, suamq; format demonstrationem accipiendo terminos ignotos, ipsa elementa. a.b.c. idq; duplici de causa, prima vt innuat suam demonstrationem esse vniuersalem, terminosq; esse ad placitum nostrum; Altera est, quia sunt multæ demõstrationes, quæ dùm applicantur materiæ, patiuntur multas difficultates, ideò vtitur ipsis elemẽtis, ad hoc vt sua demonstratio reddatur clarior; Quia tamẽ multa occurrunt animaduertẽda circà suã demonstrationem, ideò vt quilibet possit eà percipere formo eius demonstrationem in terminis naturalibus; Conclusio hæc est probanda; Nulla virtus materialis finita potest mouere tempore infinito; sit aliquis qui dicat oppositum; Tunc sic arguo, accipiatur talis virtus finita, quæ sit ignis, qui sit in magnitudine finita, dicamus

mus centum pedum, qui potest calefacere tempore infinito; Cōtrà tūc arguo, si sic est, accipiatur portio illius ignis, quæ sit, ignis decē pedū, qui ignis (vt patet) cū sit minoris virtutis, q̄ totus ignis acceptus centum pedū, igitur nō poterit tàm longo tp̄e calefacere, sicut calefacit ignis totus, qui erat centū pedū, assignetur itaq; tp̄s illi igni qui est decē pedum, in quo potest calefacere, & tp̄s illud sit per centū gradus, multiplicetur quātitas per decē, illius ignis qui sit viginti pedū, calefaciet per ducentuū gradus, ignis qui erit triginta pedū, calefaciet per tercētū gradus, & sic augēdo per decē, cōstat q̄ ignis qui erat in magnitudine finita cētum pedum, calefaciet per mille gradus, si sic, ergò ignis ille finitus, qui erat in magnitudine cētum pedum, nō calefaciet tempore infinito, sed finito; Vt autem percipiatur vis, & robur demonstrationis Arist. est notandum, q̄ Arist. semper loquitur de virtute materiali, sicut iàm dictū est; Vlterius est notandū q̄ hæc virtus materialis habet hoc sibi proprium, quòd dùm est in minori magnitudine, quòd per minus tempus durat, & operatur, si sic, tunc argumentatur Aristot. si ignis qui est magnitud inis finitæ centum pedū potest operari, & calefacere

Nota

Nota

&,

& tempore infinito, necesse ergo est, quòd magnitudo in qua reperitur ignis sit infinita, hoc autem est impossibile, cum talis magnitudo infinita nō detur, necesse ergo erit dicere, quòd si mouens, & mobile sunt finita, quòd tempus etiam erit finitū, non autem infinitum, si sic, nulla ergo virtus finita poterit mouere tempore infinito; Habita eius ratione, nunc modo considerāda sunt eius dicta, an retineant veritatem, & in primis eius conclusio, quæ fuit, Nulla virtus finita corporea potest mouere tempore infinito, non videtur veritatem habere, cum ratio illi aduersetur, Nam sphera ignis est virtus corporea, pariter & sol, & tamen sphera ignis infinito tempore calefacit, sol etiam infinito tempore hoc vniuersum illuminat; Cœlum insuper est virtus materialis, & corporea, & tamen infinito tempore mouet hunc mundum inferiorem, ergò Arist. conclusio dicta nō erit vera; Erit respōdendum cum Themis. hic, ac cū Auerroe Duodec. Metaph. Com. 41. Qui dicunt, esse falsum, Cœlū infinito tempore mouere hunc mundum inferiorem, non enim est cœlum quod istum moueat mundum, sed est primus motor, ꝙ à materia est separatus, & est, ac si nos baculo mouere-

ueremus lapidem, baculus nõ eſt qui moueat lapidem, ſed nos ſumus qui illum mouemus mediante baculo, pariter & in propoſito, primus motor eſt qui mouet hunc mundum inferiorẽ, mediante tamen cœlo; Adhuc inſtantiæ illę nullius ſunt roboris, Eo quia vt dictum eſt, loquitur de virtute materiali, & cauſata à matetia, at in cœlo nulla eſt materia, propriè loquendo, nèc forma quæ à materia pẽdeat, ergo &c. Inſtãtia adhuc de ſole data, nullius eſt roboris, cum eius actio ſit ſpiritualis, ipſa nẽpè illuminatio, de qua actione ſpirituali Ariſt. non loquitur; Adhuc talis inſtãtia nihil cogit, cũ ſolis actio, nẽpè illuminatio preſupponat motũ cœli, à quo autẽ depẽdet motus cœli, ab eo etiam dependet lumen cauſatum à motu cœli, at primus motor eſt ille à quo pẽdet motus cœli, ac illius eſt cauſa, pariter ergo & lumen cauſatum à motu cœli pendebit à primo motore ſeparato à materia ſicq; primus motor mediante ſole erit ille, qui illuminat hunc inferiorem mundum; ſicquè ad alia erit reſpondendum; licet autem ſol dicatur corpus, in eo tamen non erit forma materialis, & extenſa ad extenſionem materiæ.

Controu. 2. super eod. tex. 78.

An virtus materialis, q̃ est in minori magnitudine operetur p minus tẽpus.

RAtio Aristot. adducta in præcedenti controuer. qua probabat, q̃ nulla virtus finita materialis potest mouere tempore infinito, innitebatur in isto fundamento, q̃ virtus materialis dùm est in minori magnitudine per minus tempus seruatur, ac operatur, quę verò est in maiori magnitudine per longius tempus operatur, ac durat; Quod fundamentum nullius efficaciæ esse videtur, cum repugnare videatur ipsimet Arist. experientiæ, ac rationi; Ipsi quidem repugnat, quia in tex. 36. huius Septimi dedit istam regulam, q̃ si virtus mouens. A. mouet corpus. B. per tempus. D. in spatio. C. dimidium virtutis mouebit medietatem corporis in eodem tempore, per æquale spatium; Si in eodem tempore, quomodo hic dicit, q̃ virtus mouens, quæ est in minori magnitudine operetur per minus tempus, ac duret; Repugnat vero experientiæ, quia experientia constat, quòd ceruus est longioris vitæ, quàm, bos corpus tamen cerui est minoris magnitudinis, quàm sit corpus bouis, & virtus cerui diutius in suo seruatur corpore, ac diutius illud mouet, quàm virtus

virtus quæ est in boue, ergo eius fundamẽtum in quo fundat suam rationem erit falsum; Et eo magis cum etiã illud repugnet rationi, quæ dictat, ꝙ eadem est proportio minoris mouentis adminus mobile, quæ est magni mouentis ad magnum mobile, sicut ergò mouens minus potest mouere minus mobile in aliquo temporis spatio, sic quoq; maius mouens tardius mouebit maius mobile, & per consequens, minor virtus velocius mouebit, ergo &c. Fundamentum tamen Arist. verisimum est, cum illud Aristot. non sit repugnans, nèc experientiæ, nèc rationi; Aristoteli quidẽ nõ repugnat, cũ ipse Arist. hic loquatur de operatione, ac conseruatione virtutis mouentis, ibi verò in Septimo huius de illius velocitate loquatur; Prò intellectu clariori istius solutionis, est notandum, ꝙ mouens mouere per aliquod tẽporis spatium, dupliciter potest intelligi, seù ad duo potest referri, vel ad velocitatem, seù ad tempus in quo mouens mouet, vel ad durationem ipsius motus facti à mouente, ac ad illius cõseruationẽ, sicut in exemplo dato de duplici igne suprà in præcedenti cõtrouersia, si enim sit ignis vnus, qui sit in magnitudine decẽ pedũ, alius verò sit magnitudinis

viginti

viginti pedum, patet quòd ille secundus ignis eo tempore, quo comburret lignum alicuius resistētiæ, eodem tempore primus ignis decem pedum comburret aliquam illius partem, quo ad resistentiam est verum, at quo ad illius durationem, non eodem tempore cōburret, quia ignis viginti pedum diutius operatur, & durat in comburrēdo, quàm ignis magnitudinis decem pedum; Insuper, & illud fundamentum est verissimum, nèc experiētia illi obstat, cum Arist. in suo sermone, supponat terminorū paritatem, sicut si ignis qui est in magnitudine decem pedum operatur per centum gradus, ergo ignis qui erit in magnitudine viginti pedum, aget per ducentum gradus, valet ratio, quia hic cętera sunt paria, at instantia adducta, desumptaq; ab illa experientia, nil cogit, cum hic cætera non sint paria, virtutes enim illorum animaliū non sunt consimiles, sicut patet; sicut etiam non valebit dicere, Cornix est longioris vitæ, quàm equus, & tamen virtus eius est in minori magnitudine, quàm virtus quæ est in equo, ergo &c. per eādem rationem, cum inquàm hic non seruetur paritas, & virtutes illorum animalium sint dissimiles; Nèc etiam illud fundamentum repugnat

gnat rationi, eo quia dùm Arist. fundat suã rationem in illo fundamento dicto, & inquit, quòd maior virtus longiori tempore durat in agendo, quàm minor virtus, considerat ipsum mobile, in quo reperitur virtus illa in respectu virtutis corrumpentis, & sic dictum est verum, quòd ignis decem pedum minus durat, quàm ignis viginti pedum, adeò quòd portio illa maior, & minor referẽda est ad ipsum corrumpens, sicq; longiori, vel breuiori seruatur, & durat tempore, non autem referenda est ad celeritatem motus, sicut dicebatur in ratione.

Controuer. super tex. 80.

POstquàm demonstrauit virtutem infinitam non esse in magnitudine finita, conuersam illius in præsenti contex. demonstrat, nempè quod in magnitudine infinita nõ potest esse virtus finita; Et licet dicat hic Simpl. ꝙ hoc non erat Arist. necessarium, quia nihil suæ demonstrationi confert, sed ꝙ hoc facit ad abundatiorem doctrinam. Crediderim tamẽ hoc multum Arist. conferre, nèc hoc sinè ratione ostendere, cum sua sit intẽtio manifestare quòd virtus materialis, & corpus cuius est virtus adæquãtur, adeo quòd virtus infinita insit

Anĩ corpore finito insit virtus infinita.

corpori infinito, & virtus finita corpori insit finito; Sed difficultas tũc maxima sumpta à cęlo occurrit circà hoc Arist. dictum, quæ fuit ipsius Ioannis Gra. in suis disputationibus contrà Proclum, qui sic contrà Arist. argumentatur; Cœlum est corpus finitum secũdum Arist. ergò habet virtutem finitam, ergo est corruptibile, virtus enim corpori adęquatur, & ècontrà, corpus virtuti, si ergò cœlum est corpus finitum, ergò habet sicut dictum est, virtutem finitam, si sic, igitur est corruptibile, cum omne habens virtutem finitam sit corruptibile; Hoc argumẽtum tanti fuit vigoris apud Ioannẽ Gra. ꝙ ipse credidit cõtrà Arist. demõstrare, ipsumq; secũdum eius dogmata conuincere; Et ideò Expositores circà eius solutionem maximè laborarunt, vt Auerroes hic, ac in Lib. de Subst. orbis, ac in 12. Metaph. in Lib. què Disputationum cõtrà Algazelem; Pariter Alex. circà solut. istius argumenti maximè fuit solicitus; In hoc etiã laborauit Simpl. Primo Cœli; Quorum dicta gratia breuitatis omitto, & declaro tale argumẽtum iuxtà Arist. prȩcepta nullius esse roboris cõtrà ipsum Arist. Et in primis reuoco ad memoriã ea, quę notaui in solut. primæ controuer. super tex. 78. dixi enim ibi

ibi,& repeto,Arist.semper loqui de virtute materiali, eo quia eius consilium est ostendere,q̃ nulla virtus materialis, quæcunque sit illa, potest mouere tempore infinito, ex hac enim conclusione demonstrata,necessario sequitur, q̃ motor ille qui mouet tpe infinito,minimè est materialis; Insuper, & secundo noto ex Arist. 9. Metaph. tex. 17. Materiam primam esse illud principiũ per quod res habent potentiam ad esse, & non esse;Ex quo inferro,q̃ omne illud quod caret materia prima,caret etiam potentia ad esse,& nõ esse, modo cũ in cœlo nõ sit materia prima,nèc etiã in cœlo erit potẽtia ad esse,& nõ esse,sed cẹlũ erit corpus simplex, & ideo Auerroes ibidẽ.9.Metaph.dicebat, in simplicibus nõ reperiri materiã, volens significare in illis non esse potentiam ad esse,& non esse; Si autem quis dicat,materia est res simplex, igitur caret hac potentia ad esse,& non esse; Erit respondendum, in materia prima esse potẽtiam ad formas, non autem ad esse, & non esse; Ex quibus notatis respondeo argumento principali, concedoq̃; cœlum esse corpus finitũ, concedo etiã in corpore finito nõ esle potentiã seù virtutẽ infinitam.s.materialem,quæ est in prima materia, caret.n.cœlũ forma materiali,

teriali, & compositione, ac potentia, quæ est ad esse, & non esse, quare argumentum Ioannis nullum est.

Controuer. 1. super tex. 83.

An valeat hæc cõsequẽtia motus est vnus; ergo motor etiam est vnus.

TExtus 83. Incipit sub istis verbis; (quoniam autem in his, quæ sunt, necesse est motum esse semper cõtinuum;) In quo tex, sicut dicit Smpl. volés Arist. imponere finem huic præsenti Libro, per modum epilogi colligit omnia, quę suprà dixit de primo motore, & de primo mobili, Et hæc expositio est verior, quàm illa D. Thomæ; Et primò epilogat de primo motore quatuor proprietates, quarum prima est, quòd sit vnus numero, secunda quòd est infatigabilis, tertia quòd semper vniformiter mouet, quarta quòd est omninò immobilis, & per se, & per accidens, posteà dicit quòd in eodem statu est ipsum mobile, quod semper eodem modo se habet ad primum motorem; Declarans primam proprietatem, format hanc consequentiam, præmittendo hoc antecedens, quoniam in his quæ sunt, ideſt, quoniam in rerum serie, & in hoc vniuerso reperitur motus æternus, & continuus, infert hanc consequẽtiam, ergò debet dari vnus æternus motor, pariter debet dari vnum æternum

num mobile, quæ consequentia de se satis patet, cum motus nõ sit sine motore quam eamdẽ consequentiam, & præcipuè de primo motore formauit etiam supra tex. 49. Ideò prẽter ea quę ibi fuere adnotata, Difficultas occurrit animaduertẽda circà cõsequentiam, quàm facit, cum illa satis dubia esse videatur, Non enim videtur rectè posse dici, Motus est vnus, ergò motor est vnus, cum sepè, & sepius motus sit vnus, motores verò sint plures, vt si lapis mouetur, motores stat quòd sint plures, mouetur enim à manu, à baculo, & ab homine cuius est manus, qui motus est vnus; Consimiliter sit, corpus sphericũ quod circumuoluatur, dùm circumfertur tãgitur à me, & sic circumuoluitur, & prius quàm quiescat, tãgitur ab alio, & mouetur, & sic corpus illud tactũ per motus cõsequẽtes mouetur, patet q motus ille est vnus & tamen motores sunt plures; At Arist. consequentia hic ab eo facta necessitatem habet, eo quia ipse loquitur de motoribus, qui æquè primò monent, non autem de motoribus subordinatis, de quibus locum habet instantia prima adducta; Quæ consequentia adhuc necessario tenet cũ motus quo mouetur corpus illud sphericum non sit verè

vnus, immò sint multi motus cõsequenter se habẽtes, sicut & illud corpus sphericum consequenter tangitur à diuersis, & ideò Arist. in tex. præcedenti. 82. disputans de motu proiectorum, dixit ꝙ quando lapis proijcitur, motus ille non est vnus nèc continuus, quoniam aer variatur, per quem lapis ille defertur, & Quinto huius contex. 23. dicebat, quòd sonus cytharæ factus super corda iteratis tactibus pulsata non est vnus, cuius ratio erat hæc, quia illi motus quibus corda pulsatur, erant multi, & non vnus, sic & in presenti dico, quòd ille motus non est vnus, nèc continuus cum aer, per quem lapis defertur continuè varietur.

Controu. 2. super tex. 83.

An primus motor sit infatigabilis.

Dicit Arist. ꝙ primus motor est indefatigabilis, & ꝙ mouet sinè labore, eo' quia est forma sinè materia, ac incorporeus; Difcultas est, an primus motor ex quo est forma separata à materia, ob id sit infatigabilis, & ratio dubitandi est hæc, quia intellectus noster paritèr est forma separata à materia, vt docet Arist. Tertio de Anima & tamen in intelligendo

defa-

defatigatur,& laborat,sic ut constat,aliqua enim facilius, aliqua verò difficilius intelligit, & ideò studentes etiam defatigantur, sicut constat experientia;Quod etiam confirmatur,si enim forma separata à materia non defatigatur, sequeretur ergò q̃ quælibet forma materiæ immersa defatigaretur,ex regula Aristot. Primo Post. dicentis, quòd si negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis, si ergò illud quod materia caret non laborat, ergò quod est materiale defatigatur, & laborat, ergò omnis forma materialis defatigabitur, quod tamen est falsum, cum formæ elementorum non defatigentur,graue enim dùm deorsum fertur, grauitas eius, quæ est forma materialis non laborat in tali motu, immò magis perficitur, indè est, quòd grauia quantò magis approximantur centro, tantò velociori feruntur motu, consimiliter de ipso leui,ac leuitate eius est dicendum; Insuper, vbicunquè est resistentia, ibi est labor, cum labor ortum ducat à resistentia, at in cœlo est resistentia, teste Auerroe. 12. Diuinorum Com. 41. ac Secundo Cœli Comm. 63. ergò primus motor defatigabitur; Cuius tamen totum oppositum

cum est dicendum ex Arist. sententia hic dicetis, formam à materia separatam non defatigari, cuius dicti adest etiam ratio, si enim formæ immateriales laborarent, sequeretur q̃ essent corruptibiles, eo quia labor est via ad corruptionem, at formæ immateriales sunt incorruptibiles, ergò non poterunt defatigari, sed inde fatigabiles erunt; Et tãto minus, cum labor ortum ducat à potẽtia, à materia, à contrarietate, quæ in formis immaterialibus non reperiuntur, formæ enim à materia separatæ carent potentia, ac contrarietate, quæ potentia, ac contrarietas insequuntur materiam, si sic, erunt igitur indefatigabiles; Nec rationes adductæ contrà Arist. quidquam cogent; Prima enim assumit falsum, quòd intellectus intelligat, sicut patet ex Arist. Primo de Ani. tex. 65. benè homo mediante intellectu intelligit, & hoc prò nunc sit dictum quia in Tertio de Ani. declarabo (Deo adiuuante) quomodo etiam sit verum dicere, intellectum intelligere; Vlterius dico, q̃ si intellectus defatigatur, hoc non esse ratione sui, sed ratione alterius, nempè ipsius sensus, qui representat ipsi intellectui, qui cum sit materialis, & concurrat ad actum intelligendi, tunc homo

mo defatigatur, at non ratione intellectus, qui est immaterialis, sed ratione sensus; Ad illud de formis elementorum; Concedendum est, quòd sub ratione qua sunt materiales, quòd & illæ etiam defatigantur, aer enim ambiens ipsi graui resistit descẽdenti sicq; illius grauitas laborat, cum ab aere patiatur, inuicemq; agant; at si communiter dicitur, quòd formæ elementorum non laborant, hoc illis per accidens conuenit, eo quia hoc est, quatenus ad suum proprium locum magis tendunt, à quo etiã magis perficiuntur, regulæ autẽ quæ dantur ab Arist. sunt veræ, per se loquendo, quæ tamen si per accidens intelligantur, fiat quòd sint falsæ, sicut est nunc de formis elementorum dictis; Quo ad tertiam instantiam, Dicendum est cum Auerroe ibidem 12. Metaph. Comm. 41. qui rectè dicit ex sententia Themistij, q̃ resistentia est duplex, altera est quæ prouenit ratione contrarietatis, altera quæ ortum ducit ex certa, & determinata proportione motoris ad mobile, ac mobilis ad ipsum motorem, prima est causa laboris, minimè secunda, quæ reperitur in cœlo, cuius secundæ resistentiæ principia sunt actus, & potentia, ideò intelligẽtia mouens cœlum, est actus,

cœlum

cœlum verò est potentia ad motum, tunc illa resistentia quæ est in cœlo, prouenit ex determinata proportione illius actus, ideſt ipsius motoris, qui est actus terminatæ virtutis in gradu, cœlum verò est potentia mobile, quod etiam est terminatum, & ideò natum est moueri tanto spatio in determinatoq; tempore à sua intelligentia, ac sine labore.

An primus motor sit in circumferentia.

Controuer. super tex. 84.

IN hoc contextu Arist. intentio est, disputare de loco primi motoris, cuius intentionis causa hæc est, quia eius locus est ignotus, cum primus motor sit à materia separatus, si enim esset materialis, corporeus, de eius loco nulla esset dubitatio, eo quia vbi est corpus, ibi est forma, & vbi est forma, ibidem est corpus, cum ergò sit immaterialis, conueniens fuit de eius loco disputatio; Et eo etiam quia Pythagorici eum locarunt in centro, tamquàm in arce sua, ac in laribus suis proprijs, quorum rationes nunc afferam arguendo contra Aristot. determinationem; Textus autem præsentis sententia est hæc, quòd cum in corpore spherico duo sint prin-

principia, centrum, & circumferentia, necesse est, quòd primus motor in altero horum sit, aut centro, scilicet totius vniuersi, aut in eius circulo; Nos dicimus dicit Aristotel. primum motorem esse in circulo, non autem in centro, est in circulo, quia ibi magis viget, & apparet eius operatio, per circulum autem Auerroes intelligit circulum æquinoctialem, qui æqualiter distat à polis firmamenti, quique secat firmamentum in duas partes æquales, in isto enim circulo æquinoctiali maximè viget virtus, ac operatio primi motoris, effectus autem quantò est intensior, & velocior, tantò est suæ causæ propinquior; Explicat Auerroes illud dictum, (in corpore spherico duo sunt principia,) & dicit, quòd corpus sphericum potest dupliciter considerari, vel quo ad sui esse, vel quo ad sui motum, si primo modo, illius principia propriè sunt illa duo dicta, centrum, & circumferentia, eo quia propriè loquendo, corpus sphericum est corpus à cuius centro omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales; quod si consideretur quo ad sui motum, sic etiam illa duo sunt sui principia, centrum quidem est eius principium tāquàm

illud

illud fixum super quo reuoluuntur omnia corpora cœlestia, circũferentia verò tamquàm illud quod voluit ipsum; Explicat etiam Auerroes illud dictum (omnis effectus quantò est intensior, & velocior, tantò est suæ causæ propinquior,) & vult quòd intelligatur de propinquitate virtutis, eo quia duplex est propinquitas, alia secundum locum, & sitũ alia secundum virtutem & esse, & sic propositio dicta intelligitur, omnis effectus quantò est velocior, tantò est suæ causæ propinquior, idest tantò immediatius emanat à virtute suę causæ, sicq; motus circunferentiæ est propinquior primo motori. s. quo ad virtutem, & causalitatem; Ex quo sequitur aliud, quòd motus circumferentiæ meliori, ac nobiliori motu mouetur, quàm aliæ partes cœli, eo quia habet motum velociorem omnibus alijs partibus, ibi igitur erit primus motor; Super quibus dictis difficultas est, quomodo primus motor sit in circũferentia vniuersi, cum hoc dictũ repugnare videatur his, quę suprà docuit de primo motore, si enim primus motor est à materia separatus penitus, vt suprà demonstrauit, ergò etiam est abstractus & separatus à cõditionibus materiæ, ergò & à motu, & à loco, ergò nullibi erit,

erit, cum non magis in vna parte vniuersi, quàm in alia, cum sit impartibilis; Quod cõfirmatur, sicut enim anima intellectiua, quæ est corporis forma non magis in vna est corporis parte, quàm in alia, pariter & primus motor cum sit forma totius firmamenti non magis in vna erit, quàm in alia parte; Insuper, omne quod est in alio, in illo continetur, sed primus motor à nullo continetur, nèc in firmamento, nèc in circũferentia, sed ipse primus motor, (vt dicit Simpl.) sui infinita potentia totum occupat vniuersum, ergò non magis in circũferentia erit, quàm alibi, immò erit vbiq;, sicut rei veritas est, cum vbiq; sit eius operatio; Accedit, quòd omnis virtus motiua secundum locum necessariò ponitur in illa corporis parte, in qua est eius principium, sicut fuit ab ipso Arist. declaratum in Lib. de Communi motu Animal. & ideò virtus motiua animalis localiter residet in corde, quia cor est illius principium, addo, sed principium motus cœli non est in circũferentia, sed in parte orientali, cum hæc sit illius pars dextra, occasus verò sinistra, exq; loci differentiæ quæ sunt in animali, pariter sunt in cœlo ex rei natura distinctę, vt ab ipso habetur Arist. 2. cœli, igitur primus

mus motor præcipuè erit in parte orientali, minimè in circumferentia, cum præcipuè ſua virtus ibi magis vigeat; Inſuper, concluſio dicta videtur falſa rõnibus deſumptis à Pythagora, ac ab eius ſectatoribus; Dixit Pythagoras primum motorèm eſſe in centro, eo quia principio nobiliſsimo debetur etiam locus nobiliſsimus, talis eſt locus medius, inde eſt, q̃ vulgariter dicit, medium tenuere beati, ergo &c. Inſuper, principi debetur locus tutiſsimus, qui talis eſt locus medius, ergò primus motor qui totius vniuerſi eſt princeps erit in medio, ſeù in centro; Quod etiã cõfirmatur argumento ſumpto à paruo mundo, ſicut enim eſt de paruo mũdo, ita & de magno eſſe eſt cenſendũ, dicebat Ariſt. ſuprà tex. 17. at in paruo mũdo, & præcipuè in homine, anima quæ ſe habet tamquàm Deus in ipſo, eſt in medio ipſius, ergò & primus motor, qui eſt mundi aĩa, erit in medio ipſius, & in cẽtro, non autẽ in circũferẽtia; Amplius oĩs pars eſſentialis ex Ariſt. ſententia Quarto huius per accidens locatur loco ſui totius, at primus motor eſt pars eſſentialis totius cæli, & locus totius eſt centrũ terræ circà quod voluitur, ergò primus motor erit ibi in cẽtro terræ; Adde, q̃ primus motor eſt omninò

ninò in mobilis,& per se,& per accidẽs ergò in ea locabitur parte, q̃ maximè est immobilis,hæc autẽ est centrũ terræ, ergò ibi at in loco erit; Adde etiã,q̃ primus motor cũ sit oĩum rerũ naturaliũ opifex,tribuatq̃; illis oĩbus suã bonitatẽ, ergò vt ęqualiter illã oĩbus posit influere, ac impartire erit in loco medio,qui locus est centrũ terrę,nõ autẽ circũferentia; Cuius oppositũ hic cẽset Arist.immò vt dicit Auerroes,oẽs leges concordes sunt in hoc, q̃ primus motor sit locatus in cœlo; Quã eamdẽ sententiã habuit Arist.Primo Cœli tex.22.vbi dixit, q̃ oẽs qui existimant Deũ esse,tribuunt ei locũ,q̃ maximè sursũ est,& Barbari, & Grẽci,& hoc, vt inmortale inmortali sit coaptatum; Quæ sentẽtia adhuc rationibus cõfirmat; Primò.n.motori ille cõpetit locus cui primus cõpetit motus, at primus motus cõpetit cœlo, & præcipuè motus diurnus, qui principaliter cõpetit primo mobili, ergo; Insuper, principio velocissimi motus debet conuenire prò loco corpus, quod velocissimè mouetur, at velocissimus est motus cœli,ergo; Insuper, in loco debet reperiri principium productionis rerum, ac earumdem cõseruationis, à quo pendet, & emanat omnis ipsorum productio,

ductio,& conseruatio, at res omnes beneficio cœli producuntur, & conseruantur, à motu enim,& lumine ipsius habent esse,& cõseruantur,ergo in cœlo erit primus motor; Sed quid authoritatibus, & rationibus his vti? cum hanc veritatem ipsa met natura doceat, quæ docet nos, dùm Deum deprecamur plantas manuum simul iunctas ad sydera tollere, occullosq; ad cœlũ eleuare; Cumq; etiam in Symbolo habeatur; (Descendit de cœlis,) quæ verba sic sunt intelligenda, quòd descendit de cœlis,s. quo ad virtutem, & causalitatem, cum hic sit aliqua operatus.s.vnionem verbi cum natura humana,quam prius non erat operatus, non autem quòd propriè descenderit,cum ipse Deus abstrahat à loco; Ideò hanc sustinendo veritatem, accedo ad solutionem argumẽtorum, & in primis prætermitto hoc fundamentum, quòd substantia abstracta potest dici dupliciter locari, vel secundum subiectum, & substantiam, vel secudum virtutem,& causalitatem; Si primo modo,adhuc dupliciter, vel per se, vel per accidens; Tunc dico, quòd substantiæ abstractæ per se nõ possunt locari, eo quia per se abstrahunt à materia, ac ab eius cõditionibus, à motu nempè, ac à loco, &

quo

quo ad hoc, nulla est dubitatio; Alio tamen modo possunt locari, scilicet per accidens, & ad locum totius, sicq; substantia abstracta, siuè primus ipse motor locatur loco totius, scilicet in tertæ centro, eo quia vt dictum fuit arguendo, pars essentialis locatur loco totius; Si verò substãtia abstracta consideretur quo ad virtutem, ac sui efficientiam, sicut hic ab Arist. consideratur, sic dicit Arist. q̃ locatur in illa vniuersi parte, in qua maximè viget eius motus, & quia eius motus maximè viget in circumferentia firmamenti, ideò ibi locatur, sed sicut dixi, non cõsideratur tunc quo ad sui substantiam, sed ratione virtutis, quæ virtus consideratur propter opus, & opus est motus, & ideò ubi maximè viget motus ibi dicitur esse primus motor; Sed dicet ille, si primus motor quo ad virtutem consideratus est in circumferentia firmamenti, ergò etiam ibi erit & quo ad sui substantiam, probo consequentiam, quia operari hic, præsupponit esse hic, si igitur primus motor præcipuè operatur in circumferentia firmamenti, igitur ibidem erit, & quo ad substãtiam, quia esse ibi est prius, quàm fit eius operatio; Hoc argumẽtum fuit Doctoris subtilis Ioannis Scoti Secundo Sent.

contrà Diuum Thomam, cui respondendo dico, quòd primus motor est in circumferentia, non tamquàm locatum in loco, sed quo ad sui virtutem, & tamquàm forma in materia, & ideò tunc non sequitur, quòd esse ibi sit prius natura, quàm ipsum operari, vt dicit Scotus eo quia vt dictum est, ibi non est verè, sed tantum quò ad virtutem; Sed prò maiori intelligentia, est sciendum, q̃ lis est inter D. Thomam, & Scotũ, quomodo primo motori conueniat locus, àn per essentiam, vt vult Scotus, àn ratione operationis, vt sentit D. Thomas; Quæ inter hos discordia potius stat in verbis, q̃ in sententia, quod declaro; Dùm enim quæritur, vbi sit locatus primus motor, potest hoc dupliciter intelligi, vel quò ad contactum virtutis, adeò q̃ ibi sit primus motor, vbi præcipuè reperitur contactus suæ virtutis, & quia virtus Dei est ipse met Deus, ideò tunc dicimus, locum ipsi competere per sui essentiam, sicq̃; Scotus sentit, ac etiã sensit hic Auerroes, dùm dixit, (Appropinquatio debet intelligi quò ad essentiam;) Alio modo possumus loqui de ipsius primi motoris loco, in ratione, scilicet qua ei potest competere aliqua locationis ratio, quæ locationis ratio est extensio, indè est quòd nul-

nullum indiuisibile, quatenus indiuisibile est, posse locum occupare, sub qua etiam ratione cõmuniter dicitur, locatum equari loco, & è contrà, quomodo si quæstio intelligatur, tuuc locus non competit primo motori, ratio est, quia primus motor caret extensione, benè conuenit locus operationi illius, sicq; Arist. dixit, primum motorẽ ibi esse, vbi præcipuè eius viget operatio, non autem ipsum considerat quò ad sui essentiam, sicq; etiam D. Tho. est loquutus; Ex quibus diluuntur argumenta principalia; Et quò ad primum, verũ est, ꝙ primus motor non est in loco secundum substantiam, at Arist. ipsum ibi ponit ratione suæ virtutis, cũ maximè ibi eius refulgeat virtus; Secundum etiam cõcludit veritatem, ꝙ primus motor non magis in vna est parte, quam in alia secundum sui substantiam, sed ratione virtutis est præcipuè in circũferentia; Tertium etiam concluderet veritatem, si primus motor ibi esset, sicut locatum in loco, at sic non cõsideratur, sed quò ad virtutem, cum hic consideretur motor, vt motor est; Quò ad quartum, dico ꝙ primus motor ratione virtutis consideratus, sic est in circumferẽtia òb rationem sepius dictam, qui tamen si consideretur quate-

nus est principium motus, & suppositoꝙ cœlum inciperet moueri, tunc esset affirmandum, ꝙ primus motor esset in parte dextra, ac in eius parte orientali, quia ab illa moueri inciperet, non tamen dico ꝙ ibi sit, cum secundum Arist. cœlum non incæperit moueri, sed dico ꝙ ibi esset, supposito ꝙ cœlum inciperet moueri; Nec rationes à Pythagora, ac ab eius sectatoribus desumptæ, sunt alicuius momenti, cum ferè omnes diluantur ab Arist. Secundo Cœli tex. 74. vbi docet medium esse duplex, vnum magnitudinis, aliud præstantiæ, ac perfectionis, tunc est dicendum, ꝙ primus motor debet esse in medio. s. perfectionis, ac præstantiæ, eo quia à tali medio omnis emanat perfectio, sed minor tunc est falsa, in qua dicitur, centrum esse locum perfectissimum, non enim centrum est medium perfectionis, sed benè est medium magnitudinis; Nec etiam aliæ concludunt, cum non sit par ratio de anima hominis, ad ipsum primum motorem, anima enim humana eget custodia, & per consequens loco tutissimo, ac instrumentis, sicut est cor, nè ledatur, at non sic est de primo motore, qui omnia custodit, ac conseruat, quocirca non eget loco tutissimo, nèc arce munitissima;

tissima; Nec aliæ rationes cogunt, cum primus motor hic ab Arist. consideretur in eo q̃ motor, ac in habitudine ad motum, non autem vt est inmobilis, in eo autem q̃ motor, semper dicendum est, q̃ sit in circumferentia, cum ibi magis eius vigeat motus, cumq́; ibi sit, tunc maximè impartitur omnibus suam perfectionem, quam illis tradit per motum, non autem absolutè; sit igitur in circumferentia, cum ibi maximè eius operatio, seù eius motus vigeat? Et hæc ad laudem Iesu Christi, cuius auxilium in initio cuiuscumq́; Libri semper sum deprecatus, quiq́; vocem deprecationis meæ benignè audiuit, dicta sint.

FINIS.

Errata sic corrigantur.

Fol. 3. col. 2. lin 15. àt par, lege, àc prò
3.2.18.per fama, prò forma.
10.1.existentem, existentes.
ibidem lin.23. interminatus, interminatas.
ibid.2.3.indeterminaturũ, indeterminatarũ.
15.2.21.in hoc, in hac.
18.1.15.quo, quòd.
19.2.vlt.contrariaret, contrariaretur.
22.2.11.quam, quæ.
23.2.4.hoc; hæc.
24.1.10.de Arist.de Ani.
ibidem 1.25.vt habet, vt habetur.
ibidem.2.5.hoc, has.
30.1.8.Adpe, Adde.
34.2.7.diformimatem, diformitatem.
35.1.7.de hoc, de hac.
36.1.21.& tactu, & tractu.
ibidem .2.19.dillam, dilluam.
ibidem lin.22.quærant, qui erant.
44.2.21.aliquss.aliquas.
46.1.22.contrarium, contrariarum.
49 2.1.tum; totum.
59.28.modus, modum.
67.2.23.Auerroes, Auerroem.
72.1.3.con, non.
73.1.6.nostrer, noster.
74.1.4. hoc, hac.
75.2.7. aliud, substantia, aliud à substantia.
ibidem lin.26. ꝙ matetiũ; ꝙ materia prima est subiectum omnium accidentium.
83.1.20.manens, manans.
91.1.11.adnotandum, adnotatum.
ibidem.2.8.proposito, propositio.
92.2.13. esset, esse.
99.2.10.à quolibet, á qualibet.
108.1.9.notiori, notior.

115.2.18.habet, hæc.
127.1.8. nel, nec.
139.2.lin.vlt.textu, textus.
147.1.29 posset, possent.
152.2.22.ac, ad.
158.2.1.separata, separatam.
177.1.7. vires, viros.
172.1.25.localia, localis.
175.1.11. conditioniqos, conditionibus.



42291
5



ATENEO VENEZ
VENEZ

ATENEO VENETO

ATENEO
BIBLIOTECA
VENETO
6
C
10
VENEZIA